Nº 147 Fax – 8/2

30H
a

Vault (Alchemy)
8-4
38

DE MIRACVLIS OCCVLTIS NATVRAE,

LIBRI IIII.

Item

DE VITA CVM ANIMI ET CORPORIS INCOLVMITATE RECTE INSTITVENDA, LIBER VNVS.

Illi quidem iam poſtremùm emendati, & aliquot capitibus aucti: hic verò nunquam antehac editus.

AVCTORE

LEVINO LEMNIO *Medico Zirizaeo.*



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Theodorum Baumium ſub ſigno Arboris.

ANNO M. D. LXXXIII.

PASCHASII OENII HEL-CRVCINI IN OPERIS COMmendationem Carmen.

SI te delectat multò pulcherrima Nymphe
Natura æterni fida miniſtra Dei:
Aut pluſquam varius rerum color optime Lector,
Ornatus, ſeries, forma, vel ordo iuuat:
Si cenſes operæ pretium cognoſcere, quicquid
Tellus, Oceani tractus & aſtra ferunt:
Et cupis ingenuè multa & præclara doceri,
Id quod Naturæ lex, Pietasq́; monet:
Huc ades, hos memori libros fac mente recondas:
Propoſiti exiguo tempore victor eris.
Scilicet eloquio cumulatus, & arte medendi
Lemnius oſtendet, quidlibet vnde petas.
Abdita Naturæ pandit miracula, vires,
Cauſas, quæ multos texerat vmbra dies.
Tum ſolidis adeò rationibus omnia fulcit,
Vt carpi, Momo iudice, poſſe neges.
Ingenij mirè felicis acumine quid non
Diſſerit argutè, perſpicueq́; docet?
Candidus & terſus leni fluit agmine ſermo,
Multus vbique nitor, multus vbique lepos.
Nec Medicis ſolis (ne forte quis inſcius erret)
Hic operam & ſtudium dedicat ille ſuum:

Plurima ciuili præcepta ſalubria vitæ,
Fingendisq; probè moribus apta leges.
Auribus inſtillans animoqúe το γνῶθι σεαυτὸν,
Hoc aget, vt ſtudeas notior eſſe tibi.
Ignauas hominum vetat obbruteſcere mentes,
Præteritis ve bonis deteriora ſequi.
Quin obiter ſtudijs melioribus imbuit omnes,
Qua ſe cognoſcant, qua ratione Deum.
Sed fruſtra celebrem malè natis verſibus illum,
Cuius fama volat docta per ora virûm.
Inſtar multorum Geſnerus Apolline dignus
Myſtes, ſat locuples hic mihi teſtis erit:
Qui citra inuidiam preſſo vir candidus æqua
Expenſum trutina pollice laudat opus.
Vt taceam geminos Hetruſca voce loquentes
Quàm cupidè Auſonidum turba diſerta legat.
Lucis enim vſura caruêre, nec hactenus extra
Septa domus reliqui corripuére pedem.
Reſtat vt Hiſpanos, Celtas, linguaq; Britannos
Repræſentantes, Belgica verba ſonent:
Quos æquè gratos doctis ſi ſenſerit auctor,
Adijciet totidem, cœpta iuuante Deo.

ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQ. SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVMQVE REGI, AC LIVONIAE Domino, ERICO, eius nominis decimoquarto, Leuinus Lemnius Medicus

S. P. D.

SCITVM eſt illud Platonis, rex inuictiſſime, felices fore Reſpublicas, ſi vel ſtudia ſapientiæ conſectentur Reges, vel ſapientes imperent. Quod cùm in te ſine controuerſia perfici intelligam, qui non ſolùm ſtudijs ſapientiæ ſedulò inſiſtis, ſed quaſuis artes amplectaris ac colis; non poſſum tuæ Maieſtati, tuoq́ amplíſſ. Regno non impensè gratulari. Dici enim vix queat, quàm ſis hoc nomine tuis ſubditis futurus amabilis ac gratioſus, denique ad ea ſectanda quæ in humanis rebus ſunt præcipua, quæque ad ſummam felicitatem ſpectant, incitamento. Vt enim filij maiorum veſtigijs inſiſtunt, in quos oculos continenter habent defixos, illorumq́ imitantur vel vitia vel virtutes: ita in imperio aulæ Proceres ac promiſcua paſſim multitudo ea conſectari

conatur, ea vita & moribus exprimere, quæ Regi aut Principi placere videat, & quibus ille maximè afficiatur. Quum autem multis magnisq; rebus ſpectata ſit tua, ERICE illuſtriſſime, Maieſtas & amplitudo, corporis animiq; præſtantia, acumen ingenij, eruditio ſingularis ſumma vitæ integritas, in pace incredibilis imperij moderatio, belli vero tempore, quod nunquam niſi iuſtè à te ſuſcipitur, mira rerum gerendarum peritia pari conſilio ac prudentia fulta: quibus artibus non minus fortiter, quàm animosè, magnoq; ſucceſſu ac dexteritate finitimos, qui alienæ ditioni inhiant, propulſas ac conficis: quis tantas tamque admirandas naturæ dotes, quibus à Deo Opt. Max. affatim excultus es, ac cumulatè exornatus, non admiretur ac ſuſpiciat, ſolidisque encomijs proſequatur? quod ipſum vnicè perficere meditor, quandoquidem Maieſtatis Regiæ fauorem experiar, quæ ex noſtra hac ſtatione atque excubijs, magnis præmijs in Aulam ſuam nos euocat. Quocirca quum latiſſima Regna, longeqúe exporrectos Sueciæ ac ditionis Gothicæ tractus (à quibus totius Europæ exortam nobilitatem ſeriò dictitare ſolet Imperator Carolus huius nominis quintus, ſibiq; id laudi ducere) incredibili ſapientia ac comitate te moderari audiam, atque abs te conquiri vndiq; non ſolùm artifices manuarios, ſed quod præcipuè laudem meretur, conuocari magnis tuis ſumptibus atque impenſis viros doctos, ac literatos, qui Regno tuo decus & ornamen-

tum afferant, paſſus ſum D. Guilielmum Lemnium, quem vt archiatron, ſeu Medicum primarium in corporis tui tutelam ac ſanitatis conſeruandæ præſidium aſciuiſti, tanto locorum interuallo, à patrijs ſedibus, à paterno complexu, congreſſuq́ familiari ac domeſtica conſuetudine diuelli, præſertim ijs annis quibus parentes filijs, tamquam ſcipione fulti, inniti ſoleant, atque inclinata vergenteq́ ætate, aliqua ab ijs oblectamenta concipere, nonnulla imminentis ſenij ſolatia conſequi. Et quò ergà clementiſſimum Regem magis conſtet Lemnij ſtudium, promptæq́ voluntatis ac propenſi animi teſtificatio, libros hos de Naturæ dignitate & præſtantia, abditisq́ rerum cauſis Maieſtati Regiæ dedicare viſum eſt, quò ſe oblectare ijs poſſit, vbi à ſerijs rebus reſpirare liceat atque à publicis functionibus conquieſcere. Multa autem ineſſe lucul rationibus hiſce noſtris, citra omnem ambitionem aut adulandi ſuſpicionem, auſim polliceri, quæ amœnitate lectionis ac quum rerum tum ſententiarum varietate atque illecebra quemque poſſint reficere ac demorari. Siquando itaque, inuictiſſime Rex, occupationibus, quibus implicatus es, defungi te contigerit, atque aliquid tibi laxamenti imperare viſum ſit, his auocamentis animum grauioribus rebus defeſſum recreare poteris ac reficere. Hoc autem argumentum, quo nullum excogitari poteſt plauſibilius, ea mente ac conſilio illuſtrandum ſuſcepi, vt omnibus innoteſcat quam immenſa ſit rerum Natura, quæ

vſibus commodiſque noſtris inſeruit, quô vis eius ſe proferat, quàm longè lateq; ſit diffuſa. Quæ cùm ſit diuinitatis inſtrumentum, tota moles ac rerum vniuerſitas illi incumbit atq; innititur, eiusq́; munere cuncta ſubſiſtunt, continuata ſucceßione ſe propagant ac tuentur. Quæ conſideratio hoc efficit in animis hominum, eumq́; vſum conſequitur, vt mens humana in Opificem erecta, res momentaneas ac caducas deſpicere condiſcat, atq; ad ſempiternas aſpiret atque enitatur. Siquidem Naturæ contemplatio, quæ multiplici rerum varietate inſtructa eſt atque exornata, totiusqúe mundi decor & ſpecies, in Conditoris admirationem atque amorem mortales allicit: ita vt tam ſpectabili ac viſendo mundi opificio obſtupefactus humanus animus, in huius architectum atque artificem tota mente rapiatur, hauſtoqúe tacito quodam Diuinitatis afflatu, illum colat, ac veneretur, in illo confidenter conquieſcat. Cuius rei cùm toto paßim opere ſpecimen ſum exhibiturus, ſuperuacaneum exiſtimo plura congerere, quibus naturæ ſplendor illuſtrari poßit, eiusqúe dignitas amplificari, præſertim cùm R.M. ſedulò Naturæ ac rerum contemplationi inſiſtat, eaq́; continenter ſe oblectet, ita vt nulli aptius magisq́; appoſitè hæc Naturæ miracula conſecrari poßint, quàm Erico Regi, qui huiuſmodi oblectamentis vnicè afficitur. Eò autem magis gratum, acceptumqúe amplitudini Regiæ hoc munus literarium fore confido, quod tempeſtiuè ac captata opportunitate

pertunitate oblatum ſit, nempe ijs nuptiarum auſpicijs, quæ ſereniſsimus Rex propediem initurus eſt, quod vt felix fauſtumq́; ſit, optimi quique bonis acclamationibus, bonisq́; omnibus exoptant ac precantur. Deus Optimus Maximus, qui cuncta fulcit ac ſuſtinet, regni tui ſolium Rex illuſtriſsime ſtabiliat, tibiqúe in omnibus felicem progreſſum, magnaqúe incrementa conferat.

Zirizææ, pridie Cal.
Ianuarij.

AD CANDIDVM LECTOREM Præfatio L. Lemnij Medici.

DVO ſunt artium, quæ hominum vtilitati atque vſui deſeruiunt, inſtrumenta, quibus omnia firmari ſolent, ac ſtabiliri, Ratio & Experientia. His enim ipſa Medicina, & præter Mathematicas artes, pleræque aliæ fulciuntur. Siquidem quæ exacti, excuſsique iudicij hominibus ſunt factura fidem, ad hanc amuſsim exigi, ad hunc lapidem Lydium debent explorari. Quid autem magni præſtiterit Medicus, ſi herbas ac medicamenta efficaces obtinere effectus ratione ſtudeat euincere, niſi id experimento comprobet? E diuerſo, qua fiducia niti poſſet experimēto, quod plerunq; abſq; iudicio adhibitum fallax eſſe, ac periculoſum declarat inconſulta Empyricorum temeritas, niſi illi ratio ſuffragetur? Et quanquam Sophiſticum cenſeri poſſet, contra experientiæ teſtificationem ac documentum, rationem exigere: nunquam tamen quiſquam ſani iudicij, & qui in delectu rerum aliquid penſi habet, experimento aſſenſum fecerit, aut id temerè experiri ſuſtineat, niſi ratione id per omnia comprobatum ſit, ac ſuffultum. Nō tamē diffiteri poſsim, aut tergiuerſari, quin

multa

multa ſint in natura rerũ abdita, atque abſtruſa, effectuque tam latenti & cæco, vt temerarium ſit talium ratioñe inire, aut facti cauſam explicare. Hæc ipſa Dioſcoridi ἀναπολόγητα dicuntur, hoc eſt ratione deſtituta, & cauſarum cognitione vidua, quæ ſenſui & intelligentię manifeſtam demonſtrationé non exhibent, eoq́; occultæ proprietates Medicis dicuntur. Siquidem aliquid interuenire cẽſent huiuſmodi rebus, vel ex decurſu aſtrorum, ac ſiderum corradiantiũ meatu, vel ex diuina voluntate, aut elemẽtorum concretione ac mixtura, vel deniq; totius ſubſtãtiæ vi, formaq́; ſpecioſa, quę quũ ratiõe, mentisq; iudicio aſſequi nequeamus in occultas eſſentias, abditasq́; proprietates eas reijcimus, ac tali ſuffugio eluctamur, ex eoq́; Labyrintho nos extricamus. Ego verò, quò ad huiuſmodi rerum demõſtrationes, cauſasque eruendas doctorum animos extimulem, adnitar pro virili probabili atque artifici cõiectura rationem elicere, aut quã proximè collimãdo ſcopum attingere. Multa ſunt, fateor, incompertæ originis in naturæ rebus, ac dẽſis in obſcuritatibus inuoluta, quorum tamen probabilis ratio excogitari, atque effectus cauſa, ſi non euidenter, & perſpicuè, certè veriſimiliter reddi poteſt. Verbi cauſa: Baſiliſcus hominem viſu

Libr. 6. cap. 34.

Occultæ proprietates.

ſu

ſu perimit. Quis exercitatus in operibus naturæ id euenire neſciat ex emanantibus noxijs expirationibus, quas ſenſim ac latenter in hominis perniciem exhalat? Nec enim ſolus Regulus, ſed omne propemodum ferarum genus homini infeſtum eſt, atque afflatu, ſibiloq; geſtit inferre exitium. Sic lupi conſpectus, modò propius homini aſsiſtat, oris hiatu atque halitu virulento raucedinẽ inducit, ac tantum non vocem adimit. Sic muliebris ſexus menſibus profluentibus eboris, ſpeculique nitorem offuſcat, ferri aciem retundit, ſegetes ſtrangulat, hortorum germina conficit, halitus contagio, ac non modò obuios quoſque, ſed ipſam ſe maculis nauiſque deformat. Pari ratione oculis lippitudine, atque ὀφθαλμία vitiatis, alterius oculos affici contingit Quod venuſta ſimilitudine expreſsit Ouidius & Iuuenalis:

Cùm ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi:
Multaq; corporibus tranſitione nocent.
Sic pecudes, armenta, boues, grex totus in agris
Satyra.1. *Vnius ſcabie cadit, & porrigine fœda,*
Vuaq; conſpecta liuorem ducit ab vua.

Homines autem hominibus contagionem potiſsimum afflant, vbi ex aduerſo conſiſtunt: neq; enim ſi in obliquum vergat ex-

pira-

ſpiratio, vel ſi in dextrum, aut læuum efflu-
xum ferri contingit, tantum damni adfert,
tantaq́, labe inficit. Vt enim tranſuerſa at-
que obliqua viſio quemadmodum pætis ac luſcioſis aſſolet, nõnihil obtunditur atque hebeſcit: ita quæ ex oculis, aliaque corporis parte emanant, ſi obliquè ferantur, retundi atque hebetari cõtingit, minusque mali inferre adſtantibus. quod ipſum ſtudioſius obſeruare ſoleo, vbi ægrotis contagio affectis aſsiſto, adeo vt ſemper auerſus cum ijs verba faciam, nunquam inter fumarium & decumbentẽ conſiſtens. Hic effluxus atque emanatio, tametſi oculis ſe nõ exhibeat, minusq́ue ſenſui viſorio ſit expoſita, naribus tamen, auribus, cerebro, vocali arteriæ, pulmonumq́ue fibris ſe ingerit. Sic nonnullos obſeruaui tam tetra mephite, atque animæ graueolẽtia, vt niſi longius abſiſtas, obuios quoſque halitus contagio feriant inficiantq́ue. Quam latè autem ſe porrigat halitus animantium, quouſque ſe proferat contagium, hybernis menſibus, flante per gelicidia Aquilone, cuiq́ue perſpicere licet. Siquidem ob aeris denſitatẽ ac craſsitiem fumantem animam ex intimis præcordijs reciprocatione quadam, vt Oceani æſtuaria erumpere videmus, ac longè lateque ſe diffundere: quæ licet æſtiuis diebus non ſit conſpi-

Simile.

cua

cua oculiſque minus expoſita, eam tamen vel odore percipis, vel in intimis pręcordijs tacitum virus concipis. Atque vt hæc ipſa corpori perniciem moliuntur, ac lethale virus inferunt: ita ſuaues odores, ac ſtirpium fragrantia ſpiritus erigunt, ipſumque vitæ fontem cor fouent ac recreant. Quod vel obeſæ naris quiſque animaduertere poteſt, quũ vires ſyncopi collapſos, animique deliquio ſopitas reſtaurari, erigique videt odoramentis. Verùm omiſsis his minutijs, poſtmodum fauore ſupremi Numinis magis recondita proferam. Quod ſi videbor cuiquam nõ penitus naturæ arcana eruiſſe, vſusque ſublanguidis parumque firmis rationibus, ac tenui orationis filo, nulloque verborum apparatu, nullis copijs naturam inſtruxiſſe: huic ego perſuaſum cupio, doctis præbitam potius ac demõſtratam à me ſcribendi materiam, quam præreptam. Iſta ſiquidem ſum aggreſſus, ac tractanda ſuſcepi, nõ tam ſpe, fiduciaque perficiendi, quàm experiendi ſtudio ac volũtate, ſimul vt pleniore obſequio meum patronum demererer, meosque ciues hoc officio deuincirem. Excitat autem ad huiuſmodi tentanda poſt Platonem Perſius, cupitque patrię, ciuibuſque hoc tanquam debitum munus exſolui. Sic enim ad rerũ contemplationem, ad ſtudium

Satyr. 3.

dium virtutis, ad ſectanda hominum commoda nos extimulat:

Diſcite, & ô miſeri cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, aut quid nam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quã mollis flexus, & vnda:
Quis modus argenti, quid fas optare, quid aſper
Vtile munus habet patriæ chariſq; propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus eſſe
Iuſſit, & humana qua parte locatus es in re.

Itaque experiar, quid efficere, aut quò progredi poſsim, mihiq́ue culpam deprecari liceat, ſi non omnia ſum aſſequutus, eoq́ue iuſtius, quòd inſtituti operis argumentum tam ſit vaſtum, adeoq́ue ſe in immenſum porrigat, vt infiniti ſit operis, nec mediocris ingenij omnia ad amuſsim exequi, iſtãq́ue ſpartam pro ſua dignitate atq; amplitudine exornare. Quòd ſi Horatius in triuiali minimeq́ue operoſo argumento *In arte Poetica.*

Dat veniam maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura:

quãtò magis in tanta rerum difficultate ad pleraq; cõniuere muſſareq́ue conuenit, nec omnia ad viuũ, vt dicitur, reſecare? Dici.n. vix queat, quanta Medicis deuorãda tædia, qui ſubeundi labores, quæ perferendæ domi foriſq́ue moleſtæ querimoniæ ac voces

plorabundæ, quum rerum ſuarum ſatagũt, ac ciuibus ſuam operam ſedulò impendũt: quorum cùm omne ſtudium atque induſtria in actione conſiſtat, nihil laxamenti, nulla reſpirandi ſpatia admittit non minus negotioſa, quàm quæſtuoſa praxis, adeò vt q̃ ſuccisiuis horis, hoc eſt, vbi legitimis officijs ſunt perfuncti, meditãtur, vix ea literis mandare vacet, nedũ expolire. Quod cum mihi aſsiduè vſuueniat, atque huiuſmodi occupationes domi foriſque cõtinenter me inuoluant, ægrè ac difficulter omnia pro animi ſententia perfici poſſunt: verùm cum naturæ contemplatio vnicè me afficiat, nec excogitari poſsit argumẽtum plauſibilius, viſum eſt eius miracula tractare locupletius, omniaque naturæ opera ſpectatiora efficere. Quocirca poſt conſecratos noui huius anni auſpicio Inuictiſs. Sueciæ Regi ERICO libros hos quatuor de naturæ miraculis, quò ſereniſsimus Rex confecto ſopitoque bello, quod illi contra coniuratos aliquot hoſtes, ſumma virtute atque excelſi inuictique animi magnitudine & robore terra marique ſuſceptum eſt, cumulatius Naturæ ac rerum contemplatione reficiatur.

LEVI-

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZAEI DE OCCVLTIS NATVRAE MIRACVLIS, LIBER PRIMVS.

DE NATVRA, Diuinitatis inſtrumento.

CAP. I.

NATVRA, in qua elucēt, atque expreſsè ſe proferunt Diuinitatis veſtigia, cuiuſq; rei principiū eſt, quo conſiſtunt omnia.

Naturā quid.

NATVRA eſt mens, λόγος, *ſeu ratio diuina operum naturalium effectrix, rerumq́; exiſtentium conſeruatrix.*

Heb.1.

Quæ vis nulli, præterquam Deo, & qui illi indiuulsè adhæret, Chriſto aſcribi poteſt. Ipſe enim ſplendor paternæ gloriæ, expreſſaque imago ſubſtantiæ illius, naturæ, totiusque vniuerſi eſt opifex, ſuoque nutu, nulla ſubiacente materia, omnia condidit, in eoque eſt vita, vigorque rerum conditarum, atque ab illo ſingulis viuifica virtus infuſa eſt, hoc eſt, per eum vnumquodque genuina ſua vi ſubſiſtit, inſitaque facultate ſe propagat, ac tuetur. Nihil in tanta, tamque immenſa rerum vniuerſitate iners, aut otioſum, nihil temerè aut fortuitò, nihil fruſtra effectum eſt, omnibus ſtirpibus ſua vis indita, ſingulis

Ioan.1.

Deus omnium rerū cauſam in ſeipſo complectitur.

Coloſſ.1.

Natura, nec iners, nec otioſa.

gulis animantibus ſuum ingenium, ſuaque attributa naturæ inclinatio. Obiter quæcunque mundi ambitu, cœlique complexu continentur, vi quadam inſititia inſtructa ſunt ad actum ſibi peculiarem, ac ſuis quæque locis, temporibuſque diſpoſita, admirabili quadam viciſſitudine munia ſua obeunt, curſumque perficiunt. Hinc cùm Deus tanti muneris effector, ac moderator colluſtraſſet, quæ ſex dierum ſpatio perfeciſſet, viſa ſunt illi inſigniter bona, hoc eſt, ita elaborata, vt artis ratio efflagitabat, vt expoſcebat ordo rerum, ac ſeries, vt decor vniuerſi exquirebat, adeò, vt omnia ad vſum conducerent, atque ad finem, cui erant deſtinata, ſpectarent. Qua de re ſapienter diſſeruiſſe mihi videtur Ariſtot. huiuſmodi propemodum verbis: *Nihil in natura rerum tam minutum, tamq; vile, aut abiectum, quod non aliquid admirationis hominibus adferat.* Et quod Hieraclytum Tarentinum dixiſſe ferunt, cùm in caſa quadam furnaria diuertiſſet: *Introite, ſunt hîc etiam Dij*: hoc quoque in naturæ operibus ſentiendũ. In minutiſſimis enim naturæ rebus numen elucet, omniaque honeſti, pulchrique rationem obtinent. Siquidem operibus naturæ hoc præcipuè adiunctum eſt, vt nihil temerè, viceque fortuita ſit effectum, ſed omnia finis ſui gratia Et quemadmodum quum de ædibus magnificè conſtructis fit ſermo, non de calce, de lateribus, de lignis, aliaque materia agitur: ſed de forma, ac ſpecie, ſtructuraq; ædium, & in quem vſum ſint erectæ: ita qui naturæ opera excutit, non de materia, ſed forma, totaque ſubſtantia, de vſu denique atque vtilitate diſſerit. Sic corpus animæ gratia cõditum eſt: membra verò officiorum, quò commodè actiones ſuas obeant, ſuaſque functiones exequantur. Homo autem Dei cauſſa in hoc mundi theatrum productus eſt, quò illo ſe oblectet,

Geneſ. I.

De partib. ani. lib. I. cap. 5.

Simile ab ædium ſtructura.

Homo in quẽ vſum & finem creatus.

lectet,

lectet, illius munificentiam agnoſcat, in illo conquieſcat, illique fidat, atque innitatur. In tanta itaque, tamque immenſa rerum exiſtentium multitudine, ac varietate non ſuſpicienda modò naturę vis & efficientia, ſed eius maieſtas atq; amplitudo, à quo ſingula producta & profecta ſunt, cuiuſque benignitate naturæ opera ſubſiſtunt, atque ab interitu vindicantur. Quæ cogitatio exuſcitat animos noſtros humi alioqui defixos, atq; in Dei notitiam ac cognitionem deducit. Deus enim tametſi ſit inconſpicuus, ex rebus tamen creatis, vt Paulus teſtatur, atque ex mundo tam mirificè condito, tam ſapienter adminiſtrato & perſpici poteſt & intelligi. Et queadmodum, Cicerone teſte, ex memoria rerum, ex inuentionis ſubtilitate, ac celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim mentis agnoſcimus, quamuis oculis ipſa non pateat: Sic Deum mentemque illam æternam ex operibus eius dilucidè perſpicimus, eiuſque vim atque afflatum efficaciter percipimus. Illius enim virtus per omnia diffuſa, ſingulis calorem, ſpiritum, vitamque largitur. Qua de re eruditè concionatus eſt Athenis D. Paulus ex Arati ſententia, quam eleganter expreſſit Lucanus lib. 9.

Natura vis ad Deum referenda.

Rom. 1.

Tuſc. 1.

Deus quare homini innoteſcat.

Act. 17.

Hæremus cuncti ſuperis temploq; tacente
Nil agimus niſi ſponte Dei, non vocibus vllis
Numen eget.
Eſtq; Dei ſedes niſi terra, & pontus, & aer,
Et cœlum & virtus: Superos quid quærimus vltra?
Iuppiter eſt quodcunq; vides, quocunq; moueris.

Quis igitur erga illum non afficiatur, cuius vires manifeſtè percipit, cuius donis cumulatè fruitur? Si imperatores & principes optimo iure veneramur ac ſuſpicimus, illoſque plurimi facimus, ac magnos honores ijs deferimus, quòd regna atque imperia incruenta, citraque ſanguinis iactu-

Simile ab imperatorũ officio.

ram parta, ſumma æquitate adminiſtrant, quòd magiſtratus habent inculpatos, qui in obeũdis negotijs, munijſque publicis magnam curam, multamq́; operam ſubeunt, quò omnes in officio contineant, omniaq́; paſſim ſint pacata, nec Reſp. vlla diſcordia, aut ſeditione ciuili diuulſa: quantò magis Deum ſuſpicere, ac venerari par eſt, qui nulla cura, nulloque negotio, aut ſolicitudine tam vaſtum, latumque mundi imperium nutu ſuo regit, ac moderatur? Quò ſpectat illud Apuleij hominis à noſtra quidem religione alieni, ſed qui ex Hebræorum fontibus id hauſerit. Quod in triremi gubernator ac nauclerus, in curru rector, Choragus in Comœdijs exhibendis, præcentor in choris, agonotheta, ſeu remunerator in obeundis certaminibus, conſul intra ciues, dux in exercitu, comes in ſuſcipiendis propulſandiſque periculis: hoc eſt, in mundo Deus; niſi quod ærumnoſum, curisque innumeris implicitum videtur officij alicuius Principem fieri: at Deo nec moleſta eſt, nec oneroſa imperij ſui cura. Cæterùm nolim mihi aduerſari Medicos, aut grauatè ferre Philoſophos, quòd in aſſerenda naturæ dignitate, ipſam ad fontem, ſuique originem referam: hac enim ratione omnia reducuntur ad eſſentiam primigeniam, totiuſque naturæ archetypum. Et quanquam latè pateat naturæ vocabulum, ſuoque arbitratu ſecundarias quiſque definitiones comminiſci poſſit, ad vnum tamen omnes reuocantur. Sic Medicis

De mũdo.

Simile à multis officijs deſumptum.

In Deum omnia naturæ opera referenda.

Natura eſt inſita atq; innata rebus qualitas.
Natura eſt quatuor elemẽtorũ mixtura, et tẽperies.
Natura eſt vis, & propenſio animi cuiuſq;.
Natura Philoſophis eſt motionis, et quietis principiũ.
Natura eſt, quæ cuiq; formã dat Specifica differẽtia.
Natura eſt vis & cauſa effectrix, rerumque conſeruatrix toti mundo, eiuſq; partibus inſerta. Natura

Propria naturæ definitio.

(vt po-

(vt propius rem ipſam deſignem) eſt diuinorum operum ordo, & ſeries, quæ illius potentiæ, illiusque verbis ac iuſſis obſequitur, ab eoque vires mutuatur. Harum omnium deſcriptionum, & quotquot à viris diſertis excogitari poſſunt, præcipua cauſſa, & origo ab æterna illa mente, tanquam vberrimo fonte promanat. Quod omnium ſcire intereſt, ac permagni refert obſeruare, animoque penitus infigere, quò cuique magis innoteſcat ſummus rerum opifex, illiusque accendatur in mentibus noſtris maieſtas, & amplitudo. rerum enim conſpectus, & naturæ contemplatio brutos etiam homines atque à Dei cognitione prorſus alienos, modò ne deſit aliqua ſanioris mentis ſcintilla, in maximam admirationem Diuinitatis perducit. Siquidem natura rerum, quæ immenſa eſt, ac longè lateque diffuſa, quum nuſquam non oculis, ac menti ſe ingerat, mirificè hominem afficit, atq; in ſummi parentis amorem, ac veneratiōe dirigit. Nam ſi cui excutere libeat, atq; attentè conſiderare, quis ſit rerum conditarum, quæ aliæ ex alijs emergunt, decor & ornatus, quantaque arte, quo artificio, quàm concinnè atque affabrè omnia elaborata ſint, & cōſtructa, cunctaque in hominum vſus neceſſarios, in oblectamentum ac commoditatem condita, obſeruet; quis illis affici non poſſit, aut æternam illam mentem non venerari, ac ſuſpicere, quæ ſolius hominis cauſſa iſta extare, ac continuato, perennique ordine, ac ſerie ſubſiſtere voluit, non ſine admirabili propagationis ſucceſſu? Effecit hæc naturæ præſtantia, vt præter alios Antonius ille (qui ob Chriſtianorum proſcriptiones, ac perſequendi rabiem, quæ nullis non ſæculis incrudeſcit, atque efferata redintegratur, in ſolitudinem ſeceſſit, ac loca vaſta, auia, impedita, tyrannnisque inacceſſa incoluit) vnicè ſe oblectaret naturæ, ac

Naturæ cōtemplatio ad Deum erigit animos.

Omnia hominis cauſſa condita.

Antonij Eremitæ de natura ſententia.

rerum contemplatione, adeò, vt cùm quidam ab eo ſciſcitaretur (nam omnibus ſe affabilem præbuit, nec cuiquam reſponſa denegabat, vt tetrici quidam) cur paucos ac propè nullos apud illum libros conſpiceret: reſpondiſſe dicatur: hæc mundi ſpectacula ſic animi ſui deſiderium explere, ita mentem reficere, ea præbere documenta, viuendique præcepta, atque inſtitutiones tradere, vt multorum librorum vicem ſuppleant, nec magnopere eorum adminiculo indigeat. Satiat enim aliquando librorum, quamlibet amœna lectio, adeò, vt mens aſſiduitate legendi laſſeſcat ac defatigetur: quum naturæ conſideratio ea oblectamenta, has voluptates, tanta blandimenta atq; illecebras proferat, vt nulla vnquam oboriatur ſatietas aut faſtidium. Adornant equidem ſcriptores culti Rhetorum coloribus ac pigmentis lucubrationes ſuas ac commentaria, appoſitiſque verbis rem illuſtrant: At natura ſummi opificis inſtrumentum, ac miniſtra, quæ ad quiduis elaborandum fingendumque efficax eſt & appoſita, non aſcititia varietate, ſed genuina ac natiua oculos mentemque inſatiabiliter paſcit ac recreat. Quis vero naturæ ſolertiam, artificium, induſtriam, ſcitè elaboratas ſtirpium, floſculorum, animalium, reptilium, piſcium, alitum ſpecies, omniumque conditiones, vires, effectus poſſit vel exprimere vel explicare? Quis artifex aut architectus quamuis eximius eas formas, atque effigies imitando conſequi poſſit? quæ paſſim ſe proferunt, atq; oculis humanis ſingulis momentis ſeſe exhibent. imitatur quidem ars naturam, atque hominum induſtria graphicè quædam ad viuum exprimit atque ementitur. Sic Conrardus Geſnerus, vir vt reconditæ eruditionis, ita indefeſſi laboris, ſtrenuam operam nauauit in illuſtranda animalis omnis ſpirabiliſque naturæ hiſtoria,

Conrardi Geſneri laus.

ſtoria, cui præ cæteris palmam defero. Sic plerique alij in herbarum deſcriptionibus, effingendiſque earum figuris, non poſtremam laudem ſunt promeriti. Verum vt nihil non populare & plauſibile, ac laudem meretur artificioſa naturæ æmulatio: ſic omnia muta exhibet, inanima, inſipida, inodora, nullaque vi atque effectu prædita. Neque enim elinguis eſt, iners, ignaua, ſomniculoſa, ſtupida, inanimata natura rerum, ſed viuida, alacris, erecta, ſuique oſtentatrix, & quæ ſenſibus ſuauiter blandiatur, ſic vt contemplantem multa commoneat, multa edoceat, ſuiſque inuitamentis incitet atque illiciat, adeò, vt ſpectator minimè otioſus non ea ſolùm conquieſcat, ſed ad illum mentem erigat, cuius virtute hæc omnia vigent & ſubſiſtunt. Ita in ijs, quæ oculis noſtris expoſita ſunt, non ſolùm naturæ artificium excellens quidem, & inimitabile ſpectari debet, ſed Dei maieſtas, amplitudo, decus, ſplendor, magnificentia, denique munifici patris erga humanum genus amor & propenſio. Elementa, cœlum, ortus & occaſus ſyderum, diurnæ nocturnæque viciſſitudines, quadripartita anni varietas, quæ duo æquinoctia, vere, & autumno: ac totidem ſolſtitia æſtate & hyeme complectitur, quorum decurſu herbæ exoleſcunt & deficiunt, ſuoque tempore emergunt ac reuiuiſcunt, quum multa indicent ac commonſtrent, tum à morte ad vitam reuerſionem ac reditum, quo ſuo tempore corpora per reſurrectionem reſtituenda ſunt in integrum, documenta præbent. Hanc naturæ vim mirificam Dauid operum Dei admirator vnicus ſubinde effert in immenſum, eamque, vt par eſt, opifici aſſerit, cuius opera, quæ in terra conſpiciuntur, quæque in cœlo ſe proferunt, miris laudibus exornat, ſolidiſque encomijs proſequitur,

Natura rerũ ad Deũ nos erigit.

Rerum viciſſitudo quid indicet.

Pſalm.103. adeò, vt attentè, fixaque contemplatione obſtupefactus, exclamare compulſus ſit: Quàm magnifica ſunt opera tua Domine, omnia ſapienter perfeciſti, impleta eſt terra poſſeſſione rerum tuarum. Viſa eſt etiam Ethnicis, quibus perexigua contigit rerum diuinarum cognitio, hæc naturæ conſideratio fructuoſa, mentique vtilis ac iucunda. Sic *Lib.4.* Cicero in Academicis: Nunquam ego Phyſicorum quæſtiones exterminādas cenſeo. Eſt enim animorum ac mentium naturale quaſi pabulum, conſideratio contemplatioque naturæ: erectiores enim efficimur, ac res fluxas caducasq; deſpicimus, mente, & cogitatione in cœleſtia defixi. Indagatio ipſa *Tuſcul.5.* rerū ſummam parit delectationem, ac mens amœniſſima completur, afficiturque voluptate. Quidquid autem ipſa natura genuit, non modò animal, ſed etiam quod ortum è terra ſtirpibus nititur, in *Herbarū diuerſitas.* ſuo quodque genere perfectum eſt. Quorum alia humilia ſunt, nec altius ſe à terra tollunt, quædam in maximam altitudinem aſſurgunt, alia perpetua fronde virent, alia hyeme ſpoliata nitore, ac pompa frondium, verno tempore tepefacta frondeſcūt ac repullulant, denuoq; in ſtirpem emergunt. Nec eſt vlla res, quæ non ita vigeat inſita vi, quin protuberante turgenteque ſemine, aut flores, aut fruges, aut baccas proferat, easque ſolis calore ad perfectam maturitatem perducat, effectuque ſalubri imbuat. *Animātes naturæ inſtinctu ducuntur.* In animantibus quoque, quibus quum ratio deſit, ſenſus attributus eſt, ipſius naturæ vis, atque inclinatio perſpici poteſt. alias enim natandi peritas aquarum incolas eſſe voluit, alias volucres libero cœlo frui, alias reptiles, quaſdam gradiētes, nonnullas ſoliuagas, pleraſque gregatim volantes, vt ſturni factitant, miliariæ, frigilli, paſſeres, columbæ: immanes alias, ac feras, quaſdam cicures, *Pſalm.8.* & manſuetas, vt omnia gallinacei generis, & quæ domeſti-

domeſtica, atque altilia dicuntur. Homo verò, cuius imperio omnia ſubdita ſunt, & ſubiecta, multo quiddam præſtantius eſt conſequutus, nempe præter loquendi munus, rationem, & mentem, animumque cœleſtis naturæ, ac diuinitatis participem. Humanus ſiquidem animus decerptus ex mēte diuina, cum nullo alio, quàm cum Deo comparari poteſt, nec ad vllius naturam referri. Quocirca homini enitendum, vt quàm proximè ad ſuum opificem aſſurgat, illiq; aſſimilem ſe præſtare affectet. Quum enim Deus cæteras animantes abiecit ad paſtum, ac pabulum: ſolum hominem humo excitatum, celſum ac ſublimem conſtituit, quò ad cœlum, ad domicilij ſui conſpectum, mentem, oculoſque erigeret, qua de re ſequenti capite fuſius. *Heb.1.*

HOMINIS dignitas ac præſtantia.

CAP. II.

QVVM autem Deus opt. max. ſummopere ſuſpiciendus ſit in rebus creatis, quæ paſſim obuiæ exiſtunt, atque oculis mentique ſe ingerunt, tum potiſſimè in homine mirificè eius elucet ſapientia. Quidquid enim in mūdo ſe profert, quamlibet cōcinnè, atque affabrè factum, nulla ratione comparari, componique hominis præſtantiæ poteſt, adeò, vt hinc præcipuè ſumi voluerit ſui æſtimationem Deus, ſuæque diuinitatis ſpecimen exhibere mortalibus, hoc eſt, ex ſua cuiuſque mente, ſuique notitia perduci nos voluit in cognitionem, tantique opificis reuerentiam: nihil enim expreſſius repræſentat Deum, quàm mens hominis, qua ad imaginem, ac ſimilitudinem eius eſt conditus. Eſt ſiquidem homo expreſſiſſimū Dei ſimulachrum. Quamobrem ob externum, internumque orna- *Homo præcipuū Dei opificium.* *Mens hominis Dei ſimulachrū.*

tum, atque ampliſſimas dotes μικροκοσμὸς dici meruit, quòd in hunc cumulatiſſimè omnia profuderit munificus ille rerum parens, atq; opifex Deus. Huius enim cauſa omnia producta in lucem, illiuſq; vſui cuncta patent, ac ſunt expoſita. Quod ipſum agnoſcit Pſaltes regius, gratique animi argumenta proferens: feciſti illum, inquit, paululò angelis inferiorem, imò propemodum vt Deũ quendam gloria, & honore decoraſti, illumq; præfeciſti operibus à te creatis. Hanc autem prærogatiuam etiam à mundi exordio obtinuit, adeò vt omnia, dum vigent, ac conſiſtunt, homini ſint obſequioſa, ac famulentur. Sic enim Geneſeos primo omnium rerum principatum ac præfecturam Deus homini aſſeruit: Fructificate, multiplicamini, replete terram, eã ſubigite, & in piſces, aquatiles, volucreſq; aereas, & omnes, quæ in terris mouentur, beſtias, imperium exercete. De mente autem, quæ illi diuina eſt, & qua proximè ad DEVM accedit, deque internis animi dotibus, ratione & intellectu, quibus beluis præſtat, quum abundè ſcriptores alij, nec ſit huius inſtituti, in præſentia ſuperſedeo. De corpore verò, quæque illi cognata ſunt, ab eoque dependent, pauca diſſeram. Illius enim excellens & ſpectabilis forma moribus animæ congruens, atque accommoda, ſtatus corporis celſus, atque erectus in cœlum, os ſublime ac reſupinatum, omnium partiũ ac totius ſymmetria, ſeu exacta commenſuratio, etiam ab Ethnicis, atque à noſtra religione alienis ſunt deprædicata, adeò, vt mirari ſubeat noſtrorum hominum incuriam, qui aut nihil prorſus ſcrutantur, aut frigidè atque oſcitanter ſeipſos, naturæque opera excutiunt, quum Dauid rex magnificus, preſſius fixiuſque naturam hominis contemplatus exuſcitari cœperit atque exardeſcere in tanti opificis amorem atque admirationem.

Pſalm. 8.

Homo mũdi præfectus.

Decor corporis humani.

Dauid naturæ admirator Vnicus.

Pſalm. 138.

tionem. Sic enim tum alijs, tum huiuſmodi elogijs illũ proſequitur: Celebrabo te Domine, quòd mirificè ſim formatus, opera tua miranda ſunt, eaque ſcrutatur & agnoſcit anima mea. non fuit tibi occultum vllum os meum, quum formarer in abdito, & quum miro artificio fingerer in materni vteri latebris. informem atque inelaboratum fœtum viderunt oculi tui, & omnia membra mea velut in libro penes te deſcripta erant, quæ deinceps non niſi multis diebus formata ſunt, admirationi mihi eſt ſcientia tua, in qua me formando vſus es, excedit illa prorſus captum meum. Quum enim, inquit, me totum excutio, quum corporis ſtructuram, animæ præſtantiam, vim mentis ſedulò expendo, eaque ratione, ac iudicio aſſequi nequeam, & maieſtatem tuam veneror, & amplector munificentiam. Iam verò ſinamus paululum interquieſcere formam illam ſpectatiſſimam, tum reliquas partes corporis viſenda ſpecie; internorum viſcerum ſitum, naturalium facultatum potentias, neruorum à cerebro ortum, ductum arteriarum à corde, venarum ab hepate propaginem conſideremus, tum animæ facultates & potentias, quibus ipſa ſuas functiones profert ac perficit, his accedit ſpiritus ille æthereus, caloris naturalis ſedes, ac vehiculum, qui trifariam diſcriminatur, ac totidem locis diſcretus eſt, ſic vt animalis cerebro, vitalis cordi, hepati naturalis ſit aſſcriptus, hic quum natiuo calore, humoreque nutricio, vtriuſque fomite corpus alit, ac vegetat, atque in exercendis actionibus vires ſuppeditat, quamobrem non indiligenter tria hæc fouenda, inſtaurandaque ſunt ſomno, vino, alimentis, exercitatione: quæ tamen moderatè adhiberi poſtulant, ne ſi vel immodica ſint, vel intempeſtiua, hominem à ſede mentis con-

Dauidis exclamatio in Dei admirationẽ.

Tres in homine ſpiritus.

Quæ res ſpiritus fulciant.

contingat dimoueri, multiſque ac varijs affectibus duci.

Aeneid. 6.

Igneus eſt equidem vigor, & cæleſtis origo
Omni homini, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; habitant artus, moribundaq; membra.
Hinc metuũt, cupiuntq;, dolent, gaudẽtq;, nec auras
Reſpiciunt, clauſi tenebris, & carcere cæco.

Quibus poeta quatuor animi perturbationes complectitur, quę ex intemperantia ortæ mentem hominis turbulentam efficiunt atque inquietam, miriſque modis exagitant. Poſtremò ad illa dirigamus oculos, quę iſtis omnibus ſpeciem præbent, formæque præſtantiam inducunt, hoc eſt, formandi figurandique fœtus artificium excutiamus, quod tale tantumque eſt, vt quiuis etiam à re medica alienus in eo excutiendo vires ingenij acriter debeat intendere: huiuſmodi enim res ſcire, & perſcrutari cuiuſuis intereſt, cùm in ſe ipſe verſetur, atque in ſui contemplatione quieſcat. Siquidem quum homo ex corpore & anima conſtet, & conflatus ſit, ipſumque corpus animæ ſit inſtrumentum, per quod actiones ſuas perficit, cui non ſumma eſſe debet vtriuſque partis cura, & obſeruatio? quis non vtriuſque incolumitati optimè conſultum cupiat? præſertim quum alterum ſine altero conſiſtere nequeat, ſuaſque functiones, & munia inoffensè obire, namque alterius ſic altera poſcit opem res, & coniurat amicè. Eſt quidem corpus pro tempore caducum, & mortale: ſed quum ſit animi vas, & receptaculum, illiuſque miniſterio vtatur, Deus id quoque deſtinauit æternitati, ac per reſurrectionis myſterium eiuſdem muneris voluit eſſe particeps, nempe immortalitatis.

Affectuũ tyrannis.

Conſenſus animi & corporis.

Horat. in Arte poetica.

NATVRALISSIMVM procreare ſibi ſimile, eoq́; reuerenter vti debent homines tanquam diuino munere, Deiq́; inſtituto.

CAP. III.

POSTQVAM Deus cœlum, ac ſublunarem hunc mundum condidiſſet, omniaque tam mirabili ſapientia atque artificio conſtruxiſſet, vt nihil ad neceſſarios vſus, ad commoditatem, atque ornatum deeſſet, viſus eſt illi deſiderari aliquis, cui iſta eſſent vſui, quique ſe his oblectaret, ac frueretur. Itaque completo, perfectoque omni naturæ ornatu, hominem in mundum tanquam in ſuam poſſeſſionem produxit; illique, ne vitam inamœnam degeret, in adiumentum, ac ſocietatem mulierem adiunxit, inſeuitque vtrique vim amoris, ac procreandæ ſobolis auiditatem, humore ſpirituq́; turgido, atque organis idoneis ad eum vſum preparatis: & ne alter alterius contactum exhorreſceret, addidit illecebras, ac mutui complexus appetitionem, vt cùm ſe inirent, ſuauiter illos affici, miriſque modis deliniri contingeret, ſiquidem niſi omnis generis animantibus hoc eſſet natura inſitum, vt poſteritati conſulerent, ac propagationi inſiſterent, concideret, & collaberetur genus humanum, nec diu poſſent ſubſiſtere res mortalium. *Coniugij inſtitutio à Deo.*

Omne adeò genus in terris hominumq́;, ferarumq́;, *Georg. 3.*
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq́; volucres
In furias, ignemq́; ruunt: amor omnibus idem.
Quid iuuenis, magnum cui verſat in oſsibus ignem
Sæuus amor? nempe abreptis turbata procellis
Nocte natat cæca ſerus freta, quem ſuper ingens
Porta tonat cæli, & ſcopulis illiſa reclamant
Aequora, nec miſeri poſſunt reuocare parentes.

Quum

Stimuli Veneris varij. Quum itaque tam validus ſit is affectus, tamque indomitus, vt ægrè poſſit coërceri (nec enim omnes ſuis cupiditatibus æquè norunt moderari) indulſit homini Deus Genialem legitimumque thorum, vt ſaltem intra illius limites conſiſterent, nec vago ſe concubitu contaminarent, qui dono continentiæ ſunt deſtituti. *Deus cur coniugium instituit.* Poſtquam igitur peracto concubitu mulierem conceptu impleri contingit, magna ſubſequitur naturæ ſolertia in fouendo, ac coagulando fingendoque vtriuſque ſexus ſemine, quo ſtato tempore, exactoque nouem menſiū decurſu emergat dominator ille, ac totius vniuerſitatis decor homo. hanc ſpem dubiam, ac rudimentum naturæ hominem effigiare condiſcentis, appoſitiſſima ſimilitudine expreſſit Iob: *Iob.10.* Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti; pelle & carne circūdediſti me, oſſibus & neruis me compegiſti, tuoque beneficio vita mea ſubſiſtit, ac tua virtus fulcit ſpiritum meum? Huic affinis eſt ſapientis Hebræi ſententia, qua vitæ ſuæ primordia in hunc modum deſcribit: *Sapien.8.* Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis reliquis terrigenæ protoplaſti ſoboles, atque in vtero matris figuratus ſum caro, decem menſium ſpatio coaleſcens in ſanguine, ex ſemine hominis, ac delectamento, ſubſequenteque ſomno. *Hominis primordia quæ.* Idem quoque & ego genitus hauſi communem aerem, ac ſimili modo prodij in lucem, omniumque hominum more ploratum edidi, atq; à lachrymis vitam ſum auſpicatus. Ex quibus intelligimus, cùm in omnibus, tum in excitandis propagandiſque liberis omnia naturæ ordine, ac moderatè inſtituenda, vt ex Hippocratis & Galeni ſententia, motus ſeu exercitatio cibum præcedat, cibum ſequatur Venus, ſomnus Venerem, qua expleta facultates naturales in elaborando fœtu partes ſuas obeunt, ac laſſitudo ex concubitu contracta, *Moderatè omnia instituenda.*

tracta, obdormienti ſtatim remittitur, adiuuante ſimul ſomno concoctionem: ſomnus enim ad concoctionis celeritatem eſt adiumento. Cæterùm, quod ad generationis noſtrę principia attinet, magna ſolet agitari quæſtio, Conferat ne ſemen ad fœtus generationem mulier? An conferat ad formæ ſimilitudinem, ſexuſque diſcrimen virile robur? De effigie formæque ſimilitudine primùm mihi inſtituetur diſputatio, poſtmodum de muliebri ſemine, & quantum ad fœtus procreationem conferat adiumenti. Id eò ſum facturus accuratius, quòd apud noſtrates non deſint lenæ quædam, quę perſuadere conantur fœminis, quàm minimum conferre ad generationem fœtus matres, ſed tantùm geſtationis tædia obire, nouemq; menſium faſtidia tolerare, quaſi conductitium vterum offerrent viris, cui tanquam naui onerariæ ſuas merces inferant, ſuamq; ſentinam deponant. Qua perſuaſione efficitur, vt matribus erga ſua pignora amor tepeſcat, omniſque humanitatis affectus, qui huic ſexui peculiaris ineſſe ſolet, penitùs exuatur. Quas ego quauis infamia dignas potiùs deputo, quam patiar in vllo honeſtarum numero cenſeri. Quod ſi exempla in has edenda ſunt, catamidiari, hoc eſt, publicitus ſpectaculo eſſe merentur, ac contumelia probriſque affici His enim imputandum, quòd nonnullæ in ſuos inhumanæ ſint, ac crudeles, ſuoſque fœtus, vel exponant, vel deſertos patiantur. Quę ſęueriores ſunt, ac magis feroces, quàm tigrides, leopardi, vrſi, pantheræ, aliæque brutę pecudes, quæ multum operæ impendunt alendis, fouendiſque fœtibus, quod etiam in alite domeſtica gallina commonſtrauit Seruator, adeò vt animantia quæque pro catulis ſuis dimicent, ac ſe periculo exponant vitæque diſcrimina illorum cauſa animosè adeant, Vidimus autem hiſce vernis menſi-

Fœminis multū tribuendū in procreatione liberorum.

Catamidiari quid.

Matth.19.

Ex animātibus naturæ vis perſpicitur.

menſibus trecentarum ouium gregem, quum balantes fœtus ſcapha è littore auectos, matrumque vberibus auulſos, non deterritæ maris ſæuitia, incredibili affectu proſequerentur, accedente Oceani æſtu, ad vnam omnes fluctibus oppreſſas. Quo exemplo commonitos velim, & documenta ſumere improbos, atque inhumanos progenitores, qui aut nihil prorſus, aut lánguidè, & oſcitanter erga liberos, erga chara ſua pignora afficiuntur, quum inertia, mutaque pecora, mactationi, ac lanienæ deſtinata, non vulgarem affectum, ac propenſi animi teſtificationes erga ſuos proferant.

Exhortatio ad humanitatē ex animantium affectu.

DE ſimilitudine natorum cum progenitoribus. Et qua ratione, quæ foris incidunt, infanti communicentur, multarumq́; rerum formas ex matris imaginatione concipiat.

CAP. IIII.

CONSTANS eſt apud medicos, multiſque rationibus cōfirmata opinio, ſi mulier ſemen conferat affluētius, matri infantem aſſimilari: ſin viro profluat exuberantius, patri: quod ſi ex æquo partiq; menſura, ac collatis viribus cōtribuant, vtrique aſſimilem eſſe, vel parte vná patrē, altera matrē referre, deniq; ſi in dextrum vteri ſinū deriuetur, atque è dextro teſte promanet, caloris ratione marem perferri: ſi verò è ſiniſtro, atq; in leuā partem inclinet, ob loci frigiditatem, atque humiditatem, fœmellam procreari: nonnunquam, Lactantio teſte, cùm fortè in leuam partem vteri viri ſemen inciderit, mas quidē gignitur: ſed quia in parte, quæ fœminis procreandis deſtinata eſt, conceptus perficitur, aliquid in ſemiuirile habet, ſupra quam viri decus patiatur, vel formam venuſtam, vel nimium cando-

Seminis efficacia in ſimilitudinis ratione

Li. de opifi.

Lactantij ſentētia de ſimilitudinis ratiōe.

candorem, vel corporis læuorem, ac mollitiem, vel vocem gracilem, atque exilem, vel mentum glabrum, nullaque barba decoratum, animum denique minus viridem: rurſus ſi in partem dextram fœminei ſexus ſemen defluxerit, fœminam quidē procreari contingit: ſed quoniam in aliena parte concepta ſit, habet in ſe aliquid virilitatis vltrà quam ſexus ratio permittat, vt valida membra, nimiam proceritatem, colorem fuſcum, faciē hiſpidam, vultum indecentem, vocem robuſtam, animumque virilem, atq; audacem. Quò fit, vt iſtiuſmodi conſtitutionis mulieres excuſſo iugo imperium in viros exerceant, tantumque ſibi in adminiſtrandis reb. aſſumant auctoritatis, vt viris ne hiſcere quidem aut mutire liceat. Hęc aūt & pleraque alia, quæ de ſimilitudinis ratione adferri poſſunt, licet ſint vero cōſentanea, magnaq; ex parte ſic res euenire ſoleat: pręcipua tamē effectus huius cauſſa in tacita mulieris imaginatione conſiſtere mihi videtur. Siquid enim illa animo concipit, aut in obuia quæque inconuenienter defigat oculos, mentique imprimat, ea plerunque infans in extima parte repræſentat. Sic inter amplexus, & ſuauia, ſi mulier oculos, ac cogitationem in viri vultum dirigat, aut quidem alium præſentem imaginetur, huius effigies in fœtu ſolet elucere. Ea ſiquidem eſt imaginariæ facultatis vis, & potentia, vbi mulier fixius quid intuetur, vt ſimile quiddā conſpectis emoliatur, adeò vt infanti varias rerū formas induci contingat, ac næuos, lentigines, lituras, verrucaſque imprimi, quæ non facilè elui poſſunt, aut emaculari. Sic noſtrates matronæ ex leporis obtutu infantes edunt, labello ſupremo bifido ac bifurcatim diſſecto. Simili ratione nonnulli ſimis exiſtunt repandiſq; naribus, ore diſtorto, labris indecorè prominentibus, totoque corporis ha-

Virago vnde nomen ſortita.

Mulier quæ magis imperioſa.

Imaginatio mulieris quid moliatur.

Leporina fiſſaq; labra vnde.

bitu deformi, quòd mulier conceptus, ac geſtationis tempore, oculis, totaque mentè, ac cogitatione in monſtroſas quaſdam ſpecies fuerit defixa.

Arte mutatur ſpecies & color animantiũ.
Geneſ.30.

Tale quiddam in reliquis animantibus elaborare ſolēt naturæ artifices obiectis ſub ipſo conceptus momento variarum rerum coloribus. Quo ſtratagemate, aſtuque vſus Iacobus, cui poſt modum Iſrael nomen inditum, paſſim ſtratis obiectiſque virgultis, quibus cortices ademerat, maximam gregis partem cū ſe inirent, maculoſo tegmine, varioq;. ac verſicolore vellere præſtitit. Sic picturatas àlites, ſic canes, equoſq; ſcutulatos, ac guttatos perficimus. Quod naturæ artificium, omneſque ſimilitudinis rationes ac cauſſas exactiſſimè expreſſit his propemodum verbis Plinius : ſimilitudo in animo, menteque, eſt reputatio, in qua multa creduntur fortuita pollere, viſus, auditus, memoria, comprehenſæ hauſtæque ſub ipſo conceptu imagines, tum ſubitò oborta cuiuſque rei cogitatio effingere ſimilitudinem, formaſque miſcere creditur hinc alios auorum, aliōs patrum, pleroſque autem cognatorum effigiem oſtentare. Ideoque plures in homine, quàm in reliquis animantibus differentiæ ac diſcrimina, quoniam cogitationum velocitas, animique celeritas, atque ingenij varietas multiformes notas imprimit, quū cæteris animantibus animi ferè ſint immobiles, ſtabileſq; atque in ſuo cuique genere ſimiles. Quò fit vt mulieris imaginatio alienam formam, atque aſcititiam effigiem infanti inducat, nullaque in parte gignenti ſimilem. Sic mulier quædam quum extra legitimum thorum ſe alteri proſtituiſſet, metuens ne inopinato, ſubitoque mariti interuentu opprimeretur, exactis nouem menſibus infantem enixa eſt non adulteri, cuius furtiuo vſa erat concubitu, ſed abſentis mariti prorſus ſimilem. Qua de re

Lib.7.c 12.
Plinij ſententia de ſimilitudinis ratione

extat

extat per quàm lepidum Epigramma diſertiſſimi viri Thomæ Mori, quod quum huic argumento mirè congruat, non grauabor adſcribere.

Quos ante coniunx quatuor
Natos Sabine protulit,
Multum ecce diſsimiles tui,
Tuos nec ipſe deputas.
Sed quem tibi puellulum
Enixa iam nuperrime eſt,
Solum tibi ſimillimum
Pro quatuor complecteris,
Adulterinos quatuor
Vocas, repellis, abdicas.
Atqui graues tradunt Sophi
Quodcunque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Eius latenter & notas
Certas, & indelebiles
Modoq́; inexplicabili
In ſemen ipſum congeri.
Quibus receptis intimè
Simulq́; concreſcentibus
A mente matris inſitam
Natus refert imaginem.
Quum tot abeſſes milibus,
Dum gignit vxor quatuor,
Quòd eſſet admodum tui
Secura, diſsimiles parit.
Sed vnus omnium hic puer
Tui refert imaginem.
Quod mater hunc dum concipit,
Sollicita de te plurimum,
Te tota cogitauerat,
Dum pertimeſcit anxia,
Ne tu Sabine incommodus,
Velutq́; lupus in fabulam
Superuenires interim.

Quò fit vt inefficax ſit argumentum, ac prorſus inualida, parumq; firma aſſeueràtio, quæ in deſignãdo parente ex ſimilitudinis ratione ſumitur. Neq; enim naturæ lex, aut publicus orbis conſenſus, ob ſimilem formam, atque effigiem cuiquam prolem addici patitur. Cæterùm quod ad ingenia, ad mores, ad ſtudia, animiq́ue propenſiones attinet, quotidiana exempla demonſtrant, liberos, vt quibus omnis vis animi, ac vitalis ſpiritus ex facultate ſeminis eſt infuſus, pari propemodum eſſe conditione cum progenitoribus, eandemq́ue cum ijs naturam ſortiri. Verùm hac in re plurimi refert intenſius, aut remiſſius re Venerea affici, illiq; incumbere. Sunt enim pleriq; minus ſalaces, minuſq; feruidi, & qui non magnopere hanc monomachiam, hoc eſt, ſingulare certamen expetant, imò hoc luctamen detrectent potius. hi quò vxoribus gratificentur, eaſq; pacatiores, magiſq; commodas experiantur, penſum concubitus, ſeu debitum, vt Paulus vocat, perſoluunt quidē, ſed languidè & oſcitãter. Quò fit, vt fœtus à parentum natura, ac morib. inſitaq; generoſitate deſciſcat. atq; hinc ſapientes aliquandò ſtupidos, atque inertes, parumq́ue ſanæ mentis liberos procreant, quòd huiuſmodi voluptatib. non magnopere afficiantur. Quũ verò progenitores in Venerē incaleſcunt ardētius, ac cumulatè affatimq; conferunt, plerunq; euenit, vt liberi eoſdem mores, ac ſtudia motuſq; animi ac geſticulationes exprimant, parentumq; indolē repræſentent. Vt enim alites eandem cum parente naturam ſortiuntur, eundem in pennis colorem referunt: ita liberi progenitorum mores exactè exprimunt, eademq; cum ijs ſunt naturæ eſſentia. Sic quæ parenti ſigna genitiua impreſſa ſunt, eadem filijs ineſſe conſueuerunt. Siquidem ex Horatij ſentētia, Carminum libro quarto, Ode quarta,

Similitudo nemini prolem aſſerit.

1. Cor. 7.

Sapientes quur aliquãdo ſtultos procreant.

Simile ab alitibus.

For-

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et quoniam inſtitutio naturæ dotes perficit, atque errores corrigit, vitiaq; eximit, commodū adiecit:

Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectiq; mores pectora roborant.

Chremes quoque Terentianus ex maternis moribus filium æſtimat. Sic enim cū Soſtrata Heautontimorumenos actu quarto, Scena tertia, rixatur:

Is quod eſt conſimilis moribus,
Conuinces facile ex te natū. tui ſimilis eſt probè.
Nā illi nihil vitij eſt relictū, quin id itidē ſit tibi.
Tum præterea talem, niſi tu, nulla pareret filiū.

Et quidem ita natura cōparatum eſt, idq; magna ex parte vſuuenire videmus, vt filij ſint paternorum morum æmuli, parentumque veſtigijs inſiſtant, ſic vt plerique ſectētur aleas, ſcorta, popinas; nonnulli tamen parentum induſtria atque educationis beneficio ad ſummam virtutem emergunt, ac ad optimam frugem ſe conferunt. Quamobrem ſedulò cuique elaborandū eſt, vt ita affectibus moderetur, vitæque curſum, ac victus rationem inſtituat, ne vel ſibi quicquam incommodi inferat, vel aliquo vitio ſuos contaminet. Siquidem ex patris ſemine, maternique ſanguinis profluuio atque affluxu multa ad poſteros ſolent diriuari. Eadem enim vis & natura, quæ parentum ſemini ineſt, in natos diffunditur, ac tranſuaſatur. Sic ex Catulli ſententia.

Mali corui malū ouū.

Natura ſequitur ſemina quiſque ſua.

Parentum morbi ac vitia in proles redundant.

Quum autē ſemen ex præcipuis partibus defluat, omniumque membrorum in ſe naturam viresque complectatur, fit vt quæ vitia vlli parti inhæſerint, ea

ea hæreditario iure proles ſortiātur. Sic qui elephā tiaſi, quæ vulgò lepra dicitur, epilepſia, podagra, chiragra, morbisque alijs contagioſis ſunt inquinati, iiſdem vitijs ſuos imbuunt. Et quoniam maternus ſanguis præcipuum fit fœtus alimentum, & ſecūdaria procreationis origo, plerunque euenit, vt plus labis ex matre contrahant, ſiue corporis habitum, ſiue animi mores ſpectes. Sic improbæ apud nos, temulentæ, ac ſtolidæ liberos producunt ſibi prorſus aſſimiles, vitijsque maternis affines. Materna autem macula plus officit liberis, quàm paterna, quod ad expugnatam pudicitiam, aut cōmaculatum Genialem legitimumque thorum attinet, vel ob bibendi conſuetudinem ac temulentiam, aliamque improbitatem ſpectat. Nam ſi vir aut adultus iuuenis nulli addictus, nec coniugio alligatus ex puella quadam prolem ſuſcitet, id laudem propemodum meretur, non vituperium: quū vulgò dictitare ſoleant tuto huiuſmodi homini poſſe elocari filias, nempe non infœcundo aut effœto, nec deploratæ ſterilitatis, vt qui iam ſpecimen ediderit progenerandæ ſobolis, quū fœmina aut puella nubilis, maturaq; viro, ſi id factitet, aut tale quiddam admittat, vbi vri aut prurire cœperit, illam exiſtimationis iacturam, hoc pudicitiæ detrimentum patiatur, vt vix cerdo infimæq; ſortis homuncio ſe illi addicere ſuſtineat: aut ſi tale quiddam aggrediatur, confeſtim proſtituti corporis vitiū exprobrat. Ita vbi ſemel pudicitia vlli virgunculæ excuſſa eſt, atque expugnatum virginale clauſtrum, abditaque embolia reſerata ſunt, nunquam ea labes ac macula elui poteſt, nunquā hic hiatus reſarciri. Siquidem vt is ait,

Ex muliere maior mali pars in natos deuoluitur.

Embolia ingreſſus ſecretior ab immittendo.

Nulla reparabilis arte
Læſa pudicitia eſt: deperit illa ſemel.

Quo ſpectat illud Plauti in Amphitrione: Nō ego illam

illam dotem duco eſſe,quæ dos ducitur, Sed pudicitiam,& pudorem, & ſedatum Cupidinē, Deū metum,parentum amorem,& cognatum cōcordiam. Quapropter præter alios ſapiens ille Hebræus ſtudioſe cōmonefacit progenitores, vt vigilāter proſpiciant filiarū ſuarum pudicitiæ atq; honeſtati, ne illas conſuetudine improborū contaminari cōtingat,aut vllā maculā concipere.Eſt enim is ſexus natura fragilis,atq; ad ruinam propenſior. Quum itaque plurima ſint, quæ moribus vitæq; integritati officiunt,nec minus rata,quæ effigiem formāque corporis dehoneſtant,danda cū primis opera, ne quid incidat quod animum deprauatis moribus,corpus monſtroſa aliqua ſpecie poſſet deformare. Et quoniā corporis ſpecies formæq; elegantia omnib. grata acceptaq; eſt,accuratè obſeruanda ſunt quæ ex naturaliū cauſarū progreſſu,formę gratiam,vel conciliant, vel adimunt. Ea quum in muliebri imaginatione,atque ijs, quæ foris obueniunt,potiſſimè conſiſtunt, enitendum ne quid illi ſexui verſetur ob oculos, ne qua obrepat abſurda cogitatio,quæ in elaborando fingendoque fœtu aliquid adferat detrimenti.Si quid enim alicunde mali ingruat,ſi quis incidat terror, aut ex re obuia trepidatio,confeſtim omnis affectus & cōſternatio in fœtum decumbit, ſpiritibus naturalibus atque humoribus eò conuerſis, totaque muliebri facultate in tale quiddam effigiando occupata. Vehemens ſiquidem fixaque cogitatio,dum rerum ſpecies vehementer mouet,atque identidem verſat,formam figuramq; quam aſſidua imaginatione reuoluit,fœtui imprimit, atque illi rei cogitatæ figurā inducit. Spiritus enim interni atq; humorū affluentia rei excogitatæ pingit formatque imaginem. Nec verò temerè aut ex nulla cauſa eſt, quod nonnulli enormi ſunt corpore,aſpectu tor-

Eccle.7.

Mulier geſtans vterū affectib. expoſita.

Vnde corpore deformes.

uo,atque inamœno, protuberantibus inflatiſque buccis,ore diſtorto,rictuque indecenti. quum hęc eò eueniãt,quòd grauidæ huiuſmodi ſpectra ac ſimulachra cogitatione menteque conceperint,aut oculis intentius in illa fuerint defixæ:ſic nihil mihi æquè improbari ſolet apud laſciuiores mulierculas,quàm quòd catellis ſimijſq; ſeſe impenſius oblectent,quodq; illos ſinu geſtant,fouent,demulcent, baſiant,blandeq; contrectant. Horum enim conſuetudine & aſpectu natura fœminarũ imperfecta neſcio quid alienæ formæ animo menteque concipiat,ac fœtui inamabilem minuſq; ſpecioſum vultum affingat. Sic apud Belgas catelli quidam Melitæi in delicijs habẽtur Heroinis, Camuſij vulgo à naribus dicti, puſillo corpore,colore niueo, naribus medio ſimis ac depreſſis, pinna eorum reſupinata, cauda non in aluum reflexa, vt ignauis canibus,quas hybridas vocant, ſed erecta atque in ſublime falcata, oculis mirè patulis, ac protuberantibus,vtrinque lippitudine vitiatis, fractis eneruatisque cruribus ac circa pedum ſuffragines repandis, poſtica verò corporis parte glabra,& quam nulli pili conueſtiunt, ſic vt podicem indecenter conſpiciendum præbeant, eiuſque rei cauſſa ſpectantibus ſubinde obuertant. Hoc animalculum, quoniam membris moribusque ridiculum eſt, multaque obtinet,quæ gignentis natura in ſe quoque poſſet transformare,ablegandum cenſeo, ne, quas imprægnari contingit, aliquid deformitatis aſciſcant. Hanc autem monſtroſam formam, membraque tam deformiter diſtorta, non ſunt natura nacti, ſed hominum opera,qui caueolis includunt, ſubductoque alimento cogunt gracileſcere,quemadmodum virgunculis,vt eſt apud Terentium,cibum ſubtrahunt, quò reddant iunceas, ne, ſi qua paulò ſit habitior, athleta videatur.Sic circun-

Mulieres immodicè canibus afficiuntur.

Catelli Melitæi.

circunforanei circulatores iuuenculis membra intorquent, quò in obeundis ſaltationibus ſint agiliores. Nuper nebulo quidam oppidatim ſpectandum obtulit infantem inuſitatæ magnitudinis capite, reliquis membris non correſpondentibus vlla proportione. Quod vitium vbi ex morbo contrahitur, non arte aſcitum, vt hoc erat, hydrocephalon medici vocant, ob caput, ſcilicet aqueo humore turgidum. Huius cùm picturā modo ſpectaſſet grauida quædā, tum inſolito ſpectaculo attonita exacto geſtationis tempore, non ſine vitæ diſcrimine infantem edidit fungoſo, ſtupendæque magnitudinis capite, cui hoc etiam acceſſit mali, quòd inter nutricis amplexus magis, magisque extumeſceret, atque ad molem inſignem protuberaret. Quod mihi queſta eſt mulier oblato puero, cuius cùm caput hinc inde prementibus digitis leuiter contrectarem, puluini more ſubſidebat modo cutis, modo aſſurgebat. Huiuſmodi aūt ſpectacula non prægnantibus modò ſunt euitanda, ſed omnibus etiam, quibus horum conſpectus, & imaginatio nocturnam quietem poſſit vel intercipere, vel turbare. quod ferè vſuuenire ſolet pueris, ægrotis, ſeniculis, melancholicis, quibus tamen monſtrificus rerum aſpectus minus incommodat, quàm mulierculis, quæ oblatis huiuſmodi ſimulachris ſimile quiddam in vtero effingunt, ac moliuntur. Quum enim omnes vires, ac naturales facultates totæ ſint in formando, fingendoque fœtu, fit vt muliere aliquo malo perculſa, omnes humores, ac ſpiritus ad ima ferantur, atq; in vteri ſeceſſum confluant, quibus quum accedit, inhærens, pœnitusque menti infixa, conſpectæ rei imaginatio, vis ipſa, quæ formationi inſiſtit, eam formam, ac ſpeciem, quam animo concipit, effigiat, ipſique fœtui inducit. Neq; enim temerè eſt, quod dici-

Rei geſtæ enarratio.

Hydrocephalon quale capitis vitium, vulgò, bolhooft.

Vnde pueris nota imprimātur, & deformes ſpecies.

Prouerbiũ vulgare ex imaginatione deſumptum.

dicitur, Imaginatio facit caſum ſimili ratione, ſi ſorex, ęlurus, muſtela, aut tale quiddam inopinato corpori inſilijt, aut fragra, corna, ceraſa, baccę, vuęque acinus vlli parti inciderit, confeſtim notam imprimi contingit, illique membro huiuſce rei imprimi veſtigia: niſi forte mulier in ipſo momento, quo hæc corpori ingruunt, ſubito abſterſo membro, poſticæ, aut remotiori parti corporis manum admoueat. Quo facto confeſtim auertitur malum aut contactæ parti nota infingitur, tota imaginatione ac facultate naturali eò conuerſa.

Quando mulier ex facie in femora aut nates næuos transferat.

De abſurdo prægnantium appetitu, atque inſatiabili rerum deſiderio, quibus ſi contingat fruſtrari, periclitantur.

CAP. V.

SVPERIORIS narrationis ſeries exigere videtur, vt de prægnantium malacia, rerumque inſatiabili appetentia pauca diſſeram. Quandoquidem in ſimili ferè ratione hæc ipſa conſiſtunt. Circa tertium à conceptu mẽſem vitium grauidas infeſtat, Græcis κίττα, Latinis pica dictum, in quo ob vitioſos frigidosq; humores, atque acidam pituitam, qua ventriculus imbutus eſt, carbones, putamina, cretam, teſtacea, aliaque eſui inidonea auidè concupiſcunt. Quod malum potiſſimè inualeſcit, quum infanti crines erumpere incipiunt, ac fœmellam geſtant. Siquidem ob caloris penuriam, humores pituitoſi minus concoquuntur. Quo fit, vt flatus crebrique ructus ac fluctuationes fœminas moleſtent. Huic affinis mulierum malacia ſeu mollicies, cui viri etiam ac febricitanes plerunque ſunt obnoxij. Prægnantes autem quæ hoc vitio tentantur, tam inexplebili tenẽtur rei alicuius deſiderio,

Pica morbus vulgò vremdelust.

ſiderio, vt ſi denegetur, aut potiri nequeant, cùm ſe, tum fœtum in præſentaneum vitæ diſcrimen adducant. Id malum Belgicæ nationis matronas magna ex parte corripit: quòd ſint humentis frigidæque naturæ, ac prauo nutrimento alantur. Non defuerunt noſtra memoria, quæ conſpecto viro quondam thoroſo, ac corpore ſucculento, morſu huius appeterent armos. Quod ipſum cuidam grauidæ, quò illius deſideriū expleret, & ne quid incommodi accideret, haud grauatè admiſit: itaque illa dentibus partem auulſit, crudamque paululùm modò mandibulis confectam deuorauit. Illa verò necdum ſatiata, iterato tentauit, atque vir illam repulit, nec denuò in corpore ſuo pati lanienam ſuſtinuit. Quæ confeſtim mœrore tædioque affecta, parturire occipit, ac quum geminos geſtaret, alterum viuum, alterum quòd eodem pulpamento fruſtrari contigerat, mortuum edidit. Huius non alia mihi ratio excogitari poſſe videtur, quam quod contracto mœrore mulieris animo ſpiritus vitales imminui, atq; humores fœtui alendo deſtinatos alio auerti, nec ad vterum deferri contingat, ſic vt infans alimento, quo illum mater expleri voluit, deſtitutus vel elangueſcat, vel emoriatur. Quum enim meatus & conceptacula, per quæ deriuari dirigiq; commeatus in vterum ſolent, occludantur, fruſtrari alimento infantem eſt neceſſe, ac vita priuari. Quod ſi prægnans validæ ſit naturæ, ſuiſque affectibus obſiſtere norit ac mederi, non omninò extingui, ſed valetudinarium infantem eſſe contingit. Ex his abundè perſpici poteſt, quid efficiat mulieris imaginatio, quid rei obiectæ ac mente conceptæ deſiderium in formando fingendoq; fœtus corpore. Quamobrem non præter rationem artis mihi facere videntur, qui minus rigidi, nonnullis licet aliena appetant,

Humidæ mulieres exotica appetunt.

Rei geſtæ narratio.

Mulier prægnans incōmodum ſentit ex denegatis eduliȷs.

Aegrotis quando in eduliȷs gratificandum

nonnunquam admittunt, modo ne magnum detrimentum corpori ſint allatura. tali enim victus ratione aliquando diuturnos chronicoſque morbos diſcutimus. Sic vbi ægroti longis morbis conflictantur, non admodum difficilem aut refractarium præbere me ſoleo in ijs admittēdis, quæ ſumma auiditate ac quodammodo blandimētis, tum velut precario expoſcūt, quum impēsè ea cupiunt, magnaq; alacritate, atque auidè aſſumunt, vt excitato calore naturali, inſitiſque facultatibus irritatis atque excitis, concoqui infixos corpori humores contingat ac meatibus recluſis diſſipari. Itaque ex Hippocratis auctoritate nonnunquam ægrotis gratificari ſtudeo, ad eaq; muſſare ac conniuere, quę non magnam noxam corpori inferūt. Siquidem (vt is ait) paulò deterior cibus, & potus, modo ſuauior mulieribus quidem, ſed minus ſuauibus præferendus. Quæcunque enim ſapidiora ſunt, palatoque gratiora, & facilius concoquuntur, & plus alimenti adferunt, quòd auidè ſummaque voluptate ea vētriculus amplectatur. Sic noui, qui ex haleculis, quas arengas noſtri vocant, crudis etiam, recensque mari exemptis, quartanas, erraticasque febres diſcuſſerunt. Sic in deploratis morbis, quique ad ſummum prauitatis adaucti ſunt, auidam illam appetētiam non magnopere formido, neque enim in illis admittendis, quorū flagrant deſiderio, me aut contentioſum aut obſtinatum præbeo, ſed adhibito delectu, præſcriptaque vtendi ratione ac modo, catenus hæc illis admitto, quatenus non offectura valetudini confidam, morbumque expugnatum iri conijciam. huiuſmodi enim acrimonia, edendique cupiditate acuitur atque extimulatur naturæ vis & potentia paulò antè ſopita, collectiſque viribus morbum impetit alacrius. Sic morbum morbo, vt clauum clauo

Liber 2. Aphor. 38.

Auiditas omnia ſuauia efficit.

Morbos expugnari ciborum nonnullorum deſiderio.

clauō retundimus, maloque nodo malum adhibemus cuneum. quod ipſum nemini abſurdum videri debet, quum in quibuſdam morbis febrem ſponte excitemus, qui alias futuri erant deplorati. Sic noui qui ex ſubito hoſtium incurſu, incuſſoque inopinato timore quartanam depulerunt. Sic apud nos morbus popularis, qui aliquot milia abſorpſerat, exorta repentina Oceani inundatione, confeſtim conſileſcere, prorſusque ſæuire deſtitit. ingruente enim externo aliquo tumultu humorum collectiones diſſipari, ac morbos oborta critica euacuatione miteſcere, ac ſedari contingit. Atque hinc eſt, quòd ὑδροφόβους, hoc eſt, qui ex canis rabidi morſu & aquā appetūt, & reformidant, inopinato ſubitoq; impulſu aquis immergimus, ac metum metu diſcutimus: nonnullos frigidis morbis oppreſſos irritamus, atque vt incādeſcant, efficimus: quo excitato calore natiuo crudi frigidique humores concoquantur, ac natura ad expugnandum morbum incitetur. *Morbum aliquando morbo expugnari.*

Semen conferre mulierem, totius operis eſſe conforme.

C A P. VI.

QVANQVAM virile ſemen cum primis efficax, agentis motusque ac generationis principium exiſtat: ſemen tamen conferre mulierem, atque efficaciter procreationi fœtus adminiculari ſolidis rationibus commonſtrari, validisque argumentis conuinci poſſe video. Primum, fruſtra illis indita forent vaſa ſeminaria, teſtesque annexi genitales, ſi excremento ſeminali deſtituta mulier, quā minimum conferret, prorſusq; eſſe aſymbola. Quum autem nihil temerè natura ſit molita, neceſſe eſt ad ſeminis vſum, ac propagandi facultatem fabricata eſſe, ſuisque ſedibus ac locis colloca- *Fœminis nō deeſſe ſemē ratione cōuincitur.*

ta,

ta, cùm teſtes, tùm ſeminis conceptacula, quorum vis ac natura eſt ſpermati vim fœcundam, ac prolificam ſuppeditare. Nec ad id conuincendum quicquam adferri poteſt validius, quàm quòd obſeruemus magnos ſuboriri morbos, ſæuaque excitari mulierculis ſymptomata, niſi ſemen concubitu irritatum profluat. Multas ſiquidem videre eſt, tum viduas diſſuetas Veneri, tum virgines nubiles, maturaſque viro, vbi ſerius ad connubiũ expetuntur, erumpentibus etiamnum ſtato tempore menſibus, animi deliquio, atque vteri ſtrangulatione acerbiſſimè infeſtari. Equidẽ omnibus hoc perſuaſum eſſe conuenit, plus detrimenti naturæ inferri ex vitiati ſeminis, quã menſtrui fluoris ſuppreſſione. Nam ſemen corruptum virus contrahit, ac veneni qualitatem adſciſcit. hinc giluus ille, ac muſtelinus virguncularum color, vbi vri, ac pruriri incipiunt. hinc crebra ſuſpiria, cordiſq; tremor & palpitatio, expultrice ſcilicet facultate ad excretionem turgentis humoris incitata. Quod ſi tales ſeu viduas pruriginoſas, ſeu prouectioris ætatis virgines cõnubio deſtinari cõtingat: ac ſemẽ ſubitò virili peſſulo elici, in vſumque procreandi ſobolis depromi, protinus illas efflorеſcere videas, ac faciem roſeo nitidoque colore perfundi, blandas denique atque amabiles, minuſque tetricas ac moroſas, præſertim vbi viros nactæ ſunt, qui valenter munus ſuum obeunt, atque officio connubiali ſtrenuè perfunguntur. Et quanquam in his non conſiſtat legitimi thori ſocietas, nulla tamen re magis deuinciri perſpicimus hunc ſexum, quàm ſi vir hac in re ſæpius vxori obſequatur. Sic enim omnia pacatiora ſunt in ædibus, nullæque ingruunt intemperiæ, nulli tumultus, nullæ tempeſtates. Alioqui ſi rarior ſit cõcubitus, aut vir in præſtanda opera, penſoque abſoluendo langueſcat,

Seminis cohibiti noxia.

Virgines tẽpeſtiuè locandæ.

Puellæ maritatæ reuiuiſcunt.

Mulier concubitus auida.

ſcat, omnem rerum domeſticarum ordinem incerti videas, omniaq; ſurſum ac deorſum miſceri: adeò ſunt auidæ huiuſce voluptatis nõnullæ, vt laſſari citius, quàm ſatiari queant. Quæ mihi potiſſima cauſa viſa eſt, quòd mulier in congreſſu, mutuoque amplexu ſemen conferat, & viro plus voluptatis concipiat. Quum enim natura comparatum ſit, vt genitalis ſeminis excretionem propter turgidi ſpiritus eruptionem, neruorumque tentiginem, ingens comitetur voluptas, ipſaque mulier geminum munus obeat, atque vtroque modo patiatur (elicit enim virile ſemen, ſuumque cum eo commiſcet) veriſimile eſt illam plus geſtire, ac voluptatis concipere, perfundique affluentius. Quò fit vt proles matri ſit plerunque, quàm patri conformior, quòd vires maternæ exuberantius illi ſint impreſſæ: argumento quòd mulieres infantes diligant impenſius, ſummoque ſtudio erga illos afficiantur. Siquidem præter ſeminis excretionem, etiam ſynceriſſimi ſanguinis ſcatebra atq; irrigatione toto geſtationis tempore, fœtus alitur atque augeſcit. Itaq; Galenum in ea eſſe ſententia comperio, vt fœtum plus paulò à matre ſuſcipere, quàm à patre cenſeat: ipſamque ſpeciem ſexusque diſcrimen ad menſtrui ſanguinis affluentiam refert: ſimilitudinis verò rationem ad ſeminis vim ac facultatem. Vt enim ſtirpes plus conſequuntur ex vbertate ſoli, quàm à coloni labore atque induſtria: ſic infans omnia vberius à matre accipit. Primum enim vtriusque ſemina vteri calore fouere contingit ac cõglobari, deinde ſanguine materno adoleſcere, taciteque ac ſenſim incremẽta ſuſcipere. Hinc maxima amoris vis infantib. erga matres propter ſympathiam, hoc eſt, conſenſum, ac naturæ cognationem, quodq; cumulatius maternæ vires illi ſint inditæ. Similiter matres to-

Fœmina viri rum, vt materia formam appetit.

Quur ferè proles matri aſſimiles.

Lib. 2. de ſem.

Simile à ſatis & coloni induſtria.

Quur proles matri addictior.

tæ ſunt philoſtorgæ, hoc eſt, indulgentiori affe-
ctu erga teneram ætatem, quàm patres, qui ple-
runque ſeueriores ſunt, magisque rigidi. Quod
Matt.2. deſignari puto ab Euangeliſta, quum matres in-
Hiere.32. ducit Rachaelis nomine deplorantes infantium
ſuorum calamitatem, tantumque in animo conce-
piſſe vulnus ob filiorum orbitatem, ob deſiderata,
extinctaque tam chara pignora, vt nulla blandi-
menta, nullaque lenocinia, aut verborum ſolatia
Cap.49. admiſerint. Nihil enim ex Eſaiæ ſententia naturæ
Quur mulier quam vir, erga natos propenſior. legibus repugnantius, quàm quòd mulier infan-
tis ſui obliuionem concipiat, exutoque materno
affectu ac pietate, erga vteri ſui filium ſit inhuma-
na, vel leuiter afficiatur. Cæterùm videmus & pa-
tribus ſuam non deeſſe propenſionem, affectum-
que naturalem illorum quoq; mentibus inſidere:
verũ ſerius ſe is in natos exerit. Siquidem adultis
illi magis afficiuntur, ac tum demum illorum re-
bus proſpiciunt, commodisque conſulunt, dum
ſpem aliquam de ijs concipere incipiunt. matres
verò infantiæ potius miſereſcunt; & quia ab a-
lieno, externoque ſubſidio ea ætas dependet, eò
ſtudioſius, pauloque maiori cura illam fulciunt,
eiuſque tutelam ſuſcipiunt, minus rigidæ ma-
gisque exorabiles, quàm patres. Huius rei cauſſa
toties ad remunerationem, ac mutui officij vicẽ
ſacri codices inuitant, quam ciconiarum exemplo
progenitoribus debent liberi, multisq; locis grati-
Matth 23. tudinem, atque hoſtimentum exigunt. Parem af-
Ciconiæ parentib. afficiuntur. fectum videre eſt in gallina, quæ pullos, quos fo-
uit, impenſius amat: & quanquam gallus ouis eam
vim, qua animantur, indidit, nulla tamen cura tan
gitur, nullo erga pullos affectu ducitur. Quod au-
tem vterque conferat, ex gallinarum ouis experi-
Gallinæ incubatio. menta capimus. nam & gallinæ citra galli operam
oua pariunt; at illa ſi foueri contingat gallinæ ſub-
dita,

ſubdita, putreſcere citius, quam animari: quum oua à Gallina edita quam gallus ſubegit, poſt vndeuigeſimum ab incubitu diē alites proferant, adeò vt pipiant etiam, antequam teſtam aut putamen rumpi contingat. Hæc igitur tædioſa matrum geſtatio, qua anni dodrantem puriſſimo ſanguine fœtum alunt ac nutriunt, amor denique erga recens editum infantem, tum ſimilitudo matri plerunque conformis ac concolor, euidenter euincunt ſemen cōferre mulieres minuſq; otioſas eſſe in elaborando formandoq; fœtu, quam viros, qui ingeſto ſemine, expletoq; cōcubitu ſubducunt ſeſe, ac nullā mulieri præſtāt operam, nullum adferunt in perficiēdo fœtu adiumentū: quū interim in tāto menſiū decurſu, multa effingere atq; elaborare debeat vteri muliebris facultas, penituſq; neceſſe eſt. *Gallina oua edit abſque galli opera.* *Mulieres non ſegnes in elaborādo fœtu.*

Multa diu concreta modis inoleſcere miris *Aeneid. 6.*

Vnde ſpecies, ſexuſq; animalis, hoc eſt, viri acceptā ferre conueniat, viróue, an mulieri maſculi vel fœmellæ procreationem.

CAP. VII.

QVANQVAM totius vniuerſitatis opifici omnia meritò ferantur accepta, multa tamen fiunt ex naturæ decurſu, ſuoq; ordine incedunt, atque inſito motu ferūtur. Horū omnium cū Deus ſit auctor, ipſe pleraque immutare ſolet, atq; rerum ordinem & ſeriem inuertere, contraq; naturæ legem alia forma ac ſpecie nō nulla producere. Verbi cauſa, Mulier maſculæ prolis auida, in Deū ſua vota dirigit, fatigatq; precibus atque efflagitat, vt virilē ſexum concipiat, cuius ſupplicationibus Deus annuit, illiuſq; voluntati acquieſcit, atque obſequitur. Exemplo res erit teſtatior: Sara prorſus effœta, & cui iā pridē menſes ſubſtiterant, ex Abrahamo grandæuo prouectæq; ætatis, Iſacū concepit, in quē Deus *Deus præcipua fœcūditatis cauſa.* *Gen. 17.*

totam poſteritatis ſpem ſitam eſſe voluit, omneſ-
que nationes auſpicatum hunc habere ſalutis, aſ-
ſertæque libertatis initium. Anna itidem mœrore,
1.*Reg.* 1. tædioque ſterilitatis confecta, cùm precatur aſſi-
duè ac fœcunditatem expoſcit ardentius, Samue-
4.*Reg.* 4. lem à Deo extorſit. Eliſæi quoque officioſa ſeduli-
tatis hoſpita ad prophetæ preces, filium conſecuta
eſt, quem etiam mortuum ad vitam poſtliminio
Lucæ 1. reuocari contigit. Quin & Zacharias ſenilis, deue-
xæq; ætatis, ſic omnia moderãte diuina diſpenſati-
one, ex Eliſabetha annoſa ac deploratæ ſterilitatis,
Ioannem Chriſti præconem ſuſtulit: Multique alij
ſingularem ſexum à Deo eblandiuntur, quò non
deſit qui in maiorũ hereditatem ſuccedat, in quē
opes atq; heriles facultates deuoluantur. Hæc diui
ni eſſe muneris nemo poteſt ambigere, eaq; pecu-
liarē effectum ex Dei voluntate obtinere. Cæterũ
de ijs nobis inſtituetur ſermo, quæ ex naturalium
cauſarũ progreſſu emergunt, quæq; natura vi ſua
inſititia moliri ſoleat. Ipſa ſiquidē præparat cor-
pus animæ moribus aptum, ſuumq; temperamen-
tum cuiq; accommodat. Quum autem duo ſint
principia, ex quibus corpus humanum coaleſcit
ac generatur, quæque infanti progenitorum ſimi-
litudinem, quæ ſexum inducunt, ſemen quod v-
Seminis vis. trique commune, Menſtruus humor fœminæ ſo-
lum peculiaris: ſimilitudo conſiſtit in virili vel fœ-
minei ſeminis facultate & virib. ſic vt vel vni vel al-
teri aſſimiletur pro affluentia copiaq; collati ſemi
nis. Sexus verò diſcrimen non ad ſemē, ſed ad ſan-
guinem menſtruũ refertur, quod mulieri tantum
Menſtrui liquoris facultas. familiare & cognatũ eſt. nam ſi ſemini ea vis ineſ-
ſet, cùm virile valentius ſit ac calidius, ſemper pa-
trem ſexus referret. Species itaq; ſeu genus animan
tis tribuitur temperamento actiuarum qualita-
tum, quæ conſiſtunt in caliditate & frigiditate,
atque

atque ad ſubſtantiam ſiue naturam materiæ ſubiectæ refertur, hoc eſt, ad menſtrui ſanguinis confluuium. Semen aũt & vim generandi figurandiq́; fœtus ſuppeditat, & materiam ſuggerit: menſtruo itidem & ſimul materia ineſt & facultas. Vt enim ſemen ad materiale principium maximè confert: ſic menſtruum ad potentiale cõducit. Eſt autem ſemen, vt Galenus ait, ſanguis accuratè percoctus à vaſis ipſum continentibus: vnde ſanguis non ſolũ materia eſt generandi fœtus, ſed & ſemen eſt potentia. Quòd verò tum ſanguis menſtruus habeat vtraque principia, hoc eſt, materiam & facultatem aliquid efficiendi, omnibus in confeſſo eſt: ſed ſemen quidem effectiuum fortiſſimum eſt, materiale verò exiguę molis. Menſtruum autem materiale quidem plurimum, potentiale ſiue effectiuum maximè debile. Iam verò ſi materiale gignendi principium, iuxta quod ſpecies animalis abſoluitur, in ſolo menſtruo eſſet ſitum, fœtus vtiq; exactæ eiuſdem cum matre ſpeciei exiſteret: quemadmodum ſi effectiua vis in ſemine ſolum eſſet, ſemper patri foret aſſimilis. Quando verò vtrunq; ambo principia habet, ac prædominatur in menſtruo quidem materiæ copia, in ſemine autem facultatis & roboris: meritò, vt Galenus teſtatur, ſpeciem à matre potius ſuſcipit fœtus, quã à patre: etiamſi ipſius ſemen ad materiale principium conferat, ſed debilius. Similitudo verò, etſi imaginatio in ea re maximum momentum obtineat, nõ tam ad matrem, quàm patrem refertur, licet maior vis ſit in virili ſemine: muliebris enim genitura, cùm facultatem ex menſtruo per nouem menſes prodeuntem aſſumpſerit, tanto exuperat, quanto circa primum congreſſum ſuperabatur. Proprium enim mulieris ſemini eſt, ſuam ipſius ſubſtantiam magis, quàm virilem augere ac

Lib. 2. de ſemine.

Menſtruũ materiam ſuppeditat alendi fœtus.

roborare. Sic fœmina non ſolum materiam ſuppeditat elaborandi fœtus, ſed vim, robur, ac facultatem conceptus perficiendi, licet muliebre ſemen virili familiare alimentum exiſtat humiditatis ſcilicet ac tenuitatis ratione, eoque ad effingendum concinnandumq́; accommodatius. Vt enim ex cera molli ac fluxa, vdaque ac tenaci argilla artificis manus quiduis poteſt effingere: ſic ſemen virile cō miſtum confuſumq́; muliebri ſemini & menſtruo, formationi efficaciter inſiſtit, atque hominis opificium omnibus ſuis partibus abſoluit. Vel ſi ex natura rerum ſumi velis harum rerum comparationem: quod in plātis terra, hoc in conceptu vterus. Vt enim plantarum ſemen terra indiget, vt ex ipſa nutriatur atque augeſcat, ita hominis ſemen matrem, quæ prolis deſiderio afficitur, exigit: cuius humore, ſanguinisq́; ex venis irrigatione fœtus alimentum capeſſit. Ex his conijcito, quanta ſolertia natura vtatur in concipiendo, formandoq́; homine, qui inſita vi ſenſim adoleſcit, tacitisq́; auctibus ad perfectum robur prouehitur. In quo & illud inueſtigatione dignum iudico, qua vi maſculum vel fœmellam muliebris natura effingat atq; emoliatur, quæ facultas mulieri potius, quàm viro aſcribenda videtur abundantioris materiæ ratione, quæ conſiſtit in mulieris ſemine & ſanguine, qua toto geſtationis tempore fœtus alitur atque irrigatur, in eamq́ue molem augeſcit. vt enim virile ſemen cum primis efficax mouendi principium eſt, denique inſtrumentum & velut artifex, quo opificium humanum perficitur. Muliebre tamen ſemen, conferente etiam ſuas copias ſanguine, vberiorem materiam ſuppeditat, quàm vir, eiuſq́; adminiculo fœtus abſoluitur, ſuaque ſpecie diſtinguitur ita, vt vel marem vel fœmellam effingat atque emoliatur.

Simile à cera ac vda argilla.

Terra atq; Vteri comparatio.

De prodigioſis monſtroſisq́ue partubus, obiter quid deſignet Prouerbium QVARTA LVNA *nati, alia ratione, quàm in libello nuper à me edito, tractatum.*

CAP. VIII.

NATVRA humana, eiuſq́ue partes generando homini deſtinatæ, ſi optimè conſtitutæ ſint, nec in his quicquam deſideretur, ſpecioſa quæque profert, ſuiq́ue generis animal producit omnibus numeris abſolutum. Quod ſi quid vitij ſubſit, aut perplexa confuſaq́ue ſint ſemina, aut aliter quã res exigit, conuoluta ac conglomerata generandi principia, multiformes ac prodigioſos partus, mõſtroſosq́ue fœtus efformari contingit. Non deſunt qui ex aſtrorum contuitu, influxuq́; ſiderum, atq; in ſcelerum vindictam multa portenta prouenire contendant. Quod vt vero conſentaneum, ſic ex vitioſa vteri conſtitutione, ex ſordido corruptoq́; ſemine, atq; enormi cõcubitu, magna ex parte hæc euenire contẽderim. Vt enim in opere fuſili ſi materia impura ſit, minuſque defœcata, ſi vaſculum aut receptaculum obliquum, anfractuoſum, hiulcum, anguloſum, diſtortum, rimoſum, voluminibus implicatum, diſſolutum, maleq́ue cohærens, ridiculas imagines, abſurdaq́; ſimulachra, atq; aſpectu horrenda produci videmus: ita ſi loci malè conſtituti ſint, ſi vterus in alterum latus inclinet, ineptaq́ue ſit, ac malè temperata materia, nunquam natura decentem, exactamq́; formam expreſſerit. Sic mulieres Belgicæ potiſſimum quæ oras maritimas accolunt, cũ tumultuoſæ ſint atque inquietæ in peragendo concubitu, alienas, inſuetaſq́ue formas ſubinde embrioni inducunt, nec ſolum molẽ, hoc eſt, rudem, informem, atque inelaboratam

Vnde monſtroſa corpora.

Simile ab arte fuſoria.

Mola matricis.

maſſam, quæ ferri aciẽ reſpuit, proferunt, ſed quiddam deformi ſpecie, quod palpitet, ac vitale exiſtat, formamque inchoati operis obtineat, qualem artifices rudiori penicillo adumbrare ſolent. Nautæ ſiquidem, quibus ferè ſunt addictæ, vbi ex longa, diutinaque peregrinatione, ouantes in portũ ſunt delati, pleniſque velis oſtia ſubeunt; confeſtim vxores ſuas ineunt, nulla habita menſtrui decurſus ratione, nec obſeruato interlunio, Lunæq́; coitu, quo tempore ob menſium defluxum congreſſus noxius eſſe ſolet ac pernicioſus. nequit enim ſemen coaleſcere, nec debitè cum muliebri ſanguine vniri. Quò fit vt genitura vel effluat, vel ſi omnino cohærere contingat, non poſſit natura confuſam maleque cohærentem materiam elaborare. Nec ſolum virorum incontinentia culpanda eſt, verũ & mulierum, quibus cùm iam pridem nõ ſit rei Venereæ facta copia, vltro ſe nonnunquam viris ſubijciunt, atq; auidè ſemen rapiunt, vt famelici cibum, ac Cerberus offam. Eoq́; fit vt vteri facultas aut prorſus à ſpe generandi excidat, proliſque ſucceſſu fruſtretur, aut ſiquid efficere tentet, operique manum admoliatur, monſtroſam quandam formam ab hominis ſpecie prorſus alienam embrioni inducat. Nonnunquam poſt trimeſtre ſpacium fœda illa colluuies effluit, ac fruſtulatim, confertimque erumpit indigeſta congeries, quaſi nauem ſentina exhauriri contingat. Huic affinis eſt effluxus quidam multis torminibus, preſſuriſque mulieribus infeſtus: noſtrates, quod quarta ſilentique luna, cuius vi menſes defluunt, conceptus inchoari cœperit, Lunarem partum, aut populari voce Manckindt indigetant. Perficitur autem ſpurius hic conceptus nonnunquam citra virilem operam ex imaginaria venere in ijs quæ admodum pruriunt, impenſeque ſunt

Intemperãtia Veneris infanti noxia.

Conceptus non naturalis eijcitur.

ſalaces

ſalaces ac laſciuæ, ſic vt ex crebro virorum contuitu contactuque muliebre ſemen cum ſanguine menſtruo conglobari contingat, ac coaleſcere, ipſamque facultatem vteri, atque inſitum calorem rudimentum aliquod animantis meditari. verùm cùm deſit cauſa formalis, nempe viri ſemen opificis rationem obtinens, materia, quam mulier ſuppeditat, alienam, abſurdamque formam aſciſcit. Nonnunquā tale quiddam mutua viri opera conficitur, cū vir quarta Luna, ſilentiq; ſidere, ac quarto à lunæ coitu die, quo menſes defluunt, mulierē ſubigit, non obſeruato naturæ curſu, vt qui fluctui obnititur, æſtuque aduerſo nauigationē inſtituit. Id noſtrates contra lunam micturire prouerbiali figura, Latini Quarta Luna natos vocāt, quòd inauſpicata vitæ principia habeant, præterq; naturæ ordinem ac modum generationis primordia ſint conſequuti. Quò fit vt infelicem plerunque in aggrediendis rebus ſucceſſum obtineant, qui tali ratione concipiuntur. Siquidem cùm erumpentibus menſibus mulieri vir cōmiſcetur, ſiſti fluxum contingit obducto viri peſſulo, labentemque ſanguinem reſilire, ac regurgitari. Cuius experimentum capere licet ex dolijs, cadiſq; vinarijs, atque in ſanguinis è naribus fluxione, in quibus profluentem liquorem immiſſo embolo, licioque contorto cohibemus, ac reſtringimus. Hoc autem nec conſultū nec neceſſe eſt promanantem ſanguinem ſiſtere, cùm virile ſemen tali vligini commixtum nō poſſit purum putumque hominem efformare. Materia ſiquidem eſt improba atque inhabilis, minuſque apta, vt concinnam formam decentemque figuram aſſequatur. Quò mihi iuſta ratione, idque ex Dei præſcripto inhibuiſſe viſus eſt Moyſes, ne quis congrediatur fœminæ huiuſmodi inquinamentis conſpurcatæ. Dici enim vix queat

Virile ſemē opifex factus.

Vulgare prouerbiū Tegen dē Mondt gepiſt.

Simile à dolijs vinarijs

quid labis ac contagij his inferatur, quid detrimenti, quæ valetudinis incommoda concipiant, qui ad eum modum conſtituta fœmina, cupiditatibus ſuis impotentius indulgent, illamque auidius amplexantur. Senſim enim ſerpit contagio, totumque corporis habitum inuadit, atque elephantiaſi, lueque Venerea tacitè inficit. Quod equidem peragit celerius, vbi mulier contagioſo aliquo morbo, quod ferè proſtitutis nunc vulgare eſt, ſit imbuta. Sic enim præſentaneo veneno obuia quæque polluit, contactuque omnia fœdat. Quamobrem non eſt, quod quiſquam magnoperè miretur, vnde tot monſtroſi partus, tam deformes hominum ſpecies, tot paſſim ficoſi, mutili, diſtorti, vari, repandiſque cruribus, tot circa podicem, atque in inguinae condilomata, bubones, tumidæque mariſcæ; quod ad animum verò attinet, tot paſſim ſtupidi, obliuioſi, bardi, blitei, deliri, ſtolidi, rationis inopes, amentes; cùm non aliunde, quàm ex enormi concubitu, atque intempeſtiua Venere, hæc proueniant, vel potius ex vitioſo, corruptoque progenitorum ſemine in poſteros deriuentur. Hinc ſecum quiſque expendat, quàm ſint crudeles in ſua pignora, qui illa tantis malis inuoluunt, quales præ cæteris exiſtunt, qui Quarta luna, hoc eſt, profluente menſium illuuie, concubitum non exhorreſcunt, liberiſque propagandis operam impendunt. Hoc enim efficiunt vt quos excitant liberos, omnibus dotibus, naturæque muneribus, quibus bene nati abundè fruuntur, deſtitutos eſſe contingat. Ad nullas ſiquidem functiones obeundas, ad nulla munia, nullaſque res præclaras ſunt appoſiti. Quod ſi attentare quippiam pergant, nullum habent in rebus aggrediendis ſucceſſum, nullumque optatum aut proſperum euentum. Sunt enim inabſolutæ naturæ,

Menſtruo inquinata intacta eſto.

Bubones inguinis.

Vnde in corpore & animo monſtroſæ ſpecies.

Quarta luna nati.

ræ, vt qui naturales facultates, quæq́ue ad actionem hominibus ſunt adiumẽto, imminuta, mutilaq́ue habent, atque imperfecta, idq́ue non ſuo, ſed parentum errore, qui præter decorum, contraq́ue naturæ ordinem, negotium procreandæ ſobolis ſunt aggreſſi. Quò effectum eſt, vt multa illis ſubducta ereptaq́ue ſint, aut ſaltem parcè & malignè diſtributa, quæ alijs effusè atque affluenter obtigerunt. In animo verò non minus grauem iacturam patiũtur. Sunt enim à communi humanitatis ſenſu prorſus alieni, ſtupidi, obtuſi, inertes, nec præſtantia doctrinæ, nec acumine ingenij, nec inuentionis ſubtilitate, nec conſilio aut prudentia, cæteris vlla parte conferendi. Superioribus annis me vſa eſt medico mulier quædam inſularis, quæ cùm ex nautici generis homine concepiſſet, in tantam, tamque inuſitatam molem illi cœpit intumeſcere vterus, vt non videretur ſuffectura geſtando oneri. decurſo exactoq́ue nouem menſium ſpatio, quod anni dodrantem conficit, accita obſtetrice, primùm magno conatu ac molimine maſſam quandam informem enixa eſt, quam ſuperfœtatam poſt legitimum conceptum conijcio, cui vtrinque anſæ duæ annexæ erant in brachiorum longitudinem ac modum exporrectæ; palpitabat autem, illiq́ue vitale quiddam ineſſe viſum eſt, vt ſpongiæ & vrticæ marinæ quas noſtri Elſchouw vocant, quarum innumeræ æſtate in Oceano fluitant, exemptæq́ue mari diffluunt, ac diutius manibus contrectatæ liqueſcũt inducto pruritu ac mordaci vredine, vnde nomen id obtinuerunt. Poſtmodum monſtrum delapſum eſt ex vtero, adunco roſtro, longo, teritiq; collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate. Id poſt primum lucis intuitum conclaue ſtridoribus implet, atq; vltro citroq; diſcurrens, latebras perſequitur:

Rei geſtæ narratio.

Vrtica marina.

 tur:

tur:tandem mulieres puluinis impetunt, ac ſuffocando perimunt. Hoc monſtri genus, quoniam hirudinis more, ſugillando ſugendoque fœtui infeſtum eſt, ac ſanguinem adimit, Sanguiſugam nominant, vulgo Suygers. Poſtremo mulier hæc plus ſatis delaſſata, non ſine ſummo vitę diſcrimine prolem maſculam edidit à monſtro ita excarnificatam, vt à ſacra lotione quam minimum vitę ſupereſſet: mulier verò ægrè refocillata, quas moleſtias, ac torturas perpeſſa ſit, optima fide mihi enarrauit: illiq; præſcripſi ſaluberrimam vitæ rationem, tum quæ reſtaurandis firmandiſq; viribus ſunt accommoda. Erat enim prorſus elumbis, atq; eneruata. Hæc & pleraq; alia documento cuique eſſe debent, vt in congreſſu mutuo omnia decenter, debitoque ordine peragantur, ne quid incommodi aut detrimenti naturæ cōtingat inferri. Qua in parte acriter increpandi videntur iactabundi quidam, qui nihil non ſibi permittunt in præſtanda Venere, nec vllas leges ſibi præſcribi patiuntur moderandæ voluptatis. Siquidem nulla habita concoctionis, aut cruditatis ratione, nullo noctis aut diei diſcrimine, neglectaque eius rei opportunitate, cum lubet, ſuis cupiditatibus indulgent, ac libidini identidem obſequuntur, tantumque ineſſe ſibi virilis roboris iactitant, vt nulla concūbendi aſſuetudine ſatientur, nulla continuatione laſſeſcant, qui λάσταυροι ignorare mihi videntur, in quem vſum genitales partes homini ſint attributę, vt quas non in fœtificandi vſum, ac propagandi ſucceſſionem, ſed ad obſcœna opera accommodant, atque ad ſterilem infœcundamque voluptatem conuertunt: ſed hi tandem profuſæ effrænisque libidinis pœnas perſoluent, membris, articuliſque podagra, ac chiragra contortis.

Sanguiſugæ in corpore muliebri.

Salaces notantur.

Qua ratione maſculum, qua fœminã procreare poſſit, qui eius rei ſit auidus: obiter ex qua cauſa Hermaphroditi, hoc eſt, vtriuſq; ſexus homines generentur.

CAP. IX.

SI quis procreandi ſexus virilis ſit auidus, aut deniq; fœmellæ deſiderio teneatur, hoc illi in primis perſuaſum eſſe conuenit, iſtarũ rerum ſucceſſum, atq; auſpicata principia à Deo Opt. Max. impetranda, penes quem effectus huius cauſſa præcipuè conſiſtit. Fit enim nonnunquã, conſtantibus etiam beneq; conſtitutis facultatibus naturalibus, vt vel ſteriléſcant homines, vel orbari prolibus contingat: quod Deus per Oſeam his comminatur, qui præter eius inſtitutũ illegitimo concubitu ſe cõtaminant, aut aliundè quàm à Deo, fœcunditatis ſubſidia petunt. Quia, inquit, Baelphegor, hoc eſt, Priapi ſtatuã ac ſimulachrum adierunt, atq; addicti fuerunt turpitudini, auolabit gloria eorum ab vtero, à conceptu, à partu: Dabo eis vuluam ſterilem, & vbera arentia: radix eorũ marceſcet, nec fructum vllum proferet. Quòd ſi genuerint, interimam amantiſſima vteri eorum. Quæ documento cuique eſſe debent, irato Deo omnia inauſpicato tentari, atque improſperum ſucceſſum conſequi. Tale quiddam minatur etiam apud Ezechielem Deus ſuperſtitioſis mulierculis, quòd Adonidem, hoc eſt, Veneris amaſium deflerent, qui ab apro dilaceratus circa inguina, erecta ſtatua quotannis coli cœptus eſſet. Cæterùm ſi his hominibus non ſit infenſus, omniaque ſinat decurrere naturæ ordine, ſuiſque legibus ferri, nihil vetat externa præſidia accerſere, ac naturæ imbecillitati adminiculari, ſiquando ex occulta quadam, ac latenti cauſſa fruſtrari quemquam liberis atque

Deus prima conceptus cauſa.

Cap. 9. Sterilitas à Deo.

Cap. 8. Idolatria & ſuperſtitio infœcũditatis cauſa.

Quæ generandi facultatē perficiant.

inanem ſubire laborem cōtingat. Duo itaque ſunt, quibus potiſſimè concubitus perficitur, quæque ad liberorum propagationem ſunt adiumento: primū humor genitalis, qui partim à cerebro totoq; corpore, partim ab hepate ſanguinis officina diffunditur. Deinde ſpirit⁹ per arterias à corde promanās, cuius vi pudendum erigitur ac rigeſcit, cuiuſque impulſu materia ſeminis foras erumpit, atque eiaculatur. His accedit appetitus ac concubandi deſiderium, quòd vel imaginatione excitatur, vel ex conſpectu contuituque ac contactu venuſtarum mulierum accēditur. Quibus præſidijs quiſquis eſt deſtitutus, eaque vel languida habet, vel inualida, cum primis ineunda ratio eſt, qua naturę lapſus atque error corrigi poſſit, viresque naturales, tanquā luxata quædam aut collapſa reſtaurari. Vt enim ſteriles agros cultura atque induſtria hominū fœcundos effici videmus, ſtirpesque atque arbores infructuoſas adhibita cura vberrimos fructus producere; ita in excolendo hoc fundo ars medica ſtrenuè ſuam pręſtat operam, ſummoq; ſtudio naturæ vitijs medetur, ac velut agrum ſterilem adhibito lætamine reſtibuli fœcunditate inſtaurat: Sic calorē languidum, raros exilesque ſpiritus, ſiccitatem frigiditati coniunctam, partium genitalium, neruorumque imbecillitatem ad temperamentum reducit: obiter omnia amoliri tentat, quæ homini progenerandæ ſobolis ſpem adimunt. Cæterùm cùm alimenta qualitates etiam elementares immutare ſint apta, atq; infelicem corporis habitum ad cōmodiorem transferre: neceſſe eſt, vt eiuſmodi conditionis homines cibis vtantur, quibus natura fœcunda effici poſſit, ac propagationi ſobolis idonea. Inter ea autem quæ Venerem excitant, ac ſeminis generationi ſunt accommoda, cibi numerantur laudabilis ſucci, quique probè nutriunt, ac corpus vegetum

Simile appoſitum ab agri cultura.

Quæ ſemen virile accumulent, ac Venerem incitent.

vegetum reddunt, ac ſucculentum: cuius facultatis ſunt calida & humida. Conficitur enim, Galeno teſte, ſeminis ſubſtantia ex ſincera excoctaque ſanguinis ſuperfluitate, ſimul & flatuoſa. Pleriſq; autem vis ineſt augendi cumulandique ſeminis, non nullis efficacia incitandæ mouendæque tentiginis, atque humoris propellēdi. Edulia quæ materiam ſuppeditant, oua ſunt gallinacea, Phaſiani, turdi, merulæ, ficedulæ. Gallinagines, pipiones, paſſerculi, perdices, capi, pullaſtri, amygdala, nuclei pini, vuæ paſſæ & Corynthiacæ, vina omnia generoſa, dulcia ac meraca potiſſimum quæ ex vua Apiana (quam muſcatulam vocant) exprimuntur; Partes verò genitales erigunt, ac prurigine afficiunt Satyrion, Iringium, Naſturtium, Eryſimum, Paſtinaca, Cinara, Cepæ, Napi, Rapæ, Aſparagi, Zinziber conditum, Galanga, Acorus, Bulbi, Cochleæ marinæ. *Materiæ accumulandi ſeminis.*

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
Excitet vt Veneri tardos Eruca maritos. *Colum. lib. 16.*

Quæ (vt alia pleraque) lumbos incitant, atque homines impendio ſalaces efficiunt. Vt enim Sclopetas ac Bombardas primum puluere tormentario inferciri videmus, ac globis oppleri, deinde adiecto efficaci puluiſculo, fumanti ſtupa vel ignito funali incendi, globumque violento ſtrepitu exturbari: ſic in hoc opere duo concurrere eſt neceſſe, ne irritus ſit conatus, conglobati ſcilicet ſeminis copiam, & vim quandam ſpiritus flatuoſi, qua explodi ſemen poſſit, atque in vteri receſſum recondi. Quòd ſi huiuſmodi machinæ caſſæ ſint, atque euanidæ, aut denique nitroſus hic puluis inſyncerus, atque adulterinus, nullam in proſternēdis mœnibus, diruendisque vallis vim obtinent, nec horribilem vllum ſonum proferunt, ſed exilem *Accommoda ſimilitudo à Bombardis.* *Puluis nitroſus.*

lem quendam ſtridorem, inanemque ſtrepitum e-dunt, vt luſitantium puerorũ inflatæ veſicæ. Hinc noſtrates Salinariæ ignauos quoſdã qui incaſſum, nulloque operæ fructu mulieres fatigant, detonare quidem dictitant, ſed nullam ſubſequi pluuiã, nec internas partes, atque vteri receſſum roſcido liquore madeſcere, atque irrigari. Habent ſiquidem illi inflatas venas, ventoque turgidas, ſed ſemine deſtitutas. Quamobrem ſi vxoribus gratificari volunt illasque peculiari officio demereri, qui matrimonio ſunt addicti, non tenui apparatu ſe inſtruant, nec in hãc palæſtrã inermes deſcendant, alioqui tetricas illas experientur, ac moroſas, nec vlla in parte dicto audientes. Cùm autem commeatu affatim fuerint inſtructi, captanda opportunitas, qua poſſint non ſine fructu ſe operi accingere. Quod tum demum eſt tempeſtiuum, cũ menſtrua illuuies ſit expurgata. Ea ſiquidem ſentina prohibet coaleſcere ac fermentari ſemina, efficitque vt vterus ſit conceptui inidoneus. Defluxis itaque menſibus, vteroque exactè defœcato, nullo enormi concubitu, nullisque validis concuſſionibus, procreandis liberis inſiſtant, completoque opere, mulier clementer ac placidè in dextrum latus deuoluatur, capiteq; decliui, ac ſubſidente corpore in ſomnum reſoluatur. Hac enim ratione in dextrum vteri ſinum deriuari ſemina, ac maſculum elaborari continget. Cæterùm anni tempus, regio, cuiuſque ætas, alimenta calorifica, maximũ in hac re momentum obtinent. Aeſtas ſiquidem, modò ne nimis feruida ſit, ad maſculi conceptum accommodatior, quòd ſemen ac ſanguis menſtruus ex ambientis aeris qualitate plus caloris concipiat. Regio quoque calida, ætas adulta, plenæq; pubertatis, tum hiſpida hirſutaq; corpora ad producẽdos mares magis apta. Interim mul-

Muliebre prouerbiũ in eunuchos.

Quare vxoribus gratificandum

Maſculus quando cõcipi contingat.

tà ſunt quæ vi ſpecifica ac latenti, abditoque effectu his perficiendis ſunt accommoda. Sic Mercurialis, quam in marem ac fœminam diſcriminant, efficaciſſima prædicatur in ſui generis ſexu proferendo, adeo vt maſculi decoctum aut ſuccus diebus quatuor à primo purgationis die bibitus, procreandi maris vim vtero conferat: fœminæ verò ſuccus totidem diebus, parique modo aſſumptus, fœmellæ proferendæ vires ſuppeditet, præſertim ſi iam ſiſtentibus menſibus vir mulieri congrediatur, amplexuque mutuo concaleſcāt: hac, vt opinor, ratione, quòd ille dextrum vteri ſinum, ac cauitatem expurget, caloreque foueat: iſta ſiniſtrum. Quò fit vt ſublato humore frigido, mulier conceptui efficiatur idonea. Vt enim in paluſtri atque vliginoſo loco plantarum ſemina ſuffocantur, nec facilè in ſtirpem emergunt: ita ex frigidi humoris redundantia ſemina ſtrangulantur adeò, vt vis ac facultas muliebris vteri nequeat vllam ſpeciem ſexumque emoliri. Non diſſimili ſunt effectu Seſeli maſſilienſe, ſaluia, nux myriſtica (quam muſcatam vocant) cinamomum, xilocaſiaz, eduarium, agalochū ſiue lignum aloes, parthenium, calaminthæ ſpecies, orminium, dictānum, helenium, iridis radix, laſerpitij ſuccus, eiuſque generis innumera, quæ & flatus diſcutiunt, & locos ſitu, denſaque fuligine obductos abſtergunt. atque illos, vt exculta noualia ſementi præparant, ſic alia alijs viribus efficiunt, vt vulua minus lubrica ſit ac muccoſa, vtque ſemen tenacius inhæreſcat. Cuius generis ſunt ſuccini ſeu electri ſpecies, quæ ambari nomine omnibus innoteſcunt, ramenta eboris, ſtyrax calamita, cornu ceruinum, rhos vulgo ſumach, blattæ bizantinæ, ſemen myrti, galbulæ, nuceſque cupreſſi, thus, eiuſq; cortex, maſtichæ, britannica, garyophylata, pentaphyllon,

Mercurialis quo effectu in excitanda prole.

Simile à fundi natura.

Quæ humiditatem vteri expugnent.

Succinum, Ammer.

pentaphyllon, roſæ rubræ: Quorum nonnulla foris admota, quædam intra corpus aſſumpta, vtero robur conciliant, conſumptoq́ue ſuperuacaneo humore, rimoſam, hiantemq́ue vuluam conſtringunt, ac retinendi ſeminis vim conferunt. Et quoniam Ciſalpinæ mulieres vt plurimum hiſterica affectione, ſeu vuluæ ſtrangulatu atque vteri vitijs infeſtari ſolent; neceſſe eſt, vt præ cæteris his vti conſueſcant. Quòd ſi plus iuſto areſcant loci, ac ſint retorridi, medicamenta ac cibi adhibendi, quæ moderatè humectent. Cæterùm qui initi coniugij aliquam laudem conſequi volunt, nec ſperatæ prolis deſiderio fruſtrari, hanc ſibi legem præſcribi patiantur, vt concubitũ per interualla, ſtatiſque vicibus peragant, ne ſit frequentior, quàm res exigat, nec quàm expediat, rarior. Vtrumque enim fœcunditati æquè noxium. Siquidem ſemen profundere immoderatius, vires exhaurit, ac ſpiritus depopulatur. Diutius verò quàm par eſt, cohibere, atque à congreſſu deſueſcere, ſemen inefficax, atque euanidum, minuſq́ue virile efficit. Opportunitas quoque eius rei ſpectanda, obſeruandumq́ue tempus, quando potiſſimè congredi expedit, quando commodum erit, quem animo conceperis, quem meditatus ſis ſexum procreare. Auicenna non proletarius, nec infimæ ſortis auctor, tempus modumq́ue procreandi ſexus deſcribit: Vbi, inquit, menſes defluxerint, ſitque abſterſus vterus, quod quinto ferè die vſuuenit, aut ſeptimo, ſi vir mulieri congrediatur, à primo quam eſt purgata die ad quintum, marem produci: à quinto verò ad octauum fœmellam: rurſus ab octauo ad duodecimum denuo maſculum: poſt illum verò dictum numerum Hermaphroditum. Horum effectuum licet nullam cauſſam adferat, probabilem

Aridus vterus quæ exigat.

Auincennæ conſilium in cõceptione molienda.

Auincẽnæ ſententia explicata.

lem tamen comminiſci poſſe videor. Primis enim diebus elota vulua, humoreq́; ſordido accuratè expurgato, plus caloris cōcipit vterus, quo virile ſemē potentius coaleſcit muliebri, atq; in dextrum vteri ſinū dirigitur, hepatis, dextriq́; renis vi attractoria, è quibus etiam ſanguis calidus in alimētum futuri fœtus ijs diebus deriuatur: neq; enim ſiniſtrę partes vtpote alcioſæ, ac frigidę, ſanguiniſque inopes, ſtatim à purgatis menſibus aliquid conferre poſſunt: ſed ſerius, ac parcius ſanguis depromitur à ſiniſtræ partis venis, quas emulgentes vocāt, quæ ſplenem, renemq́; ſiniſtrum perreptant, ſic vt poſt quintum demum diem, vſque ad octauum ex illis aliquid ſanguinis confluat, quo fœtus alendus eſt, ita cùm iſtæ partes vires ſuas obeant ceſſentque dextræ, ex ſitu loci atque alimenti frigidi ratione fœmella effingitur. Poſt octauum diem dextræ partes rurſum conferendi ſanguinis munus ſibi aſſumūt, atq; ex illis denuo ſcaturire ſanguis incipit maſculo ſaginando. Poſt hoc dierū curriculum, quoniā ex omni parte impromiſcuè ſanguis mēſtruus erūpit, ac vulua ex frigidi humoris affluxu plus ſatis vda efficitur, ſemenque neutri parti aſſociatur, ſed in media vteri capacitate fluctuat, Hermaphroditum confuſa inter ſe ſemina moliuntur, qui conceptus modo ex dextro, modo ſiniſtro ſinu vires formamque accipit, atque vtriuſque opera vtitur. Hinc androgyni nobis emergunt, ſeu Hermaphroditi. Quæ vox à Mercurio, ac Venere appellationē ſortita eſt. Nō nunquā vitioſus hic, infamiſq́; cōceptus ex indecoro cōcubitu cōflatur, cùm præter vſum ac commoditatem exercēdæ Veneris vir ſupinus, mulier prona decumbit, magno plerunq; valetudinis diſpendio, vt qui ex inuerſo illo decubitu hernioſi efficiantur, præſertim cum diſtento, oppletoq́; cibis corpore inuſitata hac conceſſaque Venere vtuntur.

Auicennæ ſententia explicata.

Venæ emulgentes quæ.

Quid Hermaphroditos gignat.

Enormis cōcubitus deteſtandus.

An excremento menſtruo fœtus alatur, & an adoleſcentulæ concipere poßint, priuſquam menſes profluxerint.

C A P. X.

CONCVBITVM admittere nonnullas duodecimo ætatis anno, multis non ſine maximo naturæ incommodo ac valetudinis diſpendio, vndeuigeſimo non profluere mẽſes, quotidiana experimenta comprobant. Itaque ſciſcitantur plerique, an dum matura ſit aptaq́; viro mulier, menſibus nondum profluentibus, conceptui ſit idonea: Multi in ea hærent ſententia, vt id fieri poſſe negent, nec concipere, niſi à menſium profluuio, qui mihi veritati conſentanea dicere videntur. Cũ enim adminicula deſint, quę conceptum adiuuãt, atque humore, quo fœtus alẽdus eſt, vterus ſit deſtitutus: qui fieri poſſet, vt conceptus perficiatur? Matronæ autem noſtrates, pręſertim quę obſtetricandi munus obeunt, ab arboribus ſumpta ſimilitudine ſic ratiocinantur: Quẽadmodũ nulli ſtirpi fructus denegatur, quæ floſculũ producit, nullaque arbor ſterilis, quæ floreſcit, omnis verò arbor infœcunda, quæ floribus ſpoliata eſt: Sic adoleſcentulæ, quibus non effloreſcunt menſes, non implentur, nec vterus cõcepto ſemine inſtructum extumeſcit, aut protuberat: prouectiorib. autẽ tantiſper ineſſe propagandæ ſobolis facultatem, vireſque fœminandi inſitas, dum menſes profluũt. Quum enim huius excrementi confluuiũ homini generando materiam ſuppeditet, maris ſemine, coaguli, fermentique more, hoc in ſeſe conglomerante, fit vt nec ante humoris illius effluxum, nec cùm fluere deſijt, mulier poſſit concipere: nimirũ nutrimento, quo fœtus alitur, atque augeſcit, deſtituta.

Fluxus menſiũ oſtendit conceptionis argumenta.

Simile à florentibus arbuſtis.

Menſib. deſinentibus deſinit fœcunditas.

ſtituta. Cæterum hic alia ſuboritur quæſtio: Sitne menſtruum vtile excrementum, alendoque fœtui accommodum: an fœda tantum illuuies, quæ ſtato tempore, certiſq; periodis, ceu ſentina exhauriatur. Scio equidem ita videri Plinio, ac pleriſque alijs, qui menſtruo vim mõſtrificam, ac perniciosam attribuunt, idque exaggerant in immenſum, ac miris modis hoc virus exagitant. Sic Iuuenalis arrepto hinc inſectandi argumento, viros in mulieris odium concitat, illudque tota Satyra agit ex profeſſo, vt concepta illarum deſpicientia, nunquam ſe alligari cõiugio patiantur. Noui equidẽ, quàm ſordida res ſit menſium proluuies, & quas noxas inferat ſupra legitimum tempus cohibita huiuſmodi ſentina, magnaque ratione ex Dei præſcripto inhibuiſſe Moſen, ne vir mulieri cõgrediatur tali vligine inquinatæ. Sic & gonorrheos, hoc eſt ſanguinis profluuio obnoxios pollutosque ex hominũ conſortio ablegat luſtrariq; pręcipit. Similiter Eſaias, quò extremas, ſummeq; abominandas ſordes indicaret: Oẽs, inquit, iuſtitiæ noſtrę tanquam pannus menſtrui illuuie, inguiniſq; tabe, ac ſanie contaminatus. Quę tametſi vera eſſe conſtet, idq; legiſlator ex ſupremi numinis cõſulto rectiſſimè præſcripſerit, ne quẽ fœdo congreſſu inquinari, aut quidquam labis, & cõtagij contrahere contingat: non conuincunt tamen ſuperuacaneam eſſe huius humoris ſcaturiginem, nec quidquam ad fœtus nutritionem adferre momenti: cùm Hippocrates profeſſionis medicę conditor, eiuſque aſſectator Galenus, multis locis teſtificentur ſanguine menſtruo fœtum ali, eiuſq; ex venis defluxu infantem incrementa ſuſcipere. Sic Galenus: ſanguis, inquit, ſemenque genitale, generatiõis noſtrę primordia exiſtũt, quę ex ipſis principijs tanquã radice oriũtur. Sanguis ceu ma-

Mẽſtrui profluuiũ in quẽ vſum.

Sat. 6.

Leuit 18. & 20.

Deut. 23.

Menſtruatis abſtinẽdum.

De tuenda valetudine.

teries quædam apta, concinnaque, & artifici ad quiduis ſequax: Semen opificis rationē obtinens. Rurſus in commētarijs Aphoriſmorum: Sanguis menſtruus alterum generationis noſtræ principiū natura humidū eſt. huc ſpectat Aphoriſmus Hippocratis: Mulieri vterum geſtanti ſi purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. Subducitur enim illi ſanguis, qui alimenti ratione à toto corpore in vterum dirigitur. Si igitur profluentes menſes vires infanti eripiunt, illumque alimento fruſtrantur, neceſſe eſt, vt quando cohibentur, ac ſubſiſtunt, proſint, totoque geſtationis tempore nutrimenta ſuppeditent. Quòd ſi nihil conferant, nec ex his quidquam aſſumatur in fœtus nutricationem: quid cedo cauſę eſt, quòd grauidis ac lactantibus inoffensè, citraq; vllum incommodum menſes ſubſiſtunt? Cuius non alia adferri ratio poteſt, quàm quòd in lactis vbertatē abſumatur, vel alendo fœtui ſit vſui. Quò autem hæc quæſtio plenius explicari poſſit, Dilemma hoc ſubijciam. Si menſtrua nihil conferunt ad fœtus alimentum, concipere mulieres poſſunt, etiamſi illa non profluant, cùm natura ex venis ſanguinem poſſit elicere in fœtus alimoniam. Si vero conferunt, atq; alendo, fouendoque infanti ſunt adiumento, cōcipere non poſſunt, niſi profluant. Ariſtoteles aūt diſertè hunc nodum diſſoluit, Conceptus, inquit, mulierum à profluuio menſtruorum ſua natura contingit, & quæ his carent, ſteriles magna ex parte exiſtūt. Verùm fieri poteſt, vt aliquæ etiam ſine eorum profluuio concipiant, videlicet quibus tantum humoris in vtero colligitur, quantum reſtare ſolet ijs, quæ purgantur. Siquidem nonnullis in vtero humor inhæret, ſed non tantus, vt erumpat ac foras profluat, qui tamen ſufficere poſſit ad nutriendum fœtum. Plereque etiam dum menſes pro-

Lib.1. Apho. 14

Lacte madeſcunt vbera, vbi menſes ſubſiſtunt.

Dilemma auctoris de menſtruorū profluuio.

Hiſt. animalium.

profluunt, impręgnantur, poſtea concipere nequeunt, quibus vulua ſtatim à purgatione comprimitur, nec amplius dehiſcunt loci. Id ipſum Galenus dilucidè his verbis explanat. Vaſa vulnę, quę in partem interiorẽ penetrant, ex quibus mẽſes profluunt, cũ mulier conceptura eſt, ora aperiunt. Cõceptionis verò tempus eſt inceptis iam menſibus, vel præcipuè ceſſantibus. Quanquam enim reliquo etiam purgationis tempore aperta hæc ora ſint, non tamen concipere vllo modo mulier poteſt, cùm ſemen nequeat in vtero contineri, ſed ab influentis ſanguinis copia eluatur. At deſinentib. vel incipientibus menſtruis, & ora aperta ſunt, & menſtruum non confertim, ſed paucum ac ſenſim effluit, quaſi humore quodam roſido inſudante, quo vterus madeſcit. vnde efficitur, vt ad aſperitatem vuluæ ſemen adhæreat, ſatiſque alimenti ex ſanguinis cõfluentis ſtillicidio cõſequatur. Antè enim, quàm menſes ſe proferunt, conceptus ob id fieri nequit, quia alimento caret, nec ſemen adhæreſcit: nam eo tempore occluſis vaſis vulua læuis relinquitur, ſemen propter læuorem, ac vitreã politiem defluit, nec vniri poteſt, ac coaleſcere: aſpera ſiquidem, ac ſcabra magis, quàm exterſa ad coaleſcendum, ac ferruminandũ ſunt idonea. Hinc ſcorta, quæ crebrius ſe viris ſubijciunt, atq; identidem ſubagitari patiuntur, non concipiunt. Quò ſpectat illa Hippocratis ſententia: Quæ humidos habent vteros, non concipiunt, extinguitur enim in his genitura, vt plantarum ſemina in paluſtri, atq; vliginoſo loco. Similiter quæ ſiccos, aridoſque habent vteros, progignendis quoq; prolibus ſunt inhabiles. neceſſe eſt enim locos ſanguine modico madeſcere, ac menſtrui ſtillicidio ſubinde irrigari. Quã firmis autem rationibus nitantur, quamq; validis argumẽtis opinionẽ ſuam fulciant,

De vul. ſe.

Quur ſcorta non concipiant.

Lib 1, Apho. 62.

ciant, qui mẽſtruis ad fœtus nutritionẽ vllã vim ineſſe negant, non diſcutio. Cõſtiterit ſanè illis opinionis ſuæ ratio: ego nunquam in animum induxero, inutilem eſſe hũc humorem, nec quicquã prodeſſe ad fœtus generationem. Cùm enim omnibus ex æquo, quæ inculpata valetudine vtuntur, ſtato tempore menſes decurrunt, quid aliud ſtatui poteſt, quam in vſum aliquem depromi hunc humorem, nec veneni naturam obtinere, niſi vltra legitimum tempus in corpore reſideat, aut ex morbo, alioue vitio cohibeatur. Sic in plethoricis, hoc eſt, qui plenitudini humorumq; redundantiæ obnoxij ſunt, ſyncerus etiam ſanguis, niſi perſpiretur, putreſcit, ac ſynochon inducit, febreſq; alias contagio affines, in quibus exanthemata, multaq; papularum, ac variolarum genera in extima corporis parte erumpunt. Sic videmus ædes diu occluſas flatibus ventiſq; minus expoſitas graueolentiam, ſitumque contrahere. Cùm igitur menſtruum ſit excretio redundantis ſanguinis, qui ob ſexus imbecillitatem nec calore cõcoqui, nec exercitio diſcuti queat, ac diſſipari: neceſſe eſt illud ex Lunari concitatione, atque impulſu, ſuo tempore erumpere, eiuſque defluxu corpus expurgari, vel ſi ſiſti contingat, ac cohiberi, corruptelam induere, virusque naturam aſciſcere. Quod ipſum non fit, vel nutrientibus, vel prægnantibus, magno argumento humorem illum oportuno tempore vſui eſſe, alendoque fœtui non inutilem, nõ eum, qui vtero diutius inhærens computreſcit, ſed qui à conceptu ex venis diſtillat in vterum, totoque geſtationis tempore alimenta ſubminiſtrat. Quò fit, vt ſi loci dehiſcant, ac menſes profundi contingat, infans aut non ſit vitalis, aut valetudinarius exiſtat.

Continuæ febres.

Simile ob ædibus occluſis.

Quæ menſtrua venenata.

Animam non à parentibus proſeminari, ſed infundi

di diuinitus, omnisq́ interitus, ac corruptelæ eſſe expertem, tum quoto geſtationis die inducatur.

CAP. XI.

NVLLA re magis accenditur atq; inflãmatur in amorem, ac venerationem opificis humanus animus, nulla re propius ſibi innoteſcit, quàm cùm ſe intime explorat, mentiſq; præſtantiã fixius contemplatur. hac enim ratione efficitur, vt homo in Deum mentem erigat, atq; in illius notitiam perducatur, calcatiſq́; ſordibus ac vitiorum cœno meminiſſe incipiat ſe diuinitatis eſſe conſortem. Nec ſanè exigui momenti res eſt, aut oſcitanter, leniq́ ac ſuſpenſa, vt aiunt, manu tranſigenda, quòd homo ab opifice ſpiraculum vitæ acceperit, atque ad imaginem, Deiq́; ſimilitudinem ſit conformatus. cuius muneris dignitatem ac prærogatiuã nemo in figura formaq; corporis ſitam exiſtimet, ſed in parte hominis interna, hoc eſt, in anima rationali conſtitutam, quæ cùm ſit ſpiritus æthereus ac ſubſtantia incorporea ex diuinæ mẽtis archetypo deprompta, hoc homini præſtat, vt Deo ſit ſimilis, diuinæque eſſentiæ particeps. Corpus autem quoniam ex concretione materiæ maſſaq; terrea conflauit opifex, mortale & caducũ pro tempore eſſe ſuſtinuit: animam verò cũ ex ſe ſuoq; inſpiratu nobis indidit, interitus, omniſq; corruptelæ immunẽ eſſe voluit, atque expertem. ſiquidem cùm imago Deiq́; eſſentia ſit æterna, atque anima ex illa dimanauerit, neceſſe eſt perenniter illam ſubſiſtere, eandẽq́; cũ ſua origine naturã ſortiri, hoc eſt, eſſe immortalem, atq; æternitati deſtinatam. Et quanquã nonnihil labefactata ſit animæ vis, minuſque expreſsè referat architecti imaginem, nõ tamen prorſus extincta eſt, cũ vulnus manu hoſtili illi inflictũ ſeruatoris munificentia ſit obductum, eiuſque

Mens in Deũ nos erigit.

Homo Dei imago.

Deus collapſæ naturæ inſtaurator. virtute reſtaurata omnia, quæ primi hominis vitio collapſa erant, ac fœdè deformata. Quod ſi quis huius diuini muneris vires experiri, eiuſque excellentiam ſpectandam ſibi exhiberi velit, in ſe ipſe deſcendat, ſuamq́; mentem in conſilium adhibeat, ac ſedulo excutiat: profectò inueniet eximias, ampliſſimasque dotes, atque egregia ornamenta, quibus cuiuſq; mens affatim eſt inſtructa: rationem, intelligentiam, iudicium delectumque rerum, ingenij agilitatẽ, memoriam, tum pleraq; lia, quæ euidenter euincũt præſtantiorem eſſe aanimam, quã vt corporea cenſeri debeat, aut corruptioni obnoxia. Hęc vna eſt, quę corpus viuificat, regit ac moderatur, illudq; varijs actionib. inſtruit, multiſque munijs exercet. Quò fit, vt ex multiplici effectu, diuerſisq; operationibus varias appellationes ſortiatur. Siquidẽ vt Auguſtinus ait, cùm corpus animat, vitaque imbuit, Anima dicitur: dum vult, Animus: dum ſcientia ornata eſt, ac iudicandi peritiã exercet, Mens: dum recolit ac reminiſcitur, Memoria: dũ ratiocinatur, ac ſingula diſcernit, Ratio: dum cõtemplationi inſiſtit, Spiritus: dum ſentiendi vim obtinet, Senſus: quæ omnia animę officia ſunt, quibus potentiam ſuam dęclarat, ſuasq; actiones exequitur. Hęc in celſiſſima parte corporis collocata, cæloq́; proxima vim ſuã in reliquas partes efficaciter diffundit. Non eſt illa demerſa in ſanguine, non à progenitorib. aut facultate ſeminali deriuata: ſed ab omni materię cõcretione, omnique labe corporea aliena, recens à Deo creata, opificio ſuo iã cõfirmato infunditur, non mutuatitia, aut aliunde aſcita, vt ſtatuũt Pythagoræi Druidæ, qui abſurdam quãdam μετεμψύχωσιν, hoc eſt, trãſanimationẽ induxerũt, qua perſuadere conati ſunt animas à morte alterius in aliena corpora demigrare, non hominum modò,

Animæ dotes & ornamenta.

Mentis vis & præſtantia.

De ſpiritu et anima, c.34.

Mentis ſedes

Mens atque anima incorporea.

Inepta animarũ tranſmutatio.

ſed

ſed pecudum etiam ac belluarum : Quod ſic expreſſit Ouidius Metamorphoſis decimoquinto.

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede, nouis habitant domibus, viuuntque receptæ.
Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc,
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter, nec tempore deperit vllo.

Hinc ſuperſtitiōis huius affectatores eſum carniū ſibi interdixerunt, nefas arbitrati ex vllo animātis genere quidquam deguſtare, ne, vt veſtiuiter ac ſalsè Tertullianus, bubulā de aliquo proauo quiſquam obſonet. Quæ perſuaſio Chriſtianæ profeſſionis hominibus prorſus reijcienda, cùm Orthodoxi certo ſtatuant ſuam cuique animam attribui, eamque tum demum infundi, cùm fœtus omnibus ſuis membris articulisq; fuerit delineatus, quod ferè quinto ac quadrageſimo à cōceptu die fieri aſſolet, præſertim maribus, vbi nono menſe lucis huius auſpicia ſunt accepturi. Fœminis ſiquidem, quarum natura magis flaccida, ad quinquageſimum diem formationis tempus porrigitur. Et quanquam non omninò certo fixoq; dierum numero hæc terminari poſſint: Hippocrates tamen exactiſſimè ad calculum reuocauit, quo tempore infantis effigies, formaq; abſoluitur, quo motum accipit, quo natiuitatem conſequitur. In libro ſiquidem de natura fœtus: ſi marem, inquit, trigeſimo die perfici contingat, motum accipit ſexageſimo, menſeque ſeptimo in lucem prodit. Quod ſi quinto & trigeſimo die formam acceperit, motu potitur ſeptuageſimo, menſeq; octauo naſcendi primordia accipit. Si verò die quadrageſimo quinto legitimam formam adeptus fuerit, nonageſimo die mouetur, ac nono menſe natiuitatem

Tertulliani ſalſum dictū

Animam rationalē quando homo concipit.

Quoto dierū numero fœtus abſoluitur.

cōſequitur. Ex quo dierum menſiumq́ue decurſu ac ſerie, liquidò apparet formationis diem duplicatum motus diem conſtituere, motionis verò triplicatum naſcendi tempus commonſtrare. Verbi cauſa, vbi trigeſimus quintus formam perficit, is duplicatus diem motus ſeptuageſimum cōſtituit, qui rurſus triplicatus bis centum ſenosq́ue dies ſeu ſeptem menſes conficit, ſi cuique menſi triginta dierum numerum aſſignes. Pari modo de reliquis ratiocinandum. Cæterùm cùm fœmina tardius perficiatur, ſitq́ue eius geſtatio productior, paulò diuerſius ſubducitur ratio. Illa ſiquidem trigeſimo tertio die formata, motum accipit ſeptuageſimo, menſeq́ue ſeptimo naſcitur. Cùm verò quadrageſimo à conceptu die illam formari contingit, octuageſimo motu potitur, atque octauo menſe in lucem producitur. Quòd ſi quinto ſupra quadrageſimum die conformetur, motum accipit nonageſimo, menſeq; nono eruptionem molitur: porrò cui quinquageſimo die forma abſoluitur, centeſimo moueri incipit, ac decimo menſe eluctatur, lucisq; beneficio perfruitur. Hæc prolixius à me enarrata ſunt, quò quiſq; intelligat animā rationalem tum demum infundi, cùm fœtus abſolutam formam ſit adeptus, ſuisq́ue lineamentis exactè diſtinctus. Neque enim anima primo menſe formationi fœtus inſiſtit, ſed facultas vteri, ac vitalis vis ſeminis magna ſolertia operi elaborando incumbunt, ac ſenſim ad diſtincta membra, exactamq́ue formam prouehunt. Primis ſiquidem ſex diebus in oui ſpeciem ſemina conglobantur, lactisq́ue cremorem referunt, ac fibræ quædam tenuiſſimo cōtextu, telis aranearum non abſimiles producuntur, deinde ſubſequentibus nouem diebus ſanguinem & ſpiritum ſubminiſtrant acetabula ac venæ vmbiculares, ex quo primum

Fœmella tardius maſculo perficitur.

Rudimenta humanæ formationis.

primum effigiantur membra organica, quæque nutritioni ſunt accommodâ, vtpote hepar, cor, ſplen, pulmones, cerebrum, quæ à primo conceptus momento ad decimum octauum perficiuntur: poſtmodum ad quartum & quadrageſimum diem cæteræ partes conformantur, ſœtusque vitalis eſſe, ac ſentire incipit, licet ob imbecillitatem aut non moueatur, aut tanta debilitate, vt geſtans id ſentiſcere nequeat. Hoc itaque tempore anima rationalis vterum ſubire creditur, ac naturales facultates ſeu potentias ſua vi imbuere, totumque opificium perficere. Quod ipſum Auguſtinus *Quæſti.32.* Moyſis teſtimonio comprobat. Si quis, inquit, *Exod.21.* percuſſerit mulierem vterum gerentem, & abortierit, ſi fœtus formatus fuerit, det animam pro anima: Si verò informatus fuerit, multetur pecunia. Quo conuincit animam non ineſſe fœtui, nec hominis nomẽ promereri, niſi omnibus lineamentis ſit conſummatus, exactamque formam conſequutus. Cùm itaque iam formato corpore inſeratur, non eſt quòd quiſquam exiſtimet in conceptu illam cum ſemine deriuari. Siquidem ſi ſemini rationalis anima, quæ perenniter ſubſiſtit, ineſſet, aut cum illo profflueret, multæ, vt ille ait, quotidiano efflu xu ſeminis, animæ euaneſcerent. Quamobrem non ex Adamo, aut progenitoribus illam propagatam credi par eſt: ſed ſingulis momentis creari infundique diuinitus. Quod hoc dicto ſtabiliri poſſe video: Pater meus adhuc vſque temporis operatur, & ego operor. Quo *Ioan.5.* ſubindicat Deum Optimum Maximum & illi æqualem eiuſdemque eſſentiæ filium creandis conſeruandiſque hominum animis occupatum, illiſque producendis intentum, quibus quodque animal ſubſiſtit, vitamque propagat ac tuetur.

Quò

Pſalm. 35. Quò ſpectat illud Pſalmographi: Homines & iumēta ſaluat Dominus, hoc eſt, animalia quæq́; ſuſtentat Deus, ſuaq́; vbertate paſcit ac ſaturat. Qui cùm vnicè erga genus humanum afficiatur, peculiari munere ac dotibus hoc opificium inſtruxit. Alia enim ratio hominum, quàm belluarum, lōgeq́; illorum conditione præſtantior. Siquidem hominibus rationem, mentemq́; indidit, & quod reliquis animantibus negatū, in conditoris agnitionem perduxit, ſuaq́; diuinitate afflauit. Quam munificentiam cùm agnoſceret Iob: Ipſe, inquit, docet nos ſupra iumenta terræ, & ſupra volucres aëreas erudit nos, quo indicat homines præſtare cæteris animantibus, ac Deum ſuas dotes ac munera illis cumulatius impreſſiſſe. Hoc quoq́; ſingulari donatiuo, ſummiq́; principis munere honorario, ſunt deſtituti, inelaborati, imperfectique partus, effluxus denique præmaturi, abortusque præproperi, ac præter humanam ſpeciem enormi ter monſtroſi. Quorum nonnulla licet palpitent, illisque vitale quiddam ineſſe videatur: nō tamē ab anima rationali id ſunt conſecuti, ſed à facultati formatrice, ac ſpiritu gignitiuo, quæ ſemini ac ſanguini mēſtruo inſunt. Hęc enim primis quadraginta diebus conceptum alunt ac vegetāt, formamque hominis emoliuntur. Habent quoque reliquæ animantes ſpiritum vitalem, reliquasque animæ potentias, vegetantem & ſentientem, quas ex ſeminis facultate ſanguinisque effluxu conſequuntur, atque illi in vtero augeſcunt, illorumq́; beneficio vita potiuntur. Quò ſpectat illud Leuitici: Anima omnis carnis in ſanguine eius eſt. Vita ſiquidem atq́; animantis cuiuſq́; ſpiritus in ſanguine ſubſiſtit, eoque alitur ac fouetur, vt ellychni flamma effuſo oleo. Quam animæ vim, vt optimè nouit Galenus, ita ingenuè ignorare ſe fatetur, Animæ

Dauidis locus explicatur.

Iob. 31.

Embrio primis menſibus hominis nomen promeretur.

Leuit. 17.

nimæ rationalis ſubſtantia quænam ſit, vndeque profecta. Qui ſi meliori philoſophia fuiſſet imbutus, nihil addubitaſſet pronunciare, Animam diuinæ mentis eſſe ſcintillam, ac ſpiraculum, quæ hominem à belluis diſcernit, atque immortalitati aſſerit. Propriam autem ſingulis animam inſitam, ac ſuo cuique corpori peculiarem, cùm multa demonſtrent, tum maximè tanta in hominum moribus, ingenijs, iudicijs, opinionibus, affectibusque diſſimilitudo & diſparitas indicare mihi videntur. Siquidem quot homines, tot ſententiæ, & quod Horatius ait: *Anima quid.* *Anima ſingulis diuerſa.* *Lib. 2. ſerm. Saty. 1.*

Millia quot capitum veniunt, totidem ſtudiorum.
Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus: *Perſ. Sat. 5.*
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Quę non aliundè mihi prouenire videntur, quàm ex diuerſæ conditionis animis, ac multiplici cordis varietate & diſcrimine. Finxit enim Deus ſigillatim, vt ait Dauid, corda menteſq; hominum, ac ſuam cuique indolem attribuit, ſuæq; naturæ ac conditionis animam conſignauit. Hinc Solomon ſibi plaudit & gratulatur, quòd animum felicem ſortitus ſit, corpuſque incontaminatum, animæ moribus congruens, & accommodum. Qua autem in parte collocetur anima, quáue ſedem occupet, multi veterum in quæſtionem vocant. Philoſophi cordis meditullium illi aſſignā. Quod deſignare videtur Sapiens, cùm inquit: Omni cura cuſtodi cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. At Medici, qui exactius naturæ opera ſunt perſcrutati, in cerebro illam conſtituunt, ex quo omnes ſenſus ac facultates animæ, omneſque actiones procedunt. Huius tamen vis per ſingulas corporis partes diffuſa, omnia membra calore fouet, ac viuificat, ſuiſque viribus inſtruit. Cor verò tanquam vitæ fontē peculiari vi imbuit per arterias *Pſalm. 3.* *Sap. 8.* *Prouerb. 4.* *Animæ domicilium.* *Venæ apoplecticæ.*

καρωτίδας ſeu ſoporarias iugulum perreptantes quibus præciſis ſterileſcunt homines, vel oppleti apoplexi feriuntur. neceſſe eſt enim vias eſſe quaſdam, atque arteriarum venarumque decurſus, per quos humores ſpiritusque cùm animales, tum vitales, vltrò citroque poſſint commeare, ac calorem natiuum ab anima concipere. Vt enim triclinium quamlibet ſpatioſum luculento igni incaleſcit, ac cœnaculum hypocauſti halitu ac tepore quaquauerſum impletur: ita corpus animæ vires vndique diffuſas efficaciter percipit, ſuasque operationes illius munere exercet. Anima ſiquidem licet vni loco affixa prædicatur, vim tamen ſuam longè lateque diffundit, atq; in qualibet parte corporis ſe profert, ſuaque officia cuique membro diſtribuit. Sic oculi, aures, nares, lingua, pedum, manuumque articuli animæ ſunt inſtrumenta, quorum miniſterio vtitur. Quod ſi inſtrumenta, & quæ illi inſeruiunt organa, vel vitiata ſunt, vel inepta, vel impedita, minus exactè animæ munia perficiuntur. Quod in fatuis, ſeniculis, infantibus, quiq; emotæ mẽtis exiſtunt, euenire perſpicimus, in quorũ nonnullis vel ſerius ſe facultates animæ proferunt, vel prorſus extinguuntur. Vt enim ignis cineribus obductus non emicat, ac ſol denſa atraq; nube obiecta minus lucis exhibet: ita anima humidæ aut vitioſæ materiæ immerſa caliginẽ quandam concipit, quæ menti offuſa rationis lumen offuſcat. Et quanquam in ætate puerili minus illa eluceat, quã in adulta: non eſt tamẽ quòd quiſquam exiſtimet illi ſuam ineſſe infantiam, ac ſenſim incrementa ſumere, acceſſuque ætatis augeſcere, tum morbo ſenioque imminui. Cùm ſua vi, ſuisque dotibus ab ipſo vitæ primordio maneat inſtructa. nec enim ſua ipſius ſubſtantia aliquid detrimenti accipit, ſed inſtrumenti, atque organi ineptitudo efficit, quò

Simile à calenti foco.

Membra animi inſtrumenta.

Simile à ſopito igne.

In pueris anima imperfecta inſtrumẽti ratiõe.

quò minus functiones ſuas obeat, ſuaq́ue munia exequatur. Qua de re ſequenti capite fuſius tractare inſtitui, quo corporis animæque facultates plenius innoteſcant, & quàm inter ſe conſentiant, mutuiſque morbis afficiantur, cuique pateat.

Anima, tametſi ſit incorporea. nec ex concretione materiæ, aut elementis conſtet: affectibus tamen expoſita eſt, ſuasq́ue ſentit perturbationes, et parthemata, quæ in corpus redundant.

CAP. XII.

QVVM anima ſuas functiones, & munia per corpus obeat, atque exequatur, idque domicilium circumferat, vt affixam teſtam cochlea: fieri magna ex parte ſolet, vt affecto corpore anima quoque afficiatur, non quidem affectu primario, vt pleriſque viſum eſt, ſed per conſenſum, ac lege cōſortij. Tanta eſt enim in ijs ſympathia, eaq́ue affinitas, & cognatio, vt vitia quædam, virtuteſq́ue animi in corpus, & corporis in animum dimanēt, ac transfundantur. Siquidem cùm anima corporeis organis vtatur, quæ multifariam noxijs humoribus vel affici contingit, vel vitiari: fit vt corruptis vitiatiſque inſtrumentis, vel etiam impeditis, nequeat illa pro dignitate vim ſuam explicare. *Simile à teſtudine & cochlea.*

——— Sic corpus onuſtum
Extremis vitijs, animam quoque prægrauat vnà,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ. *Hora. Serm. lib. 1.*

Quod cùm Sapienti quoque Hebræo ante Horatium eſſet perſpectum: Corpus, inquit, corruptioni obnoxium aggrauat animam, ac terrenum domicilium mentem deprimit, obruitq́ue ſenſum multa meditantem. Et quanquam animæ ſubſtantia

Simile à ſplē dore ſolis. ſtantia nihil vitij, nihilq́; labis aut cōtagij ex concretione corporis contrahere creditur: vt tamen ſolis radijs officit, tenebrasq́, offundit dēſa nubes: vtq́; oculus obiecto varij coloris vitio aliter, quam re vera exiſtunt, omnia apparent, nimirum cærulea, flaua, viridantia, cianea, rubentia: ita lumen rationis offuſcat, mentemq́; obnubilat corporis intemperies, efficitque vt animę actiones deterius perficiantur. *Simile à varij coloris cō ſpicillis.* Sic ebrij ac deliri gemina conſpectare ſe credunt, cùm vnica res ſit obuia. Sic melancholici abſurda imaginantur, ſibique ſomnia fingunt. Cholerici irritantur ac temerè excandeſcūt, cerebro ſcilicet humoris noxij fuligine oppreſſo. Quas autem iacturas, quæue incommoda menti inferant humores corporis præter leuiuſculos, aliquot formidādi morbi declarant. *Humores mēti infeſti.* Lethargus, apoplexis, paralyſis, ſpaſmus, mania, phrenitis, epilepſia, qui tam validè omnes cùm corporis, tum animæ vires conuellūt, vt homo totus ſibi excidat, omniſque vis mētis prorſus obruatur. Animus itidē ſi qua labe detinetur, atq; vel odij, vel iræ, zelotypię, æmulationis, inuidiæ, obtrectatiōis veneno ſit imbutus, corpus quoque in mutuū diſcrimen pertrahit, parique malo inuoluit. Ne commemorem interim reliquas animæ cupiditates: quarū impotentiſſimæ cogitationes, ſomnos, aliaq́; per quietem viſa perturbant. Nihil enim, teſte Fabio, *Lib. 1. cap. 1.* tam occupatū, tam multiforme, tam inquietum, tot denique ac tam varijs affectibus concisum ac laceratum, quàm mala mens, adeò vt nec valetudini, nec honeſtis vllis artibus vacare, aut liceat, aut libeat. *Mala mens inquieta.* Quippe quibus non ſomnus, res delaſſatis placidiſſima, non quæ ægroto, mœrentique animo medicus, oratio, non cibus deniq; aut potus, qui corpus alit ac vegetat, ſuauis eſt. Quę enim ijs poſſit animi tranquillitas, quæ mentis ſecuritas & conſtantia?

Quos

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna etenim vehemens, ac multo ſæuior illis, *Iuuen. Sat. 4.*
Quas vel Cædi⁹ grauis inuenit, aut Rhadaman-
Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtē. (thus,

Quò ſpectat illud Eſaiæ: Impij cor tanquam mare æſtuat, cuius fluctus redundant in lutum, & conculcationem: nulla ſiquidem pax, nec vnquam pacata mens impijs, dicit Dominus. Cùm mala mens ſæpe læta exiſtat, ſecura nunquam. Hæ autem affectiones animorum tam ſunt violentæ ac feroces, tantæq; in inferendis malis ſæuitiæ, vt quæ menti latenter inhærent, etiam foris ſe proferant, ſuiſque ſe indicijs prodant. Et quemadmodum animi puritas, mentisque integritas in oculis, in vultu, colore, lineamentis relucet, totoque ſe habitu oſtentat: ita animus funeſtus vitijsq; obſitus ſe palam exerit, ac foras erumpit. Quod Eſaias indicat, cùm inquit: Agnitio vultus eorum reſpondet eis, hoc eſt ſpecies externusq; corporis habitus improbos illos eſſe arguit ac ſceleratos, nec niſi fraudes, impoſturas, inſidias, ſeditiones, omniaq; hoſtilia meditari. Cui conſonat illa Solomonis ſententia: Stultorum oculi paſſim oberrant: In facie prudentis lucet ſapientia, vultus ſiquidem hominis eſt certiſſimus mentis index, quæque in abdito intimoq; animi receſſu deliteſcunt, in apertum profert. Sic Catilinæ, vt Salluſtius ait, color exãguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus, prorſus in facie, vultuque vecordia inerat: animus impurus, dijs hominibusque infeſtus nec quietibus ſedari, nec vigilijs potuit: ita conſcientia mentem anxietate & formidine exagitabat. Nec enim vllum quamlibet leue aut exile animi vitium eſt, quin in externo habitu certa argumenta exhibeat. Siquidem odium,

Cap. 17.

Vultus animi index.

Cap. 3. Eſaiæ locus explicatur.

Eccl. 8.
Prou. 17.

ira, metus, excandeſcentia, triſtitia, amor, inuidia, proditio, furandique ac prædandi ſtudium in vultu relucent, ac foris primaque fronte ſe proferũt. Sic Diogenes aliquando conſpicatus exangui gilvoque colore iuuenem: aut amare illum, aut inuidere pronunciauit. Inuidi enim cùm aliena virtute diſcruciantur, contabeſcunt, ac medullarum, oſſiumque putredinem concipiunt. Alium quendam cùm ex amore palleſcere videret: in proprio quidem corpore mortuum illum dictitabat, viuere autem in alieno. Quæ commonſtrant vitia vtriuſque partis vltro citroque commeare, atq; alteram alterius incommodo affici, mutuiſque malis infeſtari. Cyprianus autem corpus extra culpam vindicat, nec ſuſtinet illi quicquã impingi. Quotquot enim in homine pullulant vitia, animæ imputat, quæ ſola ſentit, viuit, & mouetur. Corpore verò ſic animam vti aſſerit, vt fabrum malleo vel incude, in quo format omnium turpitudinum idola, ſingitque quælibet cupiditatũ ſimulachra. neq; enim, vt is ſtatuit, caro eſt peccati dictatrix, aut malitiæ inuentrix, nec ipſa cogitatus format, agendaque diſponit: ſed ſpiritus eſt officina, qui per eam, quæcunque affectauerit, peragit. Quòd verò caro aduerſus ſpiritum, & aduerſus carnem ſpiritus contendere dicitur, impropriè dictũ arbitratur. Quia ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum ipſa rixatur, & cum proprio arbitrio litigat. S quidẽ deſiderij ſui veneno mens ebria, corpus contumelijs applicat, ac iunctis amplexibus ambo in mortiferas ſuauitates delapſi obdormiunt. Quæ tametſi acutè illi viro diſſeruntur; Paulo tamen aſſentiri par eſt, qui corporis molem officere cenſet animę actionibus, illiuſque conatibus eſſe impedimento. Caro ſiquidem, vt is ait, concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aũt aduerſus carnem: hæc autẽ inter ſe mutuo aduer-

Diogenis ſentẽtia de iuuene pallido.

Prouer. 14.

Amantes palleſcunt.

In prologo de virtute Chriſt.

Corpus animi inſtrumentum.

Corpus animi vt ad actiones impellitur.

Gal. 5.

aduerſantur, vt nō quæcunque vult homo, eadem faciat. Oneri eſt enim terreſtre domicilium animæ, illamq; remoratur, quò minus concepta mentis perficiat. Et quemadmodum equus calcitroſus ſeſſori minus obſequitur, illumque excuſſiſſe laborat: ita corpus animæ ad præclara inſtiganti obluctatur, ac moram inijcit, ſemperque ob inſitam naturæ prauitatem mancipiū hoc refractariū exiſtit ductori ſuo, minusque obſequioſum. Quod Chriſtus Apoſtolis dormitantibus ac ſomniculoſis inculcat, cùm inquit: Spiritus quidem promptus eſt, caro autē infirma. Caro ſiquidem ad ſpiritus monita ac vellicationes obſurdeſcit, minusque expeditè iuſſa eius exequitur. Vt enim qui aliquò iter inſtituit, alacriter, quò illi deſtinatū eſt, properat: ſed plus ſatis ſuffarcinatus, atque oneribus, clitelliſque depreſſus, cunctantius progreditur, ac contra animi votum ſerius iter abſoluit, metamque aſſequitur: ſic anima ſarcina corporis degrauata, ſumma moleſtia ad metam contendit, atq; ægrè iter inceptum peragit. Quamobrem non eſt, quòd quiſquam exiſtimet corpus omnino otioſum, ſed naturales corporis facultates & potentias, quiq; illi inhærent humores, vel vſui eſſe, vel detrimento animæ actionibus, mutuamque præſtare operam. Fruſtra enim, ac præter meritum corpus cum anima vel gaudij, vel cruciatus æterni foret particeps, niſi in multis ſe præberet ſocium ac miniſtrum. Sit ſanè corpus animæ vas ac domicilium, ſit receptaculum, ſit officina, ſitque organum aut inſtrumentum, vel denique hoſpitium: ex eo tamen aliquid labis contrahit: Vt vinum generoſum ex lagena obducta ſitu, olidoque ac mucido dolio ſaporē vitioſum. Quòd ſi quicquid eſt hominis, omnesque eius functiones animæ attribuēdę: neceſſe eſt, in illam affectus cadere, ac paſſionibus obnoxiam,

Simile ab equo calcitroſo.

Matt. 22.

Simile ab onuſto baiulo.

Simile à vapido dolio.

nullaque in parte, aut ſaltem mitius culpandum corpus. Auguſtinus certè non eſſe omnino animā ab affectibus immunem, huiuſmodi argumentis conuincere tentat. Omne quod mœrore, metu, triſtitia, indignatione, vindictæ cupiditate afficitur, paſſibile eſt: Anima, cū voluntatis, votiq; compos non ſit, ſuoque deſiderio fruſtratur, dolore afficitur: Ergo paſſiua eſſe conuincitur. qui mihi argutè ratiocinari videtur. Si enim anima alligata corpori, doloris omnisq; affectionis foret expers, nullos apud inferos ſentiret cruciatus, nulla tormenta. Quod aliter ſe habere commonſtrat Euangelicæ concionis ſeries de diuite epulone, qui cū flammis cruciaretur, æſtuantem linguam refrigerari cupit, ſibique aliquod doloris lenimē adhiberi. Quæ figuratè ac parabolicôs intelligenda, ne quis ſubſtantias incorporeas membrorum vti miniſterio exiſtimet. Scriptura ſiquidem ad captum humanæ mētis ſe accommodat, aſcitisq; appoſitis verbis, ac petita ex natura rerum ſimilitudine, Dei erga probos fauorem ac munificentiam declarat: aduerſus improbos verò vltionem ac ſcelerum vindictam. Simili loquendi tropo ſacri codices Deo indignationem, iram, zelum, gemitus, ſuſpiria, faciem denique, vultum, oculos, manus, brachia attribuunt, ꝙ non alia ratione aſſequi poſſit humana imbecillitas immenſam ſupremi numinis vim, ac potentiā, niſi populari more ea nobis inculcaret. Cùm itaq; conſtet ſcripturæ teſtimonio animas ſolutas corporibus, ac damnationi deſtinatas, tormentis affici: qui fieri poſſit vt corpori alligatæ, atque humanis nexibus impeditæ non eadem perpetiantur? Equidem mihi perſuadeo, animas, vtpote cælitus delapſas, non extingui, nec ſentire interitum: ſed tamen diuexari, ac carnificinam perpeti, mentisq; ſtimulos ac conſcientiæ morſus perſentiſcere. Quod

Anima affectibus obnoxia.

Luc. 16.

Tropi ſcriptura de Dei mēbris Deo qua ratione membra attribuūtur.

Quod ipſum poſt Eſaiam indicat Chriſtus, cùm inquit: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Vt enim caries, vtq; teredines ac vermiculi lignum quamlibet durum erodunt; vt denique ignis in obuia quæque vim ſuam exerit: ſic animam conſciæ mentis ſtimuli confodiunt, internæq; furiæ illam vrunt, pungunt, ac dilaniant. Cùm animus auaritia feruet, vindictæ cupiditate accenditur, ira inflammatur, inuidia tabeſcit, amore vritur, mœrore contrahitur: nemo eſt, opinor, qui non quiduis paratus ſit & facere & pati, quàm talem in intimis præcordijs ſubire carnificinam, tantamque in abditiſſimo animi receſſu perferre lanienam. Multò enim ſæuior, longeque atrocior eſt animæ, quàm corporis cruciatus ac tortura. Quod interrogationis ſchemate, quò animo acriores infigeret aculeos, ſic expreſſit Perſius.

Cap.66. Marc.9.

Simile à carioſo ligno.

Animi cruciatus, quã corporis ſæuior.

An ne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci,
Aut magis auratis pendens laquearibus enſis,
Purpureos ſubter ceruices terruit: imus,
Imus præcipites, quam ſi ſibi dicat, & intus
Palleat, infelix quod proxima neſciat vxor.

Alia itaque ratione affligitur, aliter ſenſu, tactuque afficitur anima, quàm corpus dum vapulat, dum flagris ſcutisq; ſubigitur, dum vulnus accipit, dum membra luxantur, dũ illi faces ac tormenta admouentur. Siquidem anima rationalis vtpote ſpiritus incorporeus latentes experitur vexationes ac torturas, anxietatem, formidinem, zelotypiam, inuidentiam, odium, indignationem, mentisq; inquietudinem, ac conſcientiæ remorſum. Quos affectus, vel, vt verius dicam, perturbationes ſi diutius animo inhærere contingat, illasque nec ratione diſcuti, nec diuino præſidio ſuperari, non ſolum mentem, ſed corpus quoque ſæuiſſimè diſcruciant. Itaque alterum alterius legibus tenetur, ſibique mu-

tuo ſunt obſtricti. Hoc tamen prærogatiuæ, idque honoris ac dignitatis anima obtinet, vt multa per ſe, corpus verò nihil abſque eius vi & agitatione efficere poſſit. Dupliciter itaque anima ſuas facultates perficit: quaſdam per organa, non nulla abſque his, nulloque corporis adminiculo. Sic quæ intellectu ac ratione, mentiſque iudicio peraguntur, ſolius animæ munera ſunt. Operationes autem manuales abſque corporis miniſterio exequi nequit. Siquidem architecturam, cæmentariam, pictoriam, plaſticen, pigmentariam, arteſque alias in vſum hominum excogitatas, animo quidem menteque homo concipit, ſed manibus ea perficit, atque inſtrumenta corpori attributa ijs accommodat. Cæterùm cùm anima contemplationi rerum inſiſtit, cùm præterita memoria repetit, cùm futura meditatur, ijsq; præſentia connectit, dũ ratiocinatur, dum occulta inueſtigat, atque abdita quæq; perquirit ac rimatur, cùm in extaſi conſtituta, ſubductaque in ſublime, vt Paulus, arcanorum fit particeps, genuina inſitaque à Deo vi vtitur, nulloque corporis eget adiumento, niſi ea in actum proferre velit. Tunc enim corpus animæ aſſiſtit, vt indiuiduus comes & collega, cuius opera ac ſubſidio ſuas functiones exequitur. Quòd ſi diuturnior ſit vel acrior, vel intentior in rem quãpiam agitatio, fit, vt corpus, vtpote animæ viribus deſtitutum, elangueſcat atque emoriatur. Quod obſeruare licet in ijs, qui intempeſtiuis lucubrationibus ſunt dediti, aut libris continenter affixi, quibus corpus ſenſim gracileſcit atque extenuatur, ſpiritusque vitales imminuuntur. Quicunque ergo animum nullum ſentire affectum, nulliſque rebus permoueri cenſent, ſed illæſa mente, nullaſque concipiente plagas anima, obiecti tantum, organique vitiati ratione affici, nõ admodum veritati conſentanea mihi

Anima multa agit abſq; corporis adminiculo.

Anima quando corporis miniſterio indiget.

2. Cor. 12.

Mentis intentio corpus attenuat.

mihi dicere videntur. Quid enim ſibi vult angor ille Seruatoris,atque æſtuatio? qui cõcepta ſupplicij, quod ſubeundũ erat, atrocitate, impenſiq; beneficij ingratitudine atq; obliuione, humana quadam imbecillitate in hanc vocem moribũdus erupit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, eamque veluti patri blandiens, deprecatur. Et quanquã nondum illi inſultaret, aut manus inferret inſolentia militaris, tota tamen mente & cogitatione in imminens periculum defixus, tãto horrore ac trepidatione concuſſus eſt, vt affectus ſanguineũ ſudorem expreſſerit, toto corpore confertim, atque effusè promanantem, ſic vt vtrique parti acerbitas illa doloris ſit cõmunicata, atque ex animo in corpus redũdare cœperit. Nec eſt, quòd quis opinetur in huiuſmodi tædio ac pauore animam vitalem ac vegetantem, tum ſpiritus naturales tantũ affici, imo pars hominis potior diſcrimini obijcitur, in eamque tota vis mali decumbit. quæ tamen originis ſuæ memor, vires colligit, ac cœleſti fulta præſidio, intrepidè infractoque animo aduerſus pericula ſubſiſtens, diuinitus ſolamen accipit. Huiuſmodi affectibus etiam Diuæ virginis mens multipliciter agitata eſt. Illius ſiquidẽ cùm ſpiritus tum anima, aliâs lætitia, aliâs dolore perfuſa eſt. illud denunciato per angelum conceptu, partuque mirifico, paſtorum concurſu, ac Magorum adoratione: iſtud, vt à Simeone fatatum erat, erecto in crucem filio, experta eſt. Poſſem equidem magnã connectere ſeriem eorũ, qui in maximis calamitatibus conſtituti, acerbiſſimũ animi vulnus conceperint: exempla ſuppeditant tot vatum examina, inter quos Helias, Heliſæus, Dauid, Hieremias, Moſes, Eſaias, Ionas, Zacharias, & præter martyrum aliquot myriades, indefeſſus ille fidei noſtræ aſſertor & propugnator Paulus ſuo agonothetæ, ſeu

Christi pauor hominis argumẽtum.

Matt. c. 26.

Chriſtus in corpore & animo cruciatus ſenſit.

Maria doloribus concuſſa.

Vates calamitatibus expoſiti.

remuneratori ſtrenuam operam præſtiterunt, qui præter corporis incommoda, ſummaſque anguſtias, ac detrimenta, animam circumferebant acerrimis doloribus exulceratam. Quiſq; autem ſecum ipſe expendat, quanta obſederit illorum animos anguſtia, quis menti inhæſerit mœror, quæ trepidatio: cùm pulſi patria, deſtituti affinium ac cognatorum ſolatio, ludibrijs, contumelijs, flagris, expoſiti, afflicti, preſſi, conculcati, proſcripti, per loca auia, atque hominibus inacceſſa hoſtium ſæuitiam euitare ſunt coacti, ſuæque ſaluti atq; incolumitati conſulere. Quòd ſi anima, quæ homines à belluis ſecernit, omnis affectionis ſit expers, nullisq; vel ſolatijs capitur, vel doloribus afficitur: quid ſibi volunt plorabundæ hæ voces? Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Defecit in ſalutari tuo anima mea. Renuit conſolari anima mea. Rurſus dum refocillatur, ac Dei fauorem percipit: Introito anima mea in requiem tuam: etenim Dominus benefecit tibi. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Quibus etiam ſi innumera congeras, non deſignari tantum puto naturales animæ facultates, & potentias breui interituras, ſed illam, quæ rationis, quæque diuinitatis eſt particeps, à cuius vi omnes actiones corporis procedunt, omneſque functiones perficiuntur. Cui parti inſita eſt ab opifice συντήρησις, hoc eſt, conſeruandæ, exequendæque legis naturæ amor & notitia, virtutum vitiorumque diſcrimen. Quæ vis, teſte Paulo, hoc efficit etiam in animis eorū, qui à Deo ſunt alieni, vt naturæ ductu à malis reſiliant, ac virtutem amplectantur. Siquidem illa animi pars, in qua elucet imago Dei, ac ſe profert naturæ integritas, deteſtatur, damnatque nequiter facta, ac ſe cupit

Anima licet incorporea, doloribus agitatur.

Rom. 1.

Synterelis quid.

Naturæ instinctu.

cupit præſtare inculpatam, ab improbis moribus, omniqúe ſcelere immunem: quanquam hæc naturæ vis nonnihil labefactata eſt, & concuſſa: ſic vt quæ mens concepit, voluntas non ſyncerè, non prōptè, non alacriter exequatur. Huic affinis Conſcientia, quæ mentem hominis latenter à Deo inſtigatam arguit atque accuſat, incuſſoque terrore, ac ſcelerum recordatione anteactam vitam deteſtatur, conceptoqúe emendatioris vitæ propoſito, malorum pœnitentia ducitur. Ita vltrix illa Conſcientia homini aurem vellicat, ac maleficia iampridem patrata oculis obijcit, quibus facilè conuinci poſſe video, animam affectibus eſſe expoſitam, ac perturbationibus ſubinde inquietari. Siquidem dulcia percipit & amara, ipſaqúe dilatat ſeſe ac geſtit rebus proſperis, contrahitur aduerſis. nec tantùm homines, ſed mentes quoque angelicæ ſuos quodammodo affectus obtinent. indoleſcunt enim malis hominum, ſeſeque cruciant, cùm hi à probitate ac virtute deſciſcunt: lætantur verò atque exhilareſcunt, cùm improbi ſe ad frugem cōferunt. Econtrà mali Genij hominibus infeſti ſunt, illosqúe mendacijs onerant, contumelijs impetunt, inſectantur, odioqúe parricidali proſequuntur. Quæ cùm in aëreas incorporeasqúe ſubſtantias cadunt, quî fieri poſſit, vt non eadem hominum animæ percipiant?

Cōſcientia quid in mēte efficiat.

Eſai. 33.

Mali genij hominibus infeſti.

Animas hominum non omni ex parte eſſe æquales, nec pari conditione ac dignitate, ſed aliam, alia præſtantiorem.

CAP. XIII.

QVANQVAM paulò antè nonnulla à me ſunt commemorata, quæ huic argumento congruunt, quæqúe hoc paradoxon ſtabilire poſſint;

operæpreciũ tamen facturus videor, ſi ſingulari capite hoc thema illuſtrare pergã. Pleriq; in ea hærẽt ſententia, vt animas hominum eiuſdem eſſe conditionis, eademque dignitate ac præſtantia exiſtiment, nec inter ſapientis ſtolidique aut improbi animam quicquã intereſſe, vllumque ſtatuendum diſcrimen: ſed organi tantum ratione impediri actiones, ac facultates animæ vitioſè perfici. Ego verò nullo contentionis, aut contradicendi ſtudio aliter ſe rem habere mihi perſuadeo. Quanquam enim non ignorem ob morbi ſæuitiam, ob capiti inflictum vulnus, ob caſum denique & cõcuſſionem affecto cerebro mentem obſtupeſcere, omniumque rerum induci obliuionem: non conſequitur tamen, omnibus animam eſſe parem, aut omnes, quod ad iudicandi vim, ad ratiocinandi iudicandique peritiam attinet, æqualem eſſe ſortitos. Neque enim cuiuſque anima quamlibet accuratè fuerit exculta, quantumuis ſtrenuam operam adhiberi cõtingat, artium, diſciplinarum, omniſque doctrinę, atq; eruditiõis æquè eſt capax, pariq; docilitate ac ſolertia. Cùm plerique inepti ſint, minuſque appoſiti ad perdiſcendas artes, atque inuita Minerua, repugnanteque natura pleraque aggrediantur. Vt autem faces & funalia alia alijs magis ſplendeſcunt, luciſque plus exhibent: Vtque ignita quæque alia alijs ſunt magis vrentia: ſic animæ cuiuſque ſplendor diſſimili ratione eluceſcit, variaque ſe proferũt mentiũ diſcrimina. Et quemadmodũ mẽtes Angelicæ ordine, dignitate, officijs, miniſterijs inter ſe differunt, quod Seraphin, Cherubin, Throni, Poteſtates, Virtutes, Archangeli, totaque Geniorum hierarchia demonſtrat: ita in animis hominum diſcrimen ſtatui poſſe video. In eo autem omnes conueniunt, quòd corpus mortale & caducum ſunt conſequuti: quòd formam huma-

Inter animas diſcrimen.

Simile ab ignitis facibus.

Inter Angelos diſcrimen.

humanam nacti,licet nonnulli ferino ſint aſpectu, belluiſque affines : quòd omnibus inditus procreationis ardor: quòd ijſdem naturæ legibus tenentur:quòd ſimilis illos rationis vis incitat:quòd animæ eſſentia, formaque ſubſtantiæ à Deo ſit creata: quòd immortalitati deſtinantur,omneſq; vno ſpiritu imbuuntur.Sed quoniam non æquè valenter ſe in omnes exerit vis diuinitatis, nec omnes eius muneris ſunt æquè capaces, tantique beneficij plerique ſe præbent indignos, fit vt alia vi atque effectu ſuas actiones proferant animæ, nec ſint in præſenti rerum ſtatu, conditione, dignitate,ordine pares, nec in altera etiam vita futuri æquales,parique gloria illuſtrandi.Sic enim propheta Daniel eius rei nobis fidem facit: Quotquot in puluere dormiunt,euigilabunt, alij in vitam ſempiternam,alij in opprobrium, in dedecus, in pœnam, alij in condemnationem. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudierint multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Quod diſcrimen inter ſubſtantias incorporeas Paulum etiam obſeruaſſe cõperio,deſumpta ex ſyderib⁹ ſimilitudine. Vt enim ſydera alia alijs ſunt illuſtriora, variaque ſe exhibent corporum diſcrimina: ſic magna in animis hominum differentia, atque in reſurrectione altera alterius anima futura eſt magis glorioſa. Conſtituit autem Deus (vt Gregorius Niſenus teſtatur) ſecundùm animalium ſpecies, diuerſas animarum differentias,ac cuique corpori conuenientem aſſignauit. Sic brutis animantibus non rationalem intelligentiam, ſed naturalem induſtriam inſeuit, qua inſidias, damna, pericula, omniaque vitæ incommoda declinent. Itaque tota ſpecies animantiũ vna inclinatione mouetur. Lepus enim omnis pauidus & meticuloſus,Canis quiſq; ſagax

Animarũ diſparitas.

Cap.12.

2. de anima.

atque

Bruta non ratione, ſed ductu natura ferũtur. atque in ſectandis feris induſtrius, Vulpes omnes ſubdolæ ſunt, aſtutæ, inſidioſę. Lupus quiuis ferus, ac prædæ auidus, Simia quælibet humanas geſticulationes exprimit. Quod ipſum in homine non conſequitur. Siquidem infinitæ ſunt humanarum actionum rationes ac modi, nec omni homini vna operatio, vnaque intentio, vt animãtibus, quorum actiones à ſola natura cientur, quæ in omnibus pari ratione decurrit. At rationalis actus, qui propriè humanæ mentis eſt, ſingulis diuerſus, ac pro animæ cõditione alius alij. Vnde emergit tanta in hominũ animis opinionum varietas. Vt itaq; ex Pauli ſententia, Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit, ac variæ hominibus ſunt delegatæ functiones, ac munia, quæ Deus pro ſuo arbitrio cuique diſtribuit, diuidens ſuum ſpiritum cuique vt vult: ita ſua cuique propria ac peculiaris anima, quæ ab vno opifice profecta eſt, ſed non pari dignitate prædita, non eadem intelligentia ac rerum cognitione imbuta: ſic tamen vt virtutum, vitiorumque ſit capax, atque inſita vi optima quæque amplecti poſſet, ac vitare noxia, licet inualidè ea perficiat, vbi diuino præſidio ſit deſtituta. Quapropter non abſurda mihi videtur illa Ariſtotelis comparatio, qua mentem hominis aſſimilem facit tabulæ raſæ nulliſque expolitæ picturis, ſed quę accommoda eſt, aptaque vt quiduis in ea adumbrari poſſit, ac delineari, aut vitiorum ſcilicet monſtra, aut virtutum ſimulachra. Quo ſpectat illud D Pauli, Vt in opulenta magnificaq; domo non ſolũm vaſa aurea & argentea ſunt, verùm & lignea & teſtacea, quorum illa honeſto vſu deſtinãtur, iſta ſordido, parumq; honeſto. Sic Deus in hoc mundi theatrum varias corporũ ac animorum differentias produxit, varijſque perſonis illa induit, ac diuerſis inſtruxit ornamentis, non tamen

1 Cor. 12.

Ephe. 4.

Mens tabula raſa.

2. Timot. 2.

Simile ab amplis ædibus.

men ſine ſpe excellentioris muneris aſſequendi. Neque enim cuiquam ademptus eſt conatus, aut induſtria, qua eniti poſſet ad præſtantiſſima, & cõſectari optima: imò ad illa huic adminiculatur remunerator, ac cunctãtem impellit. Sic qui ſua culpa ſordeſcit, ac vitiorum cœno obductus eſt, expolire ſe poteſt, abſterſiſque ſordibus effici vas honorificum, atque vſibus præclaris accõmodum. Aſſignauit ſiquidẽ Deus opt. max. cuique peculiarem corporis habitum, ſuæque naturæ congruentẽ animam, quæ tamen multis modis immutari ſint apta. Deſciſcit enim nonnunquam homo, ac degenerat ab integritate, ſuique preſtantia: ſeu corpus, ſeu animam ſpectes: atque originis ſuæ oblitus, ſordibus, lutoque vitiorum inuoluitur: nonnunquã verò latenter à Deo inſtigatus, ex malis, quibus erat deuinctus, eluctatur, atque ad virtutem, ad probitatem, ad honeſta quæque nititur. Cuius rei documenta ſumere licet in filio prodigo ac decoctore, & Saule. Omnibus itaque ſua mens, ſuaque anima obtigit, ſed quæ diuino munere, eiusq; afflatu multiplices dotes, variaque chariſmata concipit: licet non æquè valenter omnium mentes ſpiritus diuinus impleat. Accipiunt quidem omnes de vberrimo eius fonte, ſed alius alio affluentius. Quod talentorum diſtributio nobis inculcat, qua in obeunda negotiatione ſalutis noſtræ diligentiam, & induſtriam noſtram licet inualidam acuit atq; extimulat, & Dei dotes amplificandas, augendasque præcipit. Vni enim quinque, alteri duo, tertio vnum partitus eſt, cuique pro ingenij ſui captu, vtq; operis huius Chorago expedire, atque è re, vſuque eſſe viſum eſt, expenſi, acceptique rationẽ ſuo tempore exacturo. Sic Paulus Timotheũ cõmoneſacit, omnibusq; eius nomine aurẽ vellicat, vt functionẽ ſuam curæ habeant, vt donũ ſpiritus, tanquam ignem

Nemo culpã in Deũ trãsferat.

Luce 15.

Quid talenti & minæ diſtributio deſignet.

Matth. 25.

2. Cap. 1.

Simile à ſopito igni. ignem ſopitum, iamque euaneſcentem exuſcitent, vt excuſſo veterno delegatum munus ſedulo exequi ſtudeant. Hoc enim à ſuis exigit Deus, vt quiſque ſuam Spartam exornet, vt minam concreditam adaugeat, & cum fœnore refundat. Et quoniam non patitur otioſos eſſe nos, nec intermittere induſtriam, ſed continenter excubias agere, atque indefeſſo labore inſiſtere nundinationi. *Lucæ 19.* Negotiamini (inquit) donec veniam. Quod cùm organum electionis Paulus ſedulo inculcaret alijs, id *Negotiatio Euãgelica.* ipſe omnibus modis præſtare ſtuduit, ſic vt in legatione ſibi commiſſa cæteris magis feruidus fuerit, atque in Apoſtolici muneris functione obeunda alacrior, viuidiorque. *Simile à natura rerũ.* Vt itaque in gemmis, animantibus, herbis, ſideribus diſcrimen eſt, ac flos alius alio odoratior, ac gemma alia rutilantior: ita in animis hominũ euenit, quæ peculiari quadam vi ac facultate inſtructæ, varias operationes, diuerſosque effectus proferunt. *Simile ab aſtris & ſemine.* Quemadmodum enim (vt Paulus ait) ſuo cuique ſemini vis inſita, atque alia caro pecudum, alia hominum, aliaque ſpecies *Cor. 15.* ac decor corporibus cœleſtibus, alia terrenis: alius Solis fulgor, alius Lunæ, alius alterius ſideris ſplendor: ita corpus hominum aliud alio præſtantius, habituque magis generoſo: ipſaque anima cùm in hac ſtatione, vitæque huius decurſu, tũ in reſurrectione pro ſuà ſorte, ac meritis (quæ quiſque ad Deum referre debet, nulla philautia ſuiq; fiducia) dignitate & cõditione potior, gloriaque ſuperior. Magna ſiquidem cùm in præſenti ſeculo, tum in futuro inter probos, improboſque diſparitas, ac diſſimilitudo, multumque diuerſa conditio. Impij *Pſalm. 1.* enim in medio iuſtorũ non ſubſiſtent: ſed vt quiſquiliæ, aliaque venti ludibria, diſſipabuntur. Itaq; Paulus ex natura rerum multa oculis noſtris obijcit, quorum intuitu atque obſeruatione, arcana Diuini-

Diuinitatis nobis innoteſcunt. Sic in negotio Chriſti ab odore ac fragrãtia rerum corporalium ſimilitudinem deſumit. Vt enim effluxus atque expiratio ſtirpium effectu ſe prodit, ipſumque cor vel reficit, vel offendit: ſic anima, ex qua emanat ſalubris halitus, aut inſalubris, Chriſtum vel ſuauiter afficit, vel penitus offendit. *Simile à rebus odoratis.* *2. Cor. 2.*

Igneus eſt equidem vigor, & cæleſtis origo
Omni animæ. *Aeneid. 6.*

Sed vt ignis alius alio calidior, ac pro nutrimento, ſubiectoque fomite vrentior: ex oleo ſiquidẽ, pice, ſulphure, bitumine, naphta (quam Petroleum vocant) inflammeſcit ardentius; ita anima pro ſua facultate ac viribus, proque acceptis dotibus vim ſuam in corpus exerit, eſtque in proferendis actionibus vel agilior, vel remiſſior, ſic tamen, vt corporis habitus, ac conſtitutio, quam κρᾶσιν Græci vocant, eiusque organa animæ ſubſeruiant. Par eſt ratio in malis Genijs, quorum alius alio nocentior, hominique magis infeſtus. Sic in Euangelio Beelzebub princeps Dæmoniorum denominatur, tanquã in malis inferendis præpotens, ac magnarum virium. Sic Euangelicæ narrationis ſeries malos Genios nocendi ſtudio ac malignitate diſcernit Is enim, qui minus virium obtinebat ad perturbandam conuellendamque hominis mentem, adſciſcit ſibi ſeptem deteriores ſe, ac collatis viribus ita illam occupant, vt ſublata ſit omnis emendatioris vitæ ſpes, omniſque ademptus ad ſaniorem mentem reditus. Quòd ſi fas ſit, corporea conferre incorporeis, Vt, ſtannum, plumbum, argentum, aurum, æs, cuprum, orichalcum, omniſque generis metalla ſuas ſordes concipiunt, ſuamque ſcoriam atque æruginem contrahunt: Vtque agri inculti, ſqualloreac ſitu obducuntur, ijsq; zizania, ac infelix lolium innaſcuntur; ita animæ *Simile ab vrentibus.* *Geniorum malorum diſcrimen.* *Matt. 12.* *Simile à metallis.* *Eſa. 1.* *Simile ab incultis agris.*

ſubſtan-

ſubſtantia ſua vitia contrahit, ipſaq; exculta ſplendore virtutum mireſcit: neglecta verò vitiorū fuligine denſeſcit atq; obſcuratur. Nec eſt quòd quiſquā opifici ſuo obloquatur, aut cū illo expoſtulet, vt ignau⁹ ille, qui acceptū talentū defoderat, cùm ad omnes odor Seruatoris dimanet, impreſſaque ſint cuique Diuinitatis veſtigia, ſic vt gentibus etiā à Deo alienis indita ſit, inſcriptaque naturę lex, cuius inſtinctu mens illorum Dei notitiam concipit, ipſaque conſcientia atteſtatur, ác ratio dictat, quæ ſectari, quæ vitare conueniat, quantūq; inhoneſti honeſtiq; ſit diſcrimen. Quiſque itaque efficere curet, ne inuanum incaſſumq; hoc munus accepiſſe videatur, nec Deo, cuius arbitrio omnia decurrūt, obmurmuret, quòd minus præſtantem animā ſit conſequutus: ſed quam obtinuit, foueat, illiq; vt agro ſterili, ac ieiuno culturam adhibeat, ſparſoq; verbi Dei lætamine ſementi præparet. Ipſe infirmis conatibus, promptæque voluntati non eſt defuturus. Nihil aūt animæ ſalubrius, magiſq; frugiferū, quàm continenter ſacrarū literarum meditationi inſiſtere. Hæc ſiquidem vitiis medetur, hæc morbos expugnat, hæc animi mœrorē diluit, mentique offuſam caliginem diſcutit. Nullū eſt remedium ſanandis, reſtaurandiſq; exhulceratis mētibus efficacius, magiſque pręſentaneū, nullus morſus tam virulentus, nullū vulnus tam lætale, quod hoc medicamine non ſaneſcat, atque obducatur.

Deo ſequiſque ſubmittat.

Rom. 2.

Naturæ lex cuique impreſſa.

Simile à cultura agrorum.

Hortatio ad amplectendā doctrinā cœleſtem.

Hor. lib. 1. Epiſt.

Feruet auaritia, miſeraq; cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poßis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinoſus amator?
Nemo adeò ferus eſt: qui non miteſcere poßit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Hæc

Hæc commoda præſtat Philoſophia, non humana quidem, vt Horatius exiſtimabat, ſed cœleſtis & diuina, quæ naturam luxatam ac collapſam integritati priſtinæ reſtituit, quæ fiduciam erga Deum in nobis excitat, illique nos conciliat, quæ animi tranquillitatem adfert, mentemque firmam ac ſtabilem: qua nihil homini in hoc turbulento vitę ſaIo optabilius. Quò ſpectat illud Pauli, quo nullus in hac palæſtra exercitatior: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ hominem iuſtum efficit, vt integer ſit homo diuinus, ad omnia officia pietatis accommodus.

Verbi Dei fructus & vtilitas.

2. Tim. 3.

De animæ immortalitate, atq; indubitata, certaq; corporis humani reſurrectione: tum qua ratione ac modo id perfici continget: Deniq; quanta ex tanto munere mentis erectio in Deum, quantaq; morituro fiducia conſequendæ ſalutis.

C A P. XIIII.

NIHIL homini calamitoſo, morbisque ac malis innumeris expoſito, in huius æui decurſu plus adfert commodi, depulſoq; mortis metu plus præbet ſolatij ac fiduciæ, quàm vt ſubinde cõtempletur alterius vitæ beatitudinem, ac felicitatem: eiuſque rei potiundæ ſpem certam atque indubitatam concipiat. Quæ conſiſtit in animæ immortalitate, ac corporis reſurrectione, totius fidei noſtræ baſi ſolida atque inconcuſſa. Inanis ſiquidem foret labor omnis noſter, atque irritus conatus: omnisque vitæ noſtræ ratio, cultus, inſtitutum, religio euanida, atq; impoſturæ affinis: ſi tanto, tamque ſalutari bono fruſtrari nos, atque ab alterius vitæ expectatione decidere contingat. Quò mirari ſubit quorundam ſtupiditatem, qui non aliter

Meditatio alterius vitæ quid efficiat.

In quo conſiſtat hominis ſecuritas.

Alia hominis, alia animantiũ conditiõ.

ſpirare homines, quàm bruta exiſtimant, quique animas penitus extingui, nec à morte quidquam hominis ſupereſſe contendunt. Qui cùm in naturæ operibus prorſus cæcutiant, atque hallucinentur, Deique potentiam vel non agnoſcant, vel ex rebus conditis non obſeruent, fit vt mens illorum aſſequi, aut rationem inire nequeat, quì effici poſſit, vt anima ſit æterna, ac nunquam interitura, ipſumque corpus rediuiuum ſit futurum, ſuæq; integritati aliquando reſtituendum. Cùm autem Deus hominem immortalem eſſe, ac perpetuò illum ſubſiſtere voluit, ad imaginem & ſimilitudinem ſui illum condidit. Quòd ſi homo Dei imaginem refert, eiusque ſimilitudinem exprimit: neceſſe eſt, eandem cum origine ſua naturam conſequi, atque æternitatis fore conſortem. Huius muneris dignitatem ac præſtantiam non ſunt ſortitæ reliquæ animantes: cùm nulla in his ſe proferant Diuinitatis veſtigia, nulla mens vigeat, deſit ratio, memoria, intellectus, iudicium, artes, diſciplinæ, rerumq; peritia deſideretur, quæ hominibus Dei munere affatim ſunt attributa. Quapropter piaculum eſt, id ſtatuere mortale eſſe, ac caducum, quod à Dei ſubſtantia prodijt, quodque à diuina mente homini eſt inſpiratum. Vt igitur Deus æternus, omnisque interitus expers: ita anima quoque humana tanquam diuinæ eſſentiæ particeps, æterna, atque ab omni corruptione immunis. Cæterùm cùm Deus hominis gratia omnia condidit, ſolùs homo Dei cauſa, atque illi conformis eſt creatus, eoque effectum eſt, vt Deus à mundi exordijs mirificè erga illum affici cœperit, illoque ſe oblectare, atque eius familiaritate & conſuetudine perfrui exoptauerit, adeò, vt huius cauſa humanitati vniri ſuſtinuerit, atque immortalis mortali agglutinari: quò diuina natura humanæ coaleſcat,

Geneſ. 1.

Homo Dei imaginem refert.

Animātes mente deſtitutæ.

Anima hominis diuinitatis particeps.

leſcat, atque vniatur, humana Diuinæ. Cuius rei fidem ſuo hoc teſtimonio aſtruit Dei patris ſapientia Chriſtus, qui hanc nobis ſalutem peperit: Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret: ab initio atque ab æterno extiti, quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & terram deorſum, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Quæ φιλανθρωπία, hoc eſt, vt Paulus ait, amor & propenſio erga homines, hoc efficit, vt omnia nobis per Chriſtum ſint communicata, vt par ſit cum illo noſtra conditio, ſimilis ſors, æqualis hæreditas: eoque fit, vt quidquid in Chriſto expreſſum eſt, in homine quoque ſit exprimendum. Ipſe æternus eſt, ac perenniter ſubſiſtit: id illius beneficio conſequitur homo. Ipſe primus reſurrexit deuicta morte, auctor, princeps, ac primitię tanti triumphi: illius virtute cæteri omnes ſunt reſuſcitandi. Quamobrem nemo ſibi tam ſit iniquus, aut in tanti muneris auctorem ingratus, vt nominis huius honorem ſibi vel inuideat, vel ab ſe repellat. Quis enim tam ſtupidus, qui ſe ab interitu vindicare non cupiat, ac perenniter ſubſiſtere exoptet potius, quàm perpetua morte ſopiri, ſublataque omni emergendi ſpe, in ſempiternam mortem deuolui? Scio equidem nõnullis plauſibilem videri hanc de animæ immortalitate perſuaſionem: at corpus in eandem ſortem recipi, parique futurum conditione, aut aliquando reuicturũ, prorſus abnuunt. Verùm hi naturam hominis, totiusq; conficiendi opificij rationẽ non penitus excutiunt, nec in illũ defigũt oculos, qui homini lucis huius auctor extitit, & cui⁹ virtute vitæ

Deus homini ꝟnicè afficitur.

Prouerb. 8.

Dei amor & propenſio erga hominem.

Tim. 3.

Hebr. 3.

Nemo non immortalitatem ꝟel affectat, ꝟel meditatur.

Multi animæ immortalitatem ſtatuunt, pauci reſurrectionem.

auſpicia eſt conſequutus Siquidem cùm anima & corpus indiuulsè inter ſe connexa, hominem conſtituant, neceſſe eſt, vt totus homo, hoc eſt, & anima immortalitate potiatur, & corpus per reſurrectionis myſterium eiuſdem muneris ſit futurum particeps. Neque enim admittet ratio formationis hominis, vt alterum ſine altero ſuo fine, cui deſtinatum eſt, potiatur, vtque dimidiatus homo, aut altera modo pars beatitudinem conſequatur: neceſſe eſt igitur, conditique operis ratio expoſcit, vt corpus aliquando reuiuiſcat, ac poſtliminio coniunctum animæ pari ſit futurum cum illa conditione, eiuſdemque muneris conſors. Cùm enim Deus formando homini eſſet intentus: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Quibus verbis non alteram modò partem deſignauit, ſed totum hominem, qui ex corpore & anima conflatus eſt. Hæc enim duo vnita ac conglutinata hominem conficiunt: quæ cùm ſint diſcreta, ac diuulſa, hominem diſſolui contingit, ac nominis huius honore deſtitui. Quapropter mihi ratio exigere videtur, vt vtraq; pars eundem finem conſequatur, ſcilicet vel beatitudinem, ſi vita innocenter ſit tranſacta: vel damnationem, ſi nequiter. Nec profectò foret rationi conſentaneũ, vt ab illa felicitatis ſpe corpus excideret, cùm huius æui moleſtias æquè perferat. Siquidem animæ cauſa nonnunquam flagris ſcuticiſque ſubigitur, plagas accipit ac cruciatus, dolores concipit, periclitatur, vitæque diſcrimen ſubit: ſic vt illas animæ potentias ſentientem ac vegetantem, quæ brutis etiam communis, pertundi contingat ac dilaniari. In ſententijs enim, dictis perſuaſionibus, opinionibus, iudicijs nonnunquam ſuo incommodo animæ acquieſcit, atque obſequitur, ſeque in omnibus ſocium præbet & miniſtrum. Itaque non

Validum argumentum reſurrectionis.

Corpus animi cauſa periclitari.

non immeritò iniuria affici corpus videretur, niſi eodem beneficio vtatur. Eſt quidem corpus animæ inſtrumentum, quo actiones ſuas perficit, ac functiones ſuas exequitur: ſed alia ratione, corpore animato ac ſenſili vtitur anima, quàm opifex, aut architectus ſerra, malleo, ſecuri: cùm ſingula membra aptiſſimè officijs ſuis ſunt diſtincta, multiſque vſibus poſſint accommodari. Hoc autem diſcrimen inter corpus & animam ſtatui poſſe video, quod inter Solem & Lunam. Iſta enim licet lumen à Sole mutuetur, non tamen omnino propria vi deſtituta eſt. fertur enim peculiari motu, ſuumque circulum abſoluit: lumen autem à Sole concipit, vt ſpeculum, vtque lebetes ac pelues perpolitæ ex oppoſita face ſplendorem, nullum verò lumen exhibet, niſi à ſole illuſtrata, ſed tamen otioſa cenſeri nequit, cùm menſtruum curſum perficiat, ſuaque cœli ſpatia nullo ſolis adminiculo metiatur: Sic Anima corpori quidem vires ſuppeditat, at illi non deſunt inſitæ facultates & potentiæ naturales, quatuor humorum qualitates, quibus efficitur omnium functionum capax, atque ad quiduis exequendum appoſitum. Et quemadmodum ſol ſua patitur deliquia, lunæque interuentu occultatur, ſimiliter & Luna terræ obiectu ἔκλειψιν defectumque percipit. ille cùm per lineam eclipticam decurrit in eodem gradu: iſta in oppoſitis: Ita corpus & anima ſua percipiunt detrimenta & deliquia, & pars altera alteri nonnunquam vel prodeſt, vel officit. Cùm itaque tantus ſit in his conſenſus, tam fida ſocietas, illaque tantiſper, dum in hac vitæ ſtatione excubias agunt, mutuas operas tradunt, par eſt, vt corpus per reſurrectionem innouatum, eiuſdem muneris ſit particeps, atque in eundem municipatum admittatur. Qua aũt ratione id perfici contingat, ſiquis, vt Thomas ac Ni-

Corpus quomodo animi inſtrumentum.

Elegans comparatio à ſole & luna deſumpta.

Simile à perpolito ſpeculo.

Eclipſis ſolis & lunæ, animæ & corpori cõparata.

Conſenſus corporis & animæ.

ac Nicodem⁹ ob ingenij tarditatē aſſequi nequit, ne Deo vel ſuam potentiam detrahat, vel illi diffidat: ſed oculos mentemque in tanti opificis opera dirigat, abundè multa eſt perſpecturus, quæ illi non deeſſe vires declarabunt, non ſolùm inſtaurandi hominis, verùm & quiduis eorum, quæ animo deſtinauit, perficiendi. Colluſtremus cœlum hoc ſideribus vndique exornatum, illiq; ſubiacentem terræ globum, ex qua pullulant tot ſpecioſi, fragrantesque floſculi, tot ſtirpes ſalubres, cùm eſui, tum medendis corporibus accommodæ, tot in maris gurgite piſcium genera, tot in aëre ac terra alites, tot pecora partim ad veſcendum, partim ad cultus agrorum, ipſumque hominem tanti operis ac muneris dominatorem ac præfectum. Quæ initio Dei verbo ex nihilo, nullaque ſubiecta materia creata, ſtabiliter perſeuerant ac ſubſiſtunt, ſuasque viciſſitudines, ortus, progreſſus, incrementa obtinent. Cùm itaque tam ſit immenſa conditoris vis & potentia: quis illi vires deeſſe dictitabit erigendi, reſtaurandique collapſa, qui admiranda quæque ex nihilo conſtruxit? Quòd ſi corpus homini: nullo negotio ex nihilo creauit opifex: quanto illi facilius erit, mortuum reſtituere, atq; in vitam reuocare? non quidem ex nihilo, ſed ex materia cognata ac familiari, quæ vel in cineres reuoluta eſt, vel alio quouis modo in auras euanuit. Vt aũt artifex op⁹ fuſile confractum atq; imminutum ex eadem materia reſtaurat, formamq; inducit præſtantiorem: ita Deus corpus in terram reſolutum ſuo tēpore reuocabit in vitam, eadem quidem, qua fuit, ſpecie, ſed omni labe, omnique terrena concretione ſublata. Hoc itaque honoris deferamus immenſo opifici Deo, eamque potentiam illi aſſeramus, vt quiduis eorum quę libet, efficere illum poſſe confiteamur, nec quiſquam ex ſua,

Naturæ rerũ reſurrectionem aſtruit.

Conditoris maieſtas et amplitudo.

Simile ab opere fuſili.

Deus omnipotens in eo, quod vult.

4. Eſdr. 4.

ſua imbecillitate, aut ignorantia illud æſtimet, aut metiatur: cùm minutiſſima à nobis comprehendi nequeant, prorſusque ingenij noſtri captum excedant. Quod ſi hæc mundi ſpectacula, totiusq; naturæ ordo ac ſeries non ſit ſatis efficax ad excitandas hominum mentes, nec vllæ rationes ſatis firmę ac ſolidæ ad declarandam Dei vim ac potentiam: ſaltem in ſe quiſque deſcendat, ac mentis ſuæ dignitatem ac præſtantiam ſedulo excutiat: profectò intelliget atque experietur, quanta ſit humani animi, mentisque excellentia, quanta denique illius vis & potentia, qui homini hoc munus indulſit. Mihi verò humana mens non omnino gemmis videtur abſimilis, quæ præter id, quòd aſpectæ gratæ ſint, atque oculis blandiantur, tum internas vires, effectusque efficaces obtinent, ac latentes, quas attritu, & confricatione proferunt: vt Succinũ, Gagates, Magnes agitata ac cõcalefacta feſtucas, floccos, quiſquilias, ferrum violenter ad ſe rapiunt: Sic animæ vis exuſcitata ac concuſſa vim ſuam exerit, vtque ignis ſopitus, ac cineribus obductus emicat, ſenſimque ſcintillare incipit. Et quanquam diuina virtus paſſim ſe profert, atq; in tanto naturæ artificio omnium ſe oculis exhibet, adeò vt humanus animus expleri ac ſatiari nequeat: in nulla tamen re Dei vis atque amplitudo magis elucet, aut expreſſius ſe declarat, quàm in animo menteque hominis, quæ ab archetypo diuinitatis eſt deprompta. Quapropter non eſt, quòd quiſquam eam opinionem concipiat, vt id exiſtimet aliquando interiturum, quod ab eſſentia Diuinitatis dimanauit, tantisque dotibus eſt excultum. Quò mihi non abſurdè ratiocinari videtur Plato: Quidquid non conſtat ex elementis, eſt immortale, atque interitus expers. Anima non conſtat ex elementis, nec ex materiæ cõcretione cõflatur, ſed

Mẽtis cum gemmis cõparatio.

Simile à gemmarũ efficacia.

Mẽs humana Diuinitatis exemplar.

In Phædo.

diuinitus originem eſt ſortita. Igitur non eſt obnoxia corruptioni. Nec ſanè tanta ineſſet hominum animis vis & acumen ingenij: præſtantia doctrinæ: inuentionis ſubtilitas, cognitio rerum, Dei vel amor vel notitia: niſi anima à terreno concretu aliena, Diuinitatis eſſet particeps, atque æternitati deſtinata. Quæ perſuaſio priſcorum etiam animos occupauit, Quibus inſitum erat, teſte Cicerone, eſſe à morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, vt funditus interiret. Idq; tum multis alijs, tum cæremonijs ſepulchrorum intelligi licet. Quas nec tāta cura coluiſſent, nec tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum animis, Mortem non delere omnia, ſed quandam eſſe migrationem, commutationemque vitę melioris. Nec ſanè quiſquam poteſt eſſe tam rudis, tam ferinis moribus, qui in cœlum attollens oculos, tametſi neſciat, cuius Dei prouidentia regitur hoc omne, quod ſpectamus, aliquod tamen eſſe numen intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, ordine, vtilitate, conſtantia, quod fulcit ac moderatur omnia. Cùm itaque Deus opt. max. qui nihil temerè, aut fortuitò eſt molitus, tantarum rerum vni homini principatum attribuit, abſurdum videri poſſet, vt is ad nihilum ſit redigendus, totusque ſpectet ad interitum. Lōgè profectò melius conſuluit generi humano naturæ parens, quàm vt id gigneret atque educaret, quòd cùm perpeſſurus eſſet extremos labores, tum incideret in mortis ſempiternum malum, portum potius commonſtrauit, ac fidam tutamq; ſtationem, in qua poſt exactos huius æui labores liceat conquieſcere. Hinc Paulus omnia ſtudia, curasque noſtras ſurſum ſpectare vult, erectaq; mente in supernā ciuitatem, cœleſtia meditari. Quòd ſi huius tantum ſeculi finibus vita noſtra terminatur

Tuſ. 1.

Ethnici immortalitatem admittunt.

Cic. de Diuin.

Homini rerum principatus attributus.

Coloſſ. 3. Hebr. 2.

natur, nec vltra producitur, nihil homine calamitoſius, nihil abiectius, prorſusque iniqua opulentorum atque inopum conditio. Cùm illi delicijs adfluant, rerumque omnium copia perfruantur: iſti malis omnibus expoſiti, nullam habituri ſint poſt hanc vitam, ſpem, nullum ſolatium. Quamobrem optimè ratiocinatur Paulus: Si in hac tãtùm vita ſpem fixam in Chriſtum habemus: nihil Chriſtianæ profeſſionis hominibus miſerius, multoque potior illorum conditio, qui à Chriſto alieni ſuauiter viuunt, ſeſeque molliter curant, quàm Chriſtianorum, qui vana ſpe ludificati, malis ſe diuexari patiuntur, omniumque ludibrium eſſe ſuſtinent, ac reiectamentum. Quòd ſi quidquid eſt hominis, perit, totaque ſpes morte finitur: quid ſibi vult anxius ille mentis cruciatus, atque animi carnificina? quid ſcelerũ vltrix conſcientia? quid ingruente tẽpeſtate aliqua pauor & trepidatio? rurſus quid ſecuritas, animiq; tranquillitas, & cõſtantia? Nónne illa pœnam ſunt metuentis poſt hanc vitam? iſta præmia ſpectantis, ac malorum lenimen, vitæque ex Dei præſcripto exactæ non ſine certa ſpe, remunerationẽ? Quæ res effecit, vt Paulus exhortatus Timotheum, ſuę diſciplinæ aſſectatorem ad peragendam muneris Apoſtolici functionem, ad quam erat aſciſcendus, deſumpto ab athletis ac pugilibus exemplo, confidenter pronunciarit: Certamen bonum certaui, curſum cõſummaui, fidem ſeruaui: quod ſupereſt, repoſitą eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet Dominus iuſtus iudex, nõ ſolùm autem mihi, ſed quotquot illi fidunt, illiusq; promiſſionibus nitũtur. Quamobrem non eſt, quod quiſquam ab hac ſpe decidat, mentemq; ſinat à tantæ felicitatis expectatione dimoueri. Huius enim rei veritatem ſua cuiq; mens dictat, intellectus percipit, ratio confirmat,

1. Cor. 15.

Solida Pauli rationes in aſſerenda immortalitate.

Animi carnificina mentem ſellicat.

2. Tim. 4.

natura rerum loquitur: adde, quòd omnibus inſita ſit immortalitatis honeſta ambitio, & quòd quiſque memoriam ſui quàm maximè longam efficere cupiat, eamque apud poſteros durare perenniter, ac nulla vetuſtate aboleri. Quæ vna ratio validiſſima Auguſtino & Ciceroni creditur, qua conuinci poſſit, Animam eſſe immortalem, nec vnquam interituram. Hæc ſiquidem perſuaſio magnos addit ſtimulos, magnaque incitamenta ad virtutem, ac propoſitis præmijs ad præclariſſima quæque mentem extimulat. Et quanquã hæc & pleraque alia non exigant rationum ſuffragia, nec diuina (vt Paulus ait) conſiſtant in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ verbis: non tamen improbandus illorum conatus, atque induſtria, qui ſobrias rationes adferunt: quò illorum animis error eximi poſſit, qui contemptis ſcripturæ teſtimonijs ægrè ferunt animæ immortalitatem, ac reſurrectionis fidem hominibus inculcari. In cæteris verò non conſultum arbitror, diuina curioſius perſcrutari: ac ſacri codices frenum inijciunt humanæ temeritati, quæ eruere tentat acceſſu, adituque difficilia, atque vnde non facilè reſilire, ac referre pedem licet. Cuius rei documentum Iob, Eſdras, ac præcipuè Paulus exhibuit, qui eò erat progreſſus, vt exclamare ſit coactus: O altitudo diuitiarũ, ſapientiæ & cognitionis Dei: quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à conſilijs? Quoniam ex illo, & per illũ, & in illo omnia. Cæterùm ne quis ſe diuelli patiatur ab hoc ſolido fundamento, in quo tota ſpes hominis decumbit, totiusque ſalutis cardo vertitur, Paulus acriter viget ac inculcat Reſurrectionem, quæ & animæ immortalitatem complectitur, eiusque rei fidem, certitudinem, rationem, modumq; exprimit,

De cognit. Vera Vitæ. Tuſc. lib. 1.

1. Cor. 2.

Quatenus eruenda Deitatis arcana.

Rom. 11.

1. Cor. 15.

primit, ex natura rerũ deſumpta ſimilitudine. Natura enim omniũ rerum artifex inimitabilis, & cuius vim nemo exactè exprimere, aut emẽtiri poteſt: multa parit atque effingit, quę Dei potentiam in omnibus efficacem demonſtrant, atque in elaborandis, fingendisque rerum ſimulachris, virtutem declarant. Quòd ſi admiramur artificem ob inſignem aliquam, concinneq; depictam tabulam, aut rem quandam affabrè elaboratam, vt Gaditanus fecit perfecta Liuij hiſtoria: quantò magis illum ſuſpicere ac venerari par eſt, qui tam ſtupẽda rerũ miracula oculis mentiq; hominũ obijcit, quorum nec numerus iniri poteſt, nec ratio? Nam vt ex minutiſſimis naturæ rebus corporis humani innouatio comprobetur, Quis non obſeruauit ex cicada iam vetula atq; exoleſcente proiecto exuuio proſilire recens atque agile, argutumque inſecti genus? ex ſegni ac moribunda eruca papilionem picturatum ac volitantem? ex formicis alatam muſcam? Quid bombix vermiculus, qui ſerica texit, nónne ſigna renaſcentis vitę commonſtrat, dum mortua reuiuiſcit? Phœnix Lactantij carmine celebrata anne rediuiua reſurrectionis ſpecimen nobis exhibet? Quid ipſa veris amœnitas grataq; recurrentis anni viciſſitudo? nónne reſurrectionem repræſentant, menteſque noſtras in ſpem immortalitatis erigant? Quem verò terræ vis ac natura non oblectet? quæ cùm gremio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum acceperit, primum in occatum cohibet, deinde tepefactum vapore & complexu ſuo elicit herbeſcentem viriditatem, quæ fibris nixa ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoque erecto geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur, è quibus cùm emerſerit, frugem fundit ſpicæ ordine inſtructam, & contra auium minorum morſum munitur vallo ariſtarum. Omitto vim ipſam omnium,

Quomodo homines reſuſcitandi.

Simile à pictura.

Simile ex natura rerum.

Phœnix reſurrectionis typus.

Sic de Senect.

Stirpes renaſcẽtes reſurrectionẽ commonſtrant.

omnium, quæ ex terra pullulant. Siquidem ex fici tantulo grano, ex acino vinaceo aut cæterarum ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos, ramosq́ue, ac frondium pompam procreari perſpicimus. malleoli, plantæ, ſarmenta, radices, propagines, inſitiones, nónne ea efficiunt, vt non abſurda videri poſſit corporis humani innouatio? Hanc tam admirandam naturæ vim poſt Ciceronem Chryſoſtomus exaggerat in immenſum, ac terram omnium parentem ſummis præconijs effert. Omnium enim rerum vita ex terræ vligine exiſtit: herbæ, arbores, floſculi multiformes, & varij, ſummaq; arte elaborati, non ſine eximia odoris ſuauitate ex ſoli vbertate ortus, atq; incrementa ſuſcipiunt. Aër craſſus in aquam denſeſcit, quæ cœlitus delapſa terram irrigat, eadem rurſus Solis calore extenuata rareſcit, atque in aërem commutatur: multaque eius generis varias mutationes ſuſtinent, quæ non minus admirationis adferunt, quàm reſurrectio. Verbi cauſa, vitis ex terræ humiditate non ſolùm pampinos & capreolos guſtu peracerbos, ſed ſalubrem etiam ſuccum, vuasq́ue ſapidas producit. Palma ſcabra arbor & corticoſa dactylos profert dulces, vinoſos, ſucculentos. Iam verò ſemen vnde homo concipitur, quomodo in aures, in manus, in brachia, in cor, pulmonem, neruos, arterias, carnem, oſſa, cartilagines, mẽbranas figuretur, quis poſſit ratione conſequi? tam multa ſunt in corpore humano qualitatũ, humorum, potentiarum, virtutum, functionum diſcrimina, ex vnico ſemine conſtituta. Anne tibi inexplicabile videtur, quomodo humidum & molle in os durum ac frigidum ſolideſcit? quomodo in ſanguinem rubicundum ac florulentum cibi alterentur? in venas, arterias, neruos, muſculos, ligamenta, tendines, alimenta commutentur, ac ſolideſcãt?

1. Theſſ. 4. Hom. 7.

Terra poſt Deum rerũ parens.

Naturæ artificium.

Ex hominis ſtructura exemplum.

Cùm itaque tam multa quotidie natura molia-
tur, quorum mens humana rationem aſſequi ne-
queat: quis negabit, id præſtare poſſe totius vni-
uerſitatis opificem in reſuſcitandis, erigendiſque
corporibus, quod natura Dei miniſtra quotidie *Natura Dei miniſtra.*
facit in fouendo, eliciendoque putrefacto ſemine.
Vident id madefactum repullulaſcere, atq; in ſpe-
cioſam ſtirpem, denſamque frondem emergere:
& non credunt, hominem humo conditum, reui-
cturum, ſuoque nitori aliquando reſtituendum.
Itaque Cyprianus, cui Symbolum aſſcriptum eſt, *Exempla reſurrectiõnis ex Cypriano.*
Pauli exemplo ex natura ſeminum reſurrectionis
fidem illuſtrat: Si quis, inquit, diuerſa ſemina in
vnum commiſceat, atque hæc indiſcreta ſeminet,
vel paſſim in terram ſpargat: nónne cuiuſque ſe-
minis ſatio competenti tempore, ſecundum natu
ræ ſuæ ſpeciem germen producit, & culmum ſuæ
formæ, ſuique corporis reparat: Ita quoque car-
nis ſubſtantia quamuis variè ac diuersè ſparſa ſit,
cùm Deo viſum erit, reducetur in vitam, illa ſpe-
cie, quam mors abſtulerat: atque ita fit, vt vnicuiq;
animæ non confuſum, non aſcititium, aut extra-
neum corpus: ſed ſuum, quod habuerat, ſit reſtitu-
endum, vt conſequenter poſſit, pro præſentis vitæ
certamine cum anima ſua caro pudica coronari,
vel impudica puniri. Quapropter non videtur *Simile à ſparſo ſemine.*
mihi Paulus, magis appoſita, propinquaque ima-
gine reſurrectionis typum potuiſſe figurare, quàm
ſparſi ſeminis ſubactiq; ſcrobis ſimilitudine. Quod
eſt enim in natura ſemen humo condere, hoc eſt
in reſurrectione cadauer ſepelire: quod illic enaſ-
ci atque in viuam ſtirpem emergere: id homini re-
uiuiſcere. Committitur terræ corpus putredini ob-
noxium: at idem reuiuiſcet ſublata omni naturæ
imbecillitate: defoditur in terram varijs affectibus,
calamitatibus, morbiſq; expoſitũ; reſurget alacre,
viuidum,

viuidum,erectum,purumque ac putum, atque ab omni labe defecatum. Exemplo res erit lucidior: Aegroto qui graui morbo conflictatur, color deflorefcit, efficiturque luridus, muſtelinus, ſqualli-dus, giluus, cadauerofus: totumque corpus adeò gracileſcit, atq; extenuatur, vt exhauſto vitali ſucco agnoſci nequeat. At is adhibitis medicamentis, ac ſalubri victus ratione reuiuiſcit, fitque pinguis ac nitidus,cuteque tam ſuauiter curata vt Maugonio excultus atque expolitus videri poſſit. Sic in reſurrectione idem corpus emerget, ſed illuſtrius,& in quo nulla apparebunt concretę labis, aut corruptelæ veteris veſtigia. Hoc exēplar in Chriſto primum inchoatum eſt, qui nulla re efficacius Diuinitatem ſuam declarauit,quàm Reſurrectionis triumpho. Id ipſum in omnibus eius virtute eſt exprimendū. Qui, vt Paulus ait,trāsformabit corpus noſtrum humile, ac conforme reddet corpori ſuo glorioſo,ſecundū efficaciam, qua poteſt etiam ſibi ſubijcere omnia. Quamobrē non vult nos diſcruciari metu mortis Apoſtolus, nec impotentius luctu ac lamentis confici. Quandoquidem qui in Chriſto obdormiſcunt, Dei verbo ſunt reſuſcitandi,ſempiterno æuo cum illo fruituri: quod ita futurum prædixit Seruator: Veniet hora, qua omnes,qui in monumentis ſunt,audient vocem eius, ac prodibunt: qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò malà egērunt, in reſurrectionem condemnationis. Quibus verbis ſolatium adfert deiectis, afflictisque mentibus, ne malis ſuccumbant: impijs verò ac deploratis hominibus terrorem incutit, ac trepidationem, vt qui nullum prorſus ſibi ſcelerum finem ſtatuerent, niſi poſt hanc vitam perſoluerentur pietatis atque impietatis præmia. Vnde Iob in extrema calamitate cōſtitutus, & cui ad ſummam miſeriam nihil eſſet reliqui,

Exēplum ab exhauſto corpore.

Philip.2.

1. Theſſ. 4.

Ioan.5.

Diffidētia & fiducia quid efficiant.

Cap.14.& 19.

reliqui, hac certa ſpe ſe ipſe ſolatur: Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deū ſeruatorem meum, quem conſpecturus ſum ego ipſe, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo; hoc eſt, nemo excutiet mihi hanc fiduciam & certitudinem. Cùm itaque tota ſpes ac fiducia conſequendæ ſalutis, omneq́ue in extremis ſolatium in reſurrectionis fide conſiſtat, hanc præcipuè opponamus inſultibus, ac terriculamentis, quibus mentes noſtras ſubruere tentant, ac labefactare Dęmones, in eoq́ue ſpem fixam habeamus, qui tantæ libertatis nobis auctor atque aſſertor extitit. In maximam autem ſpem ac ſalutis fiduciam erexit hominum mētes diu expectata Seruatoris natiuitas, multū contulit eius inter homines cōuerſatio, morum integritas, doctrina, mors deniq; ipſius, quam noſtra cauſa ſubijt, atq; ab interitu nos vindicauit: verùm hoc effecit Reſurrectionis veritas, vt parto de morte triumpho ac victoria nemo de promiſſa ſalute poſſit ambigere, ſed firmam ſpem concipere audeat in ſe quoque omnia perficienda, quæ in capite ſunt expreſſa, exhibitaq́;. Itaq; tota fides noſtra illius reſurrectione nititur, per quam Chriſtus mortem expugnauit, eiusq́; aculeum, hoc eſt, peccatum, quod à Deo nos auerſos reddidit, atque alienos, confecit. Proinde cùm tantam felicitatem per mortem Seruatoris ac reſurrectionem ſimus conſequuti, non ſinamus nos à recta ſententia dimoueri, ſed demus operam, vt tantorum bonorum fructum percipiamus, atque in illum continenter defigamus oculos, qui ſingulari ſuo fauore ac miſericordia, per Chriſtum excitatum à morte, regenuit nos in ſpem viuam, vitæq́ue nunquam interituræ reſtituit, atque hæreditatem immortalem conſignauit, cōdonans nobis omnia delicta, oblite-

Reſurrectio labātes fulcit.

Natiuitas Chriſti quid effecit.

Reſurrectio quid homini contulit.

Pet. 1.

Coloſſ. 2.

obliterato expunctoq; quod [illegible]ſus nos erat, Chirographo. Hui⁹ beneficij memoria animo noſtro aſſiduè obuerſari debet, potiſſimè quando poſtremus conflictus nobis adeundus eſt, in quo, deteſtatis omnibus anteactæ vitæ flagitijs, opponamus Sathanæ, morti, peccato, inferno immenſam Dei patris miſericordiam per fiduciam in Chriſtum, per quem nobis certò obuia, parataque eſt ſalus, omniumque peccatorum remiſſio, ac reconciliatio in ſanguine illius. Per hunc acceſſum aditumque habemus ad patrem. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum impenderit nobis redimendis, vt omnis, qui credit in eum, quiq; illi fidit, ac promiſſioni illius innititur, non pereat, ſed vitam æternam aſſequatur. Quæ fiducia exſuſcitat, erigitque mentes noſtras, vt proferant veros fructus per opera Charitatis, qua ſummo amore proſequimur Deum; & propter hunc proximum. Quod autem dictat Fides, exequitur Charitas. Fides enim non otioſa gignit Charitatem, Charitas viciſſim alit Fidem. Sic in fatuarum lampadibus extinguitur lumen fidei, oleo charitatis deficiente. Hæc itaque fides, fiduciaque promiſſæ miſericordiæ, quæ cordi noſtro infuſa eſt per ſpiritum ſanctum, excitanda fouendaque in nobis, vt per Chriſti mediatoris meritum clamemus, Abba, pater. Spiritus enim adoptionis atque arrabo hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitæ poſſeſſionis erigit nos ac conſolatur, mentiq; trepidationem, ac conſcientiæ terrorem eximit, efficitque, vt fauorem, vt præſentiam, vt miſericordiam Dei agnoſcamus, & conſequamur redẽptionem ac reconciliationem beneficio Ieſu Chriſti, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine illius. Itaq; iuſtificati fide, pacem conſequimur,

Reſurrectio ſemper in animũ reuocãda.

Ioan. 3.

Fiducia in Chriſtum mentes erigit.

Matth. 25.

Fides Charitate ſtipata.

Gal. 4.

quimur, ac pacatam conſcientiam, mentemque tranquillam ac ſecuram, ſic vt diſcuſſa omni diffidentia ac deſperatione, conceptaque certa Reſurrectionis atque immortalitatis ſpe, nec quidquam hæſitantes de parta ſalute, alacriter hinc emigremus in noſtram ſedem, ac ſupernam patriam, perenni gaudio, cum libertatis noſtræ aſſertore fruituri. Quæ ne mentibus noſtris aliquando excidāt, tantique beneficij ac pignoris exoleſcat recordatio, aut obrepat obliuio, Cœnam Dominicam ac ſacram Synaxim inſtituit: qua ſubinde recolimus ac refricamus omnium actorum memoriā, vt crebra meditatione noui fœderis erigatur, atque inardeſcat mens noſtra in illius reuerentiam, ſumptoque corpore & ſanguine ipſius, illo vniamur, ac certam ſpem atque fiduciam concipiamus Charitatis, ac miſericordiæ immenſæ, qua non dubitauit vitam ſuam nobis redimendis impendere. Quod ipſum monumentum cùm aſſiduè, tum maximè, ſub finem vitæ, morteque iam imminente adhibere, menteque ac animo concipere cōuenit, vt tranquillitas in animis noſtris, ſummaque in illum fiducia mentibus noſtris inhæreſcat, ac continenter illi gratias agamus pro inæſtimabili effuſi ſanguinis munere, quo omnem peccati labem nobis exemit, excuſſoque mortis terrore, ac ſublata ſæuiſſimi hoſtis tyrannide in libertatem captiuos aſſeruit. Hoc itaque myſtico pane ac ſacroſancto ſymbolo certi reddimur, Chriſto nos eſſe inſitos, illiq; vnitos atque arctiſſimo dilectionis vinculo connexos. Quo efficitur, vt certiſſima ſpe tanquam ſcipione fulti, ea nos aſſequuturos confidamus, quæ concepit ac perſuaſit afflatu ſpiritus fides, ex qua tanquam radice, Charitatis rami pullulant, qui vberrimos operum fructus proferunt. Illi enim viuacem eſſe fidem teſtātur, nec vlla ſui parte mu-

In Deū per Chriſtum dirigendi oculi.

Synaxis.

Euchariſtia.

Heb.8.

Iacob.2.

Habendus delectus operum. tilam aut claudicantem. Bonis ſiquidem Deoq́u acceptis operibus fides ſolida nunquam deſtitut eſt, ſed ornata, vt ſpecioſa arbor fronde ac fructibus. Cùm itaque Virtutes iſtæ Heroicæ, ac diuinitus inſpiratæ, quæ ita inter ſe cohærent, ac conſentiunt, vt ſe diuelli non patiantur, ad ſalutem ſin neceſſariæ, in ijs ſedulò exercenda mens eſt, quò poſt exactas huius æui moleſtias, poſt approbatam atque exertam fidei noſtræ profeſſionem, quam Deus à nobis exigit, in eaq́ue nos exercet, eas opes, illam hæreditatem, illa præmia conſequamur, quę Deus ijs conſignauit, qui in vitæ huius certamine delegato munere probè ſunt defuncti: in quo ſi erratum eſt, nihil ſaluti magis proximum, quàm erecta in Deum mente, immenſæ illius miſericordiæ ſe totum committere. Freti itaque illius clemētia, ac ſpe miſericordiæ, quam nulli reſipiſcenti denegat, fulti, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ipſius, vt conſequamur miſericordiam in tempore opportuno. Atque illud Prophetæ continenter, atque ex intimo cordis affectu exorabilis placabiliſq́ue Iudicis auribus inſonemus: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quoniã non iuſtificabitur in cōſpectu tuo omnis viuens: Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? Verùm apud te propitiatio eſt, & copioſa apud te redemptio.

Iuſtificatio impij ex Dei fiducia. *Ezech.* 18. *Heb.* 4. *Pſal.* 148. *Pſal* 119. *Diffidentia excutienda animis.*

An prodigioſis, monſtroſiſq́; partubus, atque abortiuis anima rationalis indita, ſintq́; Reſurrectionis futuri participes, obiter qua ex cauſa excitentur monſtra.

C A P. XV.

QVICVNQVE formam humanam obtinent, ſumptoq́; à primo parente naſcendi ordine, ratione

ratione ac modo ab vtroque ſexu ſunt proſeminati, licet monſtroſa ſint ſpecie, deformique habitu, animæ rationalis munere potiũtur, decurſoq; æui huius curriculo futuri ſunt reſurrectionis participes. Qui verò nihil hominis præ ſe ferunt, atque ex alterius animantis cõmiſtione ſunt conflati, ſuasq; actiones aliter, quàm homines exercẽt, nec immortales ſunt futuri, nec innouati corporis honore illuſtrandi. Sic Fauni, Satyri, Lemures, Cẽtauri, Striges, Tritones, Sirenes, Harpyæ, & ſiqua alia fabuloſa vetuſtas commenta eſt, nec animam rationalem obtinent, nec Reſurrectionis beneficio potientur. Sunt quidem inter tot hominum myriades plerique enormi corpore, aſpectu tetro atque horrido, roſtro ſuillo, rictu indecenti: ſed hi omnes tametſi à naturali hominis forma deflexerint, in hominum tamen numerum referuntur. Loquuntur enim, ratiocinantur, iudicant, reminiſcuntur, aliaque animæ munia obeunt, ac ſuas actiones humano more peragunt, licet ab hominis dignitate ac præſtantia, inſitaque naturæ vi nonnihil degenerent. Contrahitur aũt multifariã monſtroſus corporis habitus. Siquidẽ pauor, metus, conſternatio, influxus ſiderũ, excrementi ſeminalis vel defectus, vel redundantia, imaginationes geſtantiũ, variaq; ſimulachra, quæ animo menteq; cõcipiuntur, corpus deformant, atque alienas ſpecies, figurasq; abſurdas ſexui imprimunt. Nonnunquam totius naturæ ordo inuertitur, cùm vel ſemina vitiata ſunt, vel inſtrumenta inepta, ſic vt naturales facultates propagandæ fingendęque ſobolis ſuum opificium exactè elaborare nequeant. Vt enim artifex quãlibet induſtrius opus feliciter inchoatum perficere nequit, vbi vel materia improba eſt, vel inſtrumenta retuſa: Sic natura deſtituta facultatum ſuarum viribus, vel materiam nacta inidoneam,

Deformitas non priuat quenquam hominis nomine.

Vnde monſtroſa ſpecies.

Simile ab artificis induſtria.

omnia vitioſè agit, ſuoque fine fruſtratur. Non deſunt, qui data opera nōnullas corporis partes aliter, quàm natura inſtituit, informant. Sic in Aſia Hippocrate teſte, Μακροκέφαλοὶ erant, quorum capita in oblongam formam figurabant nutrices: id enim viſum eſt illis inſigne, ac generoſæ indolis argumentū, vt Perſis naſus Aquilinus. Quò tandem effectum eſt, vt etiamſi ceſſaret atque intermitteretur premendi capitis conſuetudo, natura tamen, dum formationi fœtus inſiſteret, cum inueterata inolitaque conſuetudine conſpiraret, & quæ quiſque artificioſè adhibitaque induſtria moliretur, ipſa natura ſponte exprimeret. Alimenta quoque, ipſaque ambientis aëris qualitas nonnullarū partium deformitatem pariunt. Sic qui frigida humidaque loca occupant, ſunt Capitones, ventricoſi, obeſo corpore, labris tumidis, buccis protuberantibus. Pleræque regiones pigmæos producunt, Ariſmaſpos, nanos, pumiliones, coactæque breuitatis homunculos. Aliæ gutturoſos, ſtrumiſque deformatos, ſimis naribus, varis repandiſque cruribus. Verùm licet in his multa deſiderentur, membraque vel diſtorta ſint, vel enormiter conſtituta: quia tamen ex hominibus ſunt prognati, ac vis aliqua rationis in his viget, ijſdemq; naturæ legibus ducuntur, animam rationalem ijs ineſſe Orthodoxi ſtatuunt, ac reſurrectionis fore conſortes. Cuius vis hoc effectura eſt, vt deformia quæque, aſpectuque horrida, dignam homine venuſtatem conſequantur, membraque hiulca, diſtorta, luxata, incurua, mutila in ſuam integritatem ſint reſtauranda. Et quanquam in nonnullis rationis vigor minus elucet propter organi ineptitudinem, vt in pueris, ſeniculis, ebrijs, delirantibus, quibus vel impedita eſt animæ vis, vel oppreſſa: ſingulis tamen anima rationalis infuſa eſt: quęque imminuta ſunt, reſurrectionis

De aere & locis.

Regiones corporis & animi conditiones immutant.

Reſurrectio corpora indecora reſtituet.

ctionis munere continget impleri. Imperfecti verò partus, atque abortiui, omnesq́; effluxus, quibus aut nulla eſt, aut perexigua membrorum delineatio, quòd animæ rationalis munere ſunt deſtituti, hominis nomen non promerentur: eoq́; nec reſuſcitandi. Medici autem inter abortum effluxumq́; diſcrimen ſtatuunt. Effluxus ſiquidem fit, cùm ſemina primum aliquot dies conglobata ob vteri læuorem ac lubricitatem præmaturè effluũt, ac delabuntur, ſic vt informe quiddã profluat, ac rudimentũ futuri fœtus, operisq́; inchoati adumbratio, quod ipſum deperit atq; excutitur: vt ſemina, fœtusq́; arbutei in frugiperda arbore. Abortus verò membra exactè plerumque conformata demonſtrat, qui vbi duos & quadraginta dies impleuerit, animæ rationalis, vitæque munere potitur. Quò fit, vt ſi erumpat, obortaq́; ſubita aliqua conſternatione, excutiatur, in vitam aliquando ſit reuocandus. Licet enim multa in illo deſiderentur, iuſtaque magnitudo denegetur, omnia tamen in reſurrectione ſunt implenda, quę tempore erãt acceſſura. Et quemadmodũ pueri multa habent poteſtate, quæ progreſſu temporis, acceſſuque ætatis ſe proferunt: vt ſunt dentes, vngues, capilli, iuſtaq; moles ac ſtatura corporis, quæ facultate ſeminis ſenſim augeſcunt, ac perficiuntur: ſic in Reſurrectione omnia corporis detrimenta, omnesq́; partes inabſolutæ perficientur. Quiſquis igitur ex humano ſemine, non ex fœda aliqua putriq́; vligine, aut vitioſi humoris concurſu & confluuio progna tus eſt, tametſi monſtroſo ſit corpore, ac deformi ſpecie, à morte poſtliminio in vitam reuocandus eſt, ſublato omni vitio, membriſque omnibus vigore Reſurrectionis in ſuam integritatem decenter redactis. Siquidem immenſus ille rerum opifex,

Abortus & effluxus diſcrimen.

Simile à puerorũ incremento.

Prudẽtius. *Qui reparat corpus, non reddet debile quidquam.*
Nam ſi debilitas redit, inſtauratio non eſt.
Quod caſus rapuit, quod morbꝰ, quod dolor hauſit,
Quod truncauit edax ſenium populãte veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.

Deo nihil impoſſibile. Id enim illi admodum procliue erit, minimeque operoſum, qui ex nihilo omnia conſtituit. Plus eſt enim Auguſtino teſte, homines creare, quàm collapſos erigere, ac denuò in vitam reuocare. Plus eſt efficere, vt exiſtat, quod nunquam fuit, quàm reparare, quod aliquando extitit. Nec Deo perit terrena materies, cui facile eſt reuocare in priſtinam naturam, quod in halitus, in aurã, atque aëra euanuit, quodq́ue vel abſumpſit macies, vel fames exhauſit, vel morbi depopulati ſunt, vel exuſtione in cineres ſit reuolutum, vel in elementa, ac corporis alieni ſubſtantiam tranſierit. Reddetur enim caro illi homini, à quo deciſa eſt, tanquam mutuum atque æs alienum. *Simile ab ære alieno.* Hanc tam efficacem vim experientur, qui hominis nomen promerentur: eaque monſtra, quæ ex hominibus profeminata ſunt, atque eandem cum hominibus naturam obtinent, huius diuini muneris futuri ſunt conſortes.

Humores atq; alimenta corporis habitum mentisq́; ſtatum manifeſtò immutare: atque hinc affectuum origo, ac conſcientiæ ſtimuli emergunt: obiter quid melancholia efficiat, & qua quiſque ratione illi mederi queat.

C A P. XVI.

NEMO eſt mortalium, qui affectibus non ducatur, ſuaq́ue percipiat παθήματα, ſeu perturbationes, at alius alio eſt concitatior, atque ad concipiendos animi motus propenſior. *Nemo non affectibus vrgetur.* Siquidem qui inculpato ſunt corporis habitu, ac temperãter victus vitæque

vitæque ratioñe inſtituunt, perturbationibus minus ſolent inquietari. Sic Socrates ea animi tranquillitate ac conſtantia fuiſſe memoratur, vt domi foriſque ſemper eodem vultu, eadem mentis alacritate extiterit, licet moroſam vxorem perpeti ſit coactus: quod ipſum non alia ratione obtinuit, quàm frugalitate, ſummaque tẽperantia. Hinc Cicero omnium perturbationũ fontem, intemperantiam conſtituit, quę eſt à tota mente atque à recta ratione defectio, adeò, vt nullo modo appetitiones animi regi, aut in officio contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia ſedat omnes enormes appetitiones, atque efficit, vt hæ rectę rationi pareant, conſeruatq; moderata iudicia mentis: Sic huic inimica intemperantia omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. Quò fit, vt omnes corporis morbi, mentiſq; errores ex ea pullulent. Vt enim, dũ ſanguis & pituita redundant, aut vbi vtraq; bilis adaucta eſt, ægrotationes, morbique in corpore naſcuntur: ſic prauorum opinionum conturbatio, earumque inter ſe repugnantia animum ſanitate ſpoliat, ac corpus in mutuã perniciem pertrahit. Ira ſiquidem, excandeſcẽtia, obtrectatio, metus, pauor, mœſtitia, æmulatio, ſiquando venis medulliſque inſederint, atq; intimos mẽtis receſſus occuparint, corpori quoq; infeſta ſunt, illique teterrimos morbos inferunt. Corporis itidem morbi animum per conſenſum, ac lege conſortij afficiunt. Et quanquam obiecta, multæque externæ cauſæ motus turbulentos in homine concitent, præcipua tamen cauſa atque origo in corde, necnon in humoribus ſpiritibuſque conſiſtit: qui ſi moderati ſint, nec aliena qualitate imbuti: minus ferueſcit animus, pauloq; mẽs eſt ſedatior. Ita ſi ſanguis ſyncerus ſit ac defecatus, ſi æquabile temperamentum, corpuſq; valetudine inoffenſa:

Socrates quur affectibus minus obnoxius.

Tuſc.4.

Temperantia.

Affectuum in animo tyrannis.

Affectuum origo.

ſegnius irritari hominem contingit, minusq; vel ira, vel metu, vel vindictæ cupiditate diuexari: aut ſi aliquo affectu concutiatur, vt nemo prorſus ἀπαθὴς, atque ab affectibus alienus, confeſtim adhibita in conſilium ratione, mentisque iudicio, omnis animi feruor mitescit, æſtusque ſedatur. Cuius rei documentum ſumere licet ex Dauide ac Pericle. quibus cùm improbus quidam inſultaret, ac conuicia ingereret, non odio illum, aut vindicta, ſed humanitatis officio ſunt proſequuti. Cōcipit quidem cor ex his, quæ foris obijciuntur, varios animi motus, ſed plerumque nullis obiectis ſimulachris in violentos affectus erūpit, ac ſubeunte animum latenti, tacitaque cogitatione vel illatæ cōtumeliç, vel accepti incōmodi indignatione, mens ipſa ferueſcit, atque intra ſe tumultuatur. Magni itaque refert in affectuum differentijs, quale cuiuſq; temperamentum exiſtat, quibus humoribus corpus ſit oppletum, quæ ſpirituum, qui ex humoribus generantur, qualitas. Siquidem qui calido ſunt, ſiccoq; corporis habitu, celerius incandeſcunt, præſertim qui improcero puſilloque corpore exiſtunt, quibus oblata etiam futili quauis, nulliusque momenti occaſione, citiſſimè bilis accenditur, quæ propter loci anguſtiam, minimumque organorum interuallum, mentem confeſtim corripit, atque vt humiles caſas, ac tuguriola, inflammat, acceditque. Eadem ratione huiuſmodi conſtitutionis homines præ cæteris ingenio, mentisque iudicio pollēt, quod ſpiritus coacti, minusque diffuſi aut diſſipati acrius vires ſuas exerant. Vt autem nutrimenta ac fomites alij alijs promptius flammam concipiūt, atque inardeſcunt, tum quædam ſerius, quædam citius ſopiuntur: Ita in ſpiritibus atque humoribus fieri aſſolet, quorū nonnulli diuturnos, tenacesq; affectus pariunt: nōnulli euanidos ſubitoq; perituros.

Dauidis et Periclis moderatio.

Statura puſilla quur iracundi.

Simile à fomitibus ignitis.

turos. Quò fit, vt Cholerici ſint feruidi, animoque concitato. Atque vt ſtipulæ ac ſtramenta citiſſimè igneſcunt: ſic iſti ob calidi humoris tenuitatem, ac ſubitam inflammationem impotentius incandeſcunt, ſed ijs confeſtim deferueſcit ira, atq; efficiuntur placabiles. Melancholici verò tardius irritãtur, verùm accenſis ſerius ſeneſcit ira, prorſusque ſunt implacabiles, atque iniuriarũ tenaces. Phlegmatici autem, vtpote frigidæ humentisq; naturæ, nullum propemodum ſentiunt animi motũ, nec magnopere vllis rebus permouẽtur. Quò fit, vt ignaui exiſtant atque inertes, nec ad vllas res preclaras appoſiti; ſic vt aptè illis prouerbium poſſit accommodari, Mentem non habere, qui non habet irã. Sanguinei calidæ humidæque naturæ nulla re graui ac ſeria, nullis curis diſtinentur, ſed toti in iocos, cantilenas, fabulas, vrbanitates ac dicteria effuſi nihil aliud, quàm voluptates ac delicias cõſectantur. Quæ hominum conditiones ac diſcrimina pro humorũ qualitate ac mixtura, pro ambientis aeris ac loci natura ſubinde mutantur, menteſque hominum multifariam afficiunt, eoque perſuaſum habeo, affectionum cauſam humoribus etiam aſſignandam. Siquidem affecto corde excitari ſpiritus cõtingit, atque humores ebullire mentemque hominis illorum agitatione, tanquam funali faceque ſubdita acrius inflammari. Vt enim principe ductoreque exercitus irritato, milites præſidiarij, eiusq; ſtipatores confeſtim ſe in pedes erigunt, hoſtem inuaſuri: Sic perturbatione aliqua, affectuq; animi ingruente vnà cum corde commoueri humores, ac ſpiritus exilire contingit, atque in ira, pudore, verecundia, immoderata lætitia foras erumpere: In metu verò, pauore, mœſtitia, non ſine graui valetudinis diſpendio ſeſe recondere, atq; intrò reuocari: adeò vt ſanguis modò deſerat deſtituatq;

Bilioſi hominis natura.

Melancholici natura.

Pituitoſi conditio.

Prouerbiũ in ignauos.

Sanguinei hominis natura.

Simile à militia duce.

cor, modò ſui affluētia illud ſtranguletopprimatque. Sic multi immodica lætitia derepente extincti ſunt: nōnulli ex inopinata conſternatione, ſubitoque pauore interierunt. Quod his potiſſimùm euenit, qui affectibus ſuis moderari nequeunt, nec ijs ratione obſiſtere aut mederi: vt ſunt ferè infirmioris ſexus homines mulierculæ, infantes, ſeniculi, ἀναχωρῆται, quiq; à primis annis ab hominum conſortio ſemoti, vitam ſolitariam ſunt amplexi, quos calor languidus, ſpiritus animalis tenuis atque exilis puſillanimos efficit, trepidos, meticuloſos animique deiectioris, quàm vt ſe fortes præbere poſſint in obluctandis propulſandisque aduerſis. Cæterùm ætas cuiuſque, cœli temperies, influxus ſiderum, educatio, vitæque inſtitutum, ac mos gentilitius maximum momentum in affectuum morumque differentijs obtinent. Si enim ſingulas regiones colluſtres, ſi omnium gentium naturam, ſtudia ac propēſiones excutias: comperies diuerſa viuendi inſtituta, varia ingeniorum, affectionum, morumque diſcrimina. Magni itaque refert, qua quis ſit ætate, qua educatione, quo ſidere, cœloque natus, quali temperamento ac corporis conſtitutione exiſtat, quorum denique conuictu & conſuetudine vtatur, quæ humorum tum copia, tum qualitas. Hæc enim magna ex parte animi mores conſtituunt. Sic quibus ſanguis craſſus eſt, feroces plerumque ſunt, improbis moribus, inhoſpitales, inhumani, & qui nullos ſentiunt, vel admittunt conſcientiæ ſtimulos, nullo tangūtur metu, nulla ducuntur religionis reuerentia, nullo pietatis, nulloque mouentur humanitatis affectu: cuius generis ſunt nautæ, aulœdi, aurigæ, baiuli, vectores, & quotquot militiæ ſunt aſſueti, qui ob ſanguinis craſſitiem, denſosque ac turbulentos ſpiritus, conſcientiam incraſſatam habent, mentemq; denſiſſi-

Qui puſillanimes ac meticuloſi.

Multa corporis habitum immutare.

Ex humoribus emergūt mores.

Quod genus hominum inhumanum.

denſiſſimis vitijs obſcuratam. Quod ſi qua ſuboriatur ſanioris mētis ſcintilla, aut ſi quas habēt virtutes, qui huic vitę inſtituto ſe dediderunt, illas vel obruunt, vel grauibus vitijs commaculant. Cùm enim omnem ætatem in peſſima quæque cõſumpſerunt, improbitas vitæ iam ex conſuetudine in naturam illis abijt. Sic Hannibali, auctore Liuio, inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus Diuûm metus, nullum iuſiurandum, nulla religio. Siquidem ex Lucani ſententia, *Lib.1. belli.*

Nulla fides pietasq; viris qui caſtra ſequuntur, *Lib.4.*
Vanalesq; manus: ibi fas, vbi maxima merces.

Quæ ingeniorum, morumque atque affectuũ varietas commonſtrare mihi videtur, motus atq; animi cuiuſque propenſiones in multas eſſe cauſas referendas. Quanquã enim obiecta, ipſumq; Cor, ac membra nutritioni, gignendiſque ſpiritibus deſtinata, organa ſunt, atque affectuum conceptacula: humores tamen corpori infixi, calor immodicus, influxus ſiderum, alimentorũ facultates, ambiētis aëris qualitas, vini immodicus vſus faces accendunt, atque in perturbanda mente, cõcitandiſque omnis generis affectibus præbent ſeminaria. Hinc elice, quid noxæ rationi mentiq; inferatur, vbi organa, vbi ſpiritus, vbi humores aliquid vitij, aut labis contraxerint. Eo enim fit, vt homo à ſui dignitate ac præſtantia deſciſcat, atque in belluam degeneret. Quod vates Regius deplorat: Homo cùm in honore eſſet conſtitutus, non id curæ habuit, reputatus eſt cum iumentis inſipientibus, illisque factus eſt aſſimilis. Extinguitur enim ratio, mentisque lumen obruitur vitioſis affectibus impeditum. Vt enim lychni ac faculæ minus lucis exhibent, loculo inſertæ lucernario impoſito, parumq; nitido: ita mens hominis tenebris corporis offuſa

Quæ affectus exaſperant.

Pſal. 48.

Simile à facibus.

offuſa minus ſplendeſcit, pauloque ſegnius vires ſuas exerit Eſt quidem humanæ naturæ inſitũ, vt ſanguinei exhilareſcãt, Melancholici mœrore con trahantur, deſides ſint ac veternoſi Phlegmatici, Iracundi, Cholerici: Sed omnes hi affectus moderati ſunt, minusque vitioſi, vbi humores intra mediocritatem conſiſtunt, nullaque aliena qualitate ſunt vitiati. Quod ſi qualitas, copiaque ijs augeatur; aut à temperie deflexerint, miris modis hominem affici contingit, atque à recta ratione deflecti. Et quãquam qualitates elementares, humores denique ac ſpiritus nemini ad actionẽ neceſſitatem imponũt, vt nec ſiderum aſpectu: eam tamen vim in permouendis affectibus obtinent, vt homines obluctante etiam inuitaque ratione, tanquã tempeſtate quadam ad perturbationum ſcopulos illidantur. Qualis eſt enim aeris marisq; intemperies, qualis vini immoderatè ſumpti violentia: talis eſt humoris Cholerici ac Melancholici vis plus ſatis adaucta. Quis autem ſi ſeſe intimè excutiat, ſuamque naturã accuratè exploret, turbulentos animi motus, atque enormes impetus non ſubinde percipit, adeò, vt ſit modò vel irritatior, moroſior, inuidentior, laſciuior, vel in alium atque aliũ affectum pro humorũ intemperie inclinatior. Quod ſi eam ſuſtinet mutationem humanus animus, vbi paulùm modo degenerarint à genuina natura humores, vt momento temporis mens varijs affectibus rapiatur, quid futurũ ſperamus, vbi ad extremum prauitatis ac malitiæ ſunt progreſſi, atq; in principes partes impetum fecerunt? Cuius nobis experimenta proferunt, funeſtaque ſpectacula exhibent Maniaci, furioſi, lymphati, phrenitici, melancholici, quique alienatione mentis, vel deſipientia, delirioque tentantur, quibus cùm morbi corporis in mentem redundent, formidandis horrendisq; malis ho-

Affectus quando mitiores.

Sidera & humores vim, nõ neceſsitatem inferunt.

Omnes affectibus obnoxij.

Corpus & animã mutuis morbis affici.

lis homines excruciant. Quamobrem qui ſibi ſueq; valetudini optimè conſultum cupiunt, temperanter vitæ rationem inſtituant: ne ex humorum fuligine mētem alienis abſurdisq́ue imaginationibus diuexari contingat, atque à ſedibus ſuis dimoueri. Hæc autem his potiſſimùm inculcanda, qui munia publica obeunt, ac literis intempeſtiuius ſunt addicti: quod hi magna ex parte melancholia ſoleant infeſtari. Qui humor tametſi mentem acuat, vt vinum moderatè hauſtum, ipſe tamen plus ſatis auctus, vitioq; aliquo imbutus maximo incommodo mentem afficit, adeò, vt Cicero ſuſtinuerit tardioris eſſe ingenij potius, quàm ingenioſus ac melancholicus. Huiuſmodi autem corporis habitum nonnulli natura nacti ſunt, plurimi ex varijs diuerſisq́ue cauſis contraxerunt, ab eo prius alieni. Non deſunt, qui ex iugi ſtudio atque intēpeſtiua lucubratione huc deuenerunt: alij ex metu, ſolicitudine, mœrore, triſtitia huc ſunt delapſi: Plerique ex hæmorrhoidum, menſiumque ſuppreſſo profluuio, aut ſubſiſtente conſueta aliqua vacuatione huc ſunt delati: quibus cùm atra denſaq; fuligine cerebrum impleatur, mentem abſurdis imaginationibus diuexari contingit, eamq́ue mutationem ſuſtinere, ac violentiam perpeti, vt aliquando ſpectatæ probitatis, ſummæq́ue exiſtimationis viri ad funeſtum vitę exitum adigantur, adeò vt mirari ſubeat tantam ineſſe vim ac ferociam humori melancholico, vt oppreſſa ratione mentem cuiquam poſſit eripere. Porrò vt atra denſaq; nubes ſoli offuſa, radios eius intercipit, ac lumē offuſcat: Sic humor Melancholicus mentem obnubilat, atq; ad noxia quæq; impellit. Ingerunt quidem ſe prauis humoribus mali Genij, atque atræ bili præcipuè ſe immiſcent, quòd is humor, vbi naturæ limites excedit, ad peſſima quæque perpetranda ſit accom-

Vt ſtudioſi quiq; melācholiā excitant.

Tuſc. I.

Melancholia vnde cōtrahitur.

Simile à nube caliginoſa.

Mali Genij melancholia incumbunt.

accommodus. Concipiunt enim huiuſmodi conſtitutionis homines graues, acresq; motus, ac diuturnos affectus propter humoris tenacitatem, qui ægrè liqueſcit ac diſſoluitur. Quò fit, vt prauæ cogitationes & conceptus diu animo inhæreant, quę nonnunquam in effectum erumpunt adeò, vt notos ignotosq; indiſcriminatim adoriantur, & cùm alijs, tum ſibi ipſis ſint infeſti. Sic etiam Cholericis faces miniſtrant, ſed hi irritati non ſe, ſed alios impetunt. Quod autem horum cauſa in humoribus cōſiſtit, nec omnino in malis Genijs, licet frigidam illi ſuffundant, vel hinc colligi poteſt, quòd Maniaci, Melancholici, quique alienatæ mentis exiſtunt, hæmorrhoidum mēſiumque, quæ ſubſtiterant, affluuio ſoleant liberari, atque ad ſaniorem mentem reduci, aduerſa ſcilicet humorum fuligine, quæ imaginationes ac ſpiritus animales vitiabat. Cui his Aphoriſ. Hippocrates fidem aſtruit, Inſanientibus, ſi varices aut hæmorrhoides ſuperueniunt, morbo liberantur, deriuante natura humores à parte principe ad abiectas atque ignobiles. Rurſus, Maniacis ac renum paſſionibus obnoxijs, hæmorrhoides innatæ ſalubre. Cùm enim is humor ſiue in hypocondrijs & ſplene conſiſtat, ſiue in toto corpore, parteque aliqua aceruetur, tetro atque inſuaui halitu cerebrum impleat, metū, triſtitiam, mœrorem, luctuoſa ſuſpiria, cordis aſtrictionem, aurium ſibilum adfert, atque oppreſſa ratione, luceque mentis extincta, quaſi rebus propemodum deploratis, modò in exoptatæ mortis ſpem, modò in eius metum atque horrorem conijcit. Quamobrem ex Galeni ſententia ineunte Vere atque Autumno is humor placidè ac ſenſim expurgandus eſt vomitu, ructu, deiectione, flatibus, venæ ſectione, menſium denique atque hæmorrhoidum irritata excretione. Quiſquis autem huic malo obnoxius

Melancholici vnde abſurda imaginantur.

Lib 6. Apho. 21.

11. Apho.

Tetri vapores cerebro infeſti.

Melancholia vt expugnetur.

xius eſt, acriter illi, ſummaque cura obſiſtat, atque obluctetur, nec vllo modo foueat imaginationes tacitè obrepentes animo, blandas quidem initio atque amabiles, ſed quæ adeo inualeſcant, vt ægrè excuti queant aut ſopiri.

Alitur enim vitium, viuitq́ue regendo, *Virg. 3. Georg.*
Dum medicas adhibere manus nec tollere curas.

Quòd ſi incommoda, aduerſitates, infortunia, parumque proſperi rerum ſucceſſus hoc malum inuexerint, huic infractum inuictumque animi robur opponas, ac verbo Dei eiusque fiducia te fulcias, quibus terribiles viſu formas, variaque imaginationum monſtra minimo negotio conficies. His enim præſidijs ſubſtiterunt ſpectatiſſimi quiq́ue Heroes, qui tametſi rebus propemodum deſperatis, calamitatum finem morte accelerari cuperēt, non tamen dolorum impatiētia ſunt oppreſſi. Sic Helias malorum tædio mortē exoptabat: Sic Dauid inimicorum inſidijs toties impetitus ſaluti ſubinde diffidebat: Iob deſperabūdus mori potius ſuſtinuit, ac quocumque fato abrumpere vitam, quàm tam atrocia perpeti. Chriſtus denique diffidentis hominis more, noſtraque cauſa in ſe trāſlata, deſertum ſe à patre queritur. Sed omnes hi meliorum ſpe ac fiducia, omnem animi trepidationem, ac diffidentiam erecta in Deum mente diſcuſſerunt. Hoc autem ex Ciceronis ſententia omnibus perſuaſum eſſe conuenit, Animum retinendum in excubatione ac cuſtodia corporis, nec iniuſſu, contraque imperium eius, à quo nobis ille datus eſt, emigrandum, ſtationemq; deſerendā, ne munus humanū aſſignatum à Deo, defugiſſe videamur. Quò mihi præclarè cōcionari viſus eſt Ioſephus, Vt quidquid mali nobis obtigerit, alacri atque infracto animo perferamus. Nec committendum quis ducat, vt indecorè, ac præter hominis dignita-

Mens verbo Dei fulcienda.
3. Reg. 19.
Cap. 7.
Non inferendā vim vitæ.
In Som. Scip.
Bell. Iuda. lib. 3.

dignitatem, contraque naturæ ordinem vitæ ſinem imponat. *Melancholici commiſeratione digni.* Quod ſi quis ex morbo aut mentis alienatione ad funeſtum vitæ exitum deuenerit, nemo iſtiuſmodi conditionis hominibus inſultet, aut in illos ſit ſeuerior: verum illorum miſeriæ indoleſcat potius, vicemque deploret, cùm non ſint ſui compotes, atque à ratione mentiſque iudicio exciderint, quo fit, vt ratio illis inuertatur, atq; in delectu rerum prorſus hallucinentur, ac cæcutiãt. Cùm enim imaginationis virtute corrupta, abſurda quędã animo obuerſentur, confusè de rebus ſtatuunt, vitiosè ratiocinantur ac iudicant. *Ab obiectis vitris ſimile.* Simile enim quiddam menti euenit, quod oculis, vbi varij diuerſique coloris conſpicilia obijciuntur, quibus omnia vel cærulea, vel rubra, flaua, viridantia, vel denique eius coloris, quo vitrum ſuffuſum eſt, apparent, ſic vt aliter ſe proferant ſpecies obiectaque rerum, quam reuera exiſtunt. Hinc ebrij atque irati gemina conſpectare ſe credunt, cùm vnum tantum ſit obuium. *Febricitantes & ebrij quur delirent.* Sic ex febri delirãtibus varia ſpectra animo obuerſari videntur, ac corrupta imaginatione, vitiatiſque organis multa ſpectacula ſe menti offerunt, ob prauorum humorum ac ſpirituum agitationem, qui vltro citroque commeãt, ſinusque cerebri oberrant. *Spiritus corporei mentẽ concitant.* Spiritus itaque atq; humores maximũ momentum obtinent in perturbanda mente ciendiſque affectibus, atque in inferendis conſcientiæ ſtimulis. Qui ſi ſynceri exiſtãt, nec vlla contagione inquinati, placidis moribus hominem eſſe contingit, minimeque querulum aut moroſum: Sin turbulenti ac labe aliqua imbuti, varij cientur animi motus, affectuſque tumultuoſi exoriuntur ac turbulenti. Proinde cùm corpus atque anima iuxta afficiantur, danda inprimis opera, vt animi inquietudo, mentiſq; æſtuatio verborum lenocinijs ac blandimentis ſopiatur. Siquidem ex

dem ex prouerbiali ſententia, Animo ægroto medicus oratio: tractandusque iſtiuſmodi hominum animus, vt exigit natura rei, vt corporis habitus, vt humorum qualitas expoſcit. Quemadmodū enim feræ, atque immanes belluæ cura atq; officio hominū manſueſcunt ac cicurantur: Ita placidè tractari poſtulat iſtorum animus, vt qui ſeuerioribus ac minacibus verbis exaſperetur. Nonnunquam tamen, vt in corporum morbis ſectiones, cauteria, atque vſtiones adhibemus: Sic aliquando acrius inſtandum, ac ſalubri increpatione coercendi improbi illorum conatus, ad quos per interualla reſtagnante humore noxio, ſolent incitari. Corpori verò non minor cura adhibenda eſt. Sed meminerit, qui curationem inſtituit, ne humorē illum validis medicamentis irritare pergat, ſed ſenſim ac placidè, ſummaque dexteritate id perficiat. Neque enim confertim ſentinam exhaurire conſultū eſt. Siquidem agitatus is humor mephitim quandam exhalat, ac nidoris graueolentiam, qua cerebrum incredibiliter offenditur, ac mens abſurda phantaſmata concipit. In primis autem excitandi ſpiritus olfactoriolis, ac faſciculis manualibus, alendumque corpus optimi cibi ſuccis, atque in molliter ſubacta culcitra, placido ſomno fouendum eſt. Porro omnium citiſſimè alit vinum, minimumq; negotij naturæ faceſſit. Cęterùm in eo exhibendo, quanquam vnicum ſit diſcutiendi mœroris præſidium, delectus habendus eſt, curandumque, vt tempeſtiuè, atque vt cuiuſque ætas, naturæ conditio, cōſuetudo vitę, regio exigit, pręſcribatur. Neq; enim ſemper vinum triſtitiam Melancholicis eximit, aut mœrorem diſcutit, ſed nonnunquam adauget, malumque exaſperat, ac incrudeſcere facit, præſertim vbi vitioſis humoribus corpus eſt oppletum. Quocirca antè inaniri debet, atque appo-

Simile ab efferatis belluis.

Delectus vini.

ſitis remedijs expurgari, antequam vlla victus ratio inſtituatur. Impura enim corpora quantò magis nutrias, tantò magis lędes. Cùm autem vini natura varia ſit, ac differentia multiplex, nec quoduis æquè generoſum, obſeruandum, vt optimum bibere conſueſcant, & quod nulla re vitioſa ſit conditum, quale plerũque œnopolæ ac caupones magno valetudinis detrimento offerunt, calce, gypſo, bitumine, orminio vulgo ſcarlea, eruca, ſylueſtri myrtho adulteratũ. Sic vini aliquot genera animi impetus non modò non conſopiunt, ſed recrudeſcere faciũt, atque denuò exhulcerari. Hinc plebeij noſtrates ex vini Pictauiẽſis potu, quod mordaces fumos cerebro inferat, moroſi efficiuntur, calcitroſi, iracundi, implacabiles, ſic vt rixentur aſſiduè, ſuasque vxores crebro pulſent, ac pugnis ſubigant. Quod ipſum illis facere religio eſt, vbi Rhenanũ, aut aliud generoſæ naturæ vinum hauſerint. Tũc enim blandiores ſunt, atque oſculo potius, quàm fuſtibus impetunt. Quamobrem Melancholici, laſſi, ſiticuloſi, quique arido ſunt corporis habitu, ex Horatij præſcripto,

Aphor.

Vina vitioſa mentem perturbãt.

Lib. 1. epi. 15.

Generoſum & lene requirant,
Quod curas abigat, quod cum ſpe diuite manet
In venas, animumq́ meũ, quod verba miniſtret,
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.

Lib. 21. c. 25. Quò ſpectat illud Plinij, Omnis animi aſperitas dulciori ſucco mitigatur, lenit tranſitum ſpiritus, ac molliores efficit meatus. Experimẽta in ſe quiſque capere poteſt. Nullus enim non ira, luctu, mœrore, mœſtitia aliquando conficitur. Sic in laſſitudine, ſiti, inedia, intempeſtiua vigilia pronior quiſque ad iram. Sic fames & mora, ex Plauti ſententia, bilem in nares cõciunt. Sed ea oblato cibo confeſtim miteſcit ac ſedatur. Quò fit, vt ſaturi ieiunis minus efferueſcant. Quod corpus cibo potuque irriga-

In Cur.

Inedia bilẽ accendit.

irrigatum, minus ſicceſcat, ac calore natiuo tepefacto corpus ad concipiendam iracundiam minus eſt propenſum. Incumbunt enim naturales facultates concoctioni, ac flaua bilis, quæ impranſis ebullire ſolet, infuſis humoribus diluitur. Sic lebetes, ſartagines, ac frixoria magis igneſcunt, nidoremque grauiorē naribus offundunt, vbi liquor, aut innatans pinguedo immodico calore abſumitur, ac torreſcit. Omnia ſiquidem quæ vel humore vel pinguedine deſtituta ſunt, ollis adhæreſcunt, atque nidoroſos halitus effundunt, ſic vt populari ioco dici ſoleat, Ex eadem olla elixa atque aſſa depromi. Quocirca conſultè mihi facere vidētur macilenti, quique ſicco temperamento exiſtunt, quod minus diu ieiuni perſiſtāt, ac calori natiuo fomenta miniſtrent. Sicceſcit enim corpus intempeſtiua, diutinaq; inedia, quę humidum nutricium, quod radicale vocant, depopulatur. qua de re nobis aliâs habitus eſt ſermo. *Prouerbiū populare ex malè cocto cibo.* *Inedia macilentis noxia.*

Herbas mutationibus obnoxias, tum viribus, formaq; deſtitui, niſi nouos ſubinde cultus adhibeas.

CAP. XVII.

QVERVNTVR medicorum plerique, herbarum deſcriptiones eſſe fallaces, earumque virtutes inefficaces atque euanidas, multaque paſſim obuia apud veteres, quæ parum aptè, ſi noſtris conferantur, ſuo nomini ac deſcriptioni reſpondent, eoque diuerſas eſſe herbas cōtendunt, licet noſtro æuo idē nomen obtineant. Sic hyſopum noſtratē, fabas, pētaphyllon, phu, tipham Cerealem, farraginem, ſecale, olyram, alia exiſtimant: quia veterum deſcriptionibus non per omnia congruunt. Equidem vt nemini patrocinari volo, aut illorum *Herbas mutationi obnoxias ac degeneres.*

errorem tueri, qui in herbarum cenſu & cognitione prorſus ſunt hallucinati: Sic nõnullos exiſtimo non ſatis ad rationis amuſſim omnia exigere. Tametſi enim in tanta herbarum varietate, & mutatione ſingula in certam claſſem referri nequeant, nec illis certam aſſignare nomenclaturam procliue eſt, veterum deſcriptioni congruentem: non putãdum tamen prorſus eſſe alias, quàm veteres deſcripſerunt, aut ab effectibus, quos illi attribuerũt, penitus alienas. Huic enim varietati, ſi qua ſubeſt, cauſam præbuit ipſa natura, quæ ſubinde mutat faciem, ac laſciuit in progignendis ſtirpibus, propagandiſque plantarijs, ſic vt nonnunquam à parente aliud produxiſſe videatur. Accedit his artificum ſolertia, ne dicam calliditas, quæ mixtis medicatiſque ſeminibus edocuit ſpecioſius nitidiuſque quædam adoleſcere, atque aſpectu amœniore magiſque abblandiente. Hinc illa variegata, ac verſicolor floſculorũ politura, quæ cùm in multis, tũ maximè in Vethonica ſeu viola altili, quam gariophyllæam noſtri vocant, perſpicitur, quę tam varia ac verſicolore ſpecie prouenit cultorum induſtria, ac mangonio, vt nulla parte veterum deſcriptioni reſpondeat, eoque illis incognitam plerique cenſent. Sic Calathiana autumni munus, æranthemos, cyanos frumenticeæ meſſi peculiaris, non tam cæruleo, cœleſtique colore proueniunt, quam candido, rubro, purpureo vermiculato. Sic Caltha illa lutheola Virgilio depicta ſingulis menſium Calendis duplicato florum ambitu ac denſo foliorum ſtipatu oculos oblectat, cõcinniter in orbem circinata. Sic Διὸς ἄνθος, & lychnis coronaria rutilanti cocco, ac tenero modò murice tincta rubeſcit, modò niueo colore aſpectũ recreat, multiplice foliorum congerie orbiculata. In quem modum Leucoia bellius flos, Heſperis, omneſq; violę

Naturæ artificium in ſtirpibus.

Gariophyllæa Belgis flos ſpectatiſsimus.

Oculus Chriſti.

matro-

natronales efflorefcunt. Iſta ſuperioribus ſeculis laboraſſe hortorum cultores indicat Virgilius.

Semina vidi equidem multos medicare ſerētes, Georg. li. 1.
Et nitro prius & nigra perfundere amurca,
Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus eſſet,
Vt quamuis igni exiguo properata maderent.

Et quanquam ceſſat cultoris induſtria, ac cōſerendi artificium, herbæ ipſæ ſponte aliam induunt faciem, ſi colorem, ſi formam, ſi proceritatem, ſi vires ſpectes. Id partim fit occulta vi ſiderum, partim ętate & temporum decurſu, vt ea, quæ ſtabilia appa rebant & perenniter duratura, vertantur in aliam ſpeciem, quaſi (vt Eraſmus ait) naturæ curioſitas cauerit, ne qua ſit certa herbarum notitia, quæ poſteris indubitata fide tranſmitti poſſit, ſed exigat ſubinde inquiſitionem eorum, quæ vel mutari, vel renaſci quotidie videmus, ſic natura hominum acuit induſtriam ac veternum excutit. De ratione concionan.

Siquidem pater ipſe colendi Virg. lib. 1. Georg.
Haud facilē eſſe viam voluit, primuſq; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda
Nec torpere graui paſſus ſua membra veterno,
Quo varias vſus meditando extunderet artes
Paulatim & ſulcis frumēti exquireret herbam,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.

Accedit his cœli ſtatus, ſoliq; natura, ac regionum varietas, quæ etiam hominibus crines & colorem, totiusq́ue corporis habitum immutant. Stirpes enim pro loci natura & qualitate, pro aëris ambientis conditione nunc procerius adoleſcunt, nūc humilius: quædam multis ſtolonibus, pleræq; nullo agnato frutice ac propagine humo proſiliunt, alia pro terræ habitu, diluto lacteoq́ue virore, alia ſaturata vergentiq́ue ad atrum viriditate. Vt enim pueri, quibus nutrices alimenta ſubducunt, aut ea parcius adminiſtrant, graciIeſcunt, atque exte- Loci ſitus mutationē herbis inducit. Simile ab impuberū ſagina.

nuantur, coloreque exangui efficiuntur, ac minus florido: Sic herbæ ſolo macro, ieiuno, ac ſiticuloſo enatæ, ſqualoſæ fiunt, aſpectuque triſti atq; inamœno. Hinc videre eſt, herbas in parietinis, præruptiſque ſaxis enatas vix dodrantem altas, eaſdem ſolo fœcundo ac reſtibili commiſſas ſeſquicubitum excedere, ac longè lateque ramos propagare. Sic bugloſſus & ſymphitum vulgo Conſolida maior candidis floſculis ſæpius conſpiciuntur. Sic gariophyllæa vel cultus ſtudio, vel vbertate ſoli, candidum, rubicundum, variegatum florē oſtentat vnius culmi, ſtaminiſque productu. Sic violarum color purpureus aliquando in cyaneū ac cæruleum elangueſcit. Simili ratione nonnullarum ſtirpium folia minus crenata ſerrataque exiſtunt: atque acanacea, hoc eſt, quæ ſpinis horrent, pro editioris decliuioriſque loci natura miteſcunt, ſpiniſque minus infeſta ſunt. Huc refer, quod experientia quotidiana commonſtrat, herbas fœtuſque arbuteos non ſolùm ſpeciem demutare, ſi locū aurāq; nacta ſint accōmodam, ſed etiā melioreſcere, fructuſq; proferre ſalubres, cùm paulò antè lætales edidiſſent. Quod de Perſica planta in Aegyptum trāſlata præter Pliniū Galenus cōmemorat. Cuius rei experimentū hiſce verſib. expreſſit Columella:

Herbis flores in diuerſum colorem mutantur.

2. de alimē. & 3. de ſympto. cauſis.

Armenijſq; & cereolis, prunisq; Damaſci,
Stipantur calathi, & pomis quæ barbara Perſis
Miſerat, vt fama eſt, patrijs armata venenis.
At nunc expoſita paruo diſcrimine leti
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.
Quin etiam eiuſdem gentis de nomine ducta
Exiguo properant miteſcere Perſica malo.

Hoc enim pomi genus, niſi ex aduerſo ſolis radijs ſit expoſitum, non matureſcit, ſuccique frigidi ac humidi ratione cito computreſcit, noxamque ventriculo infert, niſi primis menſis inferatur. Multa

itaque

taque molitur natura rerum, induſtria hominum exculta ac condocefacta. Siquidem vuæ acini abſque vinaceis proueniunt, fiſſo malleolo, exemptaque medulla, ſic tamen, vt inter colligandū gemma non lædatur. Citiſſimè enim latera accuratè commiſſa coaleſcunt: Miſpila quoq;, Perſica, palmulæ, ceraſia, pruna, lapidoſaque corna abſque oſſiculis induſtria, curaque hominum proueniunt, ſi tenellam ſcilicet arborē ad binos pedes reſciſſam, vſque ad radicem findas, abraſaque atque excauata ſcalpro vtriuſque partis medulla, confeſtim ſeiunctas partes vinculo conſtringas, ſuperioremque partem ac diuiſuras laterum fimo, vel argilla, ceráue obducas, ac charta madida munias, elapſo anno obducta cicatrice omnia coaluiſſe perſpicies: hanc arborem ſurculis, qui fructum non tulerūt, inſeres, & ſine oſſiculis poma proferet. Quod ipſum ex Theophraſti conſilio, in vite ſum emolitus, nec ſpem fruſtratus eſt euentus. Inoculatio quoq;, inſitio, emplaſtratio naturæ ſolertiam, cultorūq; induſtriam commonſtrant. Illa ſiquidem efficiūt, vt ſtirpes, exuta natiua indole aliam faciem formamque adſciſcant, atque aliæ in alias promptè demutentur. Vt enim videmus homines pro ingeniorum varietate, atque educationis cura, non ſolùm diuerſa ſortiri ingenia, alios mores ac ſtudia, animæque propenſiones obtinere, ſed corpus aliud alio vel exilius, vel procerius, colore vel florido vel exangui, cuteq; vel glabra, vel hiſpida hirſutaq;, forma tamen humana nō penitus deſtitui, licet nonnulli feritatem quandā præ ſe ferant: Sic in herbis vſuuenire ſolet, quæ ob ſimiles cauſas nō vnam ſeruant faciē ac vigorem, licet non ita immutentur, vt tota ſpecies formaq; ijs intereat. Semper enim aliqua parte nomini ſuo reſpōdent, effectusq; obtinēt terræ, in quā radices agūt peculiares

Gal. de alimēt. facul.

Vt nonnulla abſq; nucleis proueniant.

Inſitionis tres ſpecies.

Simile ab hominū natura & educatione.

atque incolarum naturis aptas accommodaſque. Multa ſiquidem aduehuntur ex inſulis fortunatis, quas Canarias vocant, quæ cœlo noſtro aſſueta non eaſdem per omnia vires reſeruāt, nec eadem ſpecie ac figura, eaque magnitudine proſiliunt, ſed tamen non penitus genuinam, auitamque naturam exuunt, licet nonnihil à veteri inſitaque vi ac generoſitate deſciſcant. Quod in ſpondilio, quæ plebeis Angelica dicitur, in laſerpitio vel ſilphio Ciſalpino, quæ triuiali voce Oſteritium ac Magiſtrantia dicitur, animaduerti poteſt. Quæ licet ob ſoli malignitatem, tractumque cœli frigidum à Theophraſti ac Dioſcoridis deſcriptione variant, eaſdem tamen eſſe herbas, paresque obtinere effectus compertum eſt, licet ob aeris intemperiem vires illis nonnihil langueſcant ac defetiſcant. Cùm enim cuique regioni certæ herbarum ſpecies ſint peculiares ac propriæ, ſuisq; natalibus ſingulæ ſtirpes delectētur; fieri nequit, vt aliò tranſlatæ in ſuo vigore perſiſtant. Aliæ ſiquidem opacis vmbroſisque vallibus gaudent, nonnullæ apricis ſoliq; peruijs: ſunt quæ paluſtri atque vliginoſo ſoloque irriguo delectentur, quædam glarioſo, aridoque ac ſabuloſo: quas ſi aliò transferas, ac diuerſam cœli partem ſpectare cogas, magnā virium ac ſpecierum partem ademeris. Sic Iris in Illyrico, Helleborus in Anticyra, Abſynthium in Ponto, & apud Santones præſtantius proueniunt. Sic Portulaca marina, Empetron, Braſſica maritima, quam Soldanellam vocant, Oceani crepidines, ac maris margines perſequitur, ſalſoque tractu delectatur. Sic alia alijs locis laudatiora exiſtunt, ac proprijs natalibus felicius proueniunt: Cuius rei fidem nobis facit ex natura rerum his verſibus Virgilius:

Angelica & huiq; affines herbæ.

Herbæ ſuis quæq; locis delectātur.

Quæ herbæ maritimo tractu delectantur.

Lib. 2. Georg.

Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſq; paludibus alni

Naſcun-

Naſcuntur ſteriles, ſaxoſis montibus orni.
Littora myrtetis latiſſima, deniq; apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.
Diuiſa arboribus patria, ſola India nigrum
Fert Hebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.

Ex quibus verbis perſpicere datur rei herbariæ ſtudioſis non æquè feliciter omnibus locis eadē prouenire. Quod ipſum Hemiſtichium Virgilij indicat.

Nec omnis fert omnia tellus.

Quorum pleraque ſi tentes in aliud ſolum transferre, vel elangueſcent, vel emorientur, aut ęgrè refocillata creſcēt quidem, ſed vt nomen ſuum tueri, ſuamq; generoſitatem ſeruare nequeāt. Quamobrem qui aliquid terræ ſit commiſſurus, illi ex Virgilij præſcripto

Ventos & varium cæli perdiſcere morem *Lib. I. Georg.*
Cura ſit, & patrios cultus habitusq; locorum,
Et quid quaq; ferat regio, quid ferre recuſet,
Hic ſegetes, illic veniunt felicius vua,
Arborei fœtus alibi, atq; iniuſſa vireſcunt
Gramina: nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittat ebur, molles ſua thura Sabæi,
Et chalybes nudi ferrum, viroſaq; Pontus
Caſtorea.

Quò fit, vt Alpes Belgicæ, quæ Oceani obices lōgo incuruoque tractu ab Armoricis verſus Aquilonē ſe porrigunt, omnigenas ſtirpes proferant, quæ in locis arenoſis illis (ſiquidem ex arenæ non niuis candore montes illi albeſcunt) ſponte emergūt, nulla cura, nullaque hominum induſtria. Efficit hoc partim ſoli natura, partim effectus ſiderum, quæ in illam terræ plagam inclinant, ſuamq; vim exerunt. Atque hinc fit, vt quæq; regio miniarias, ſuique generis fodinas contineat, ex quibus pro ſoli cuiuſque natura, influxuque planetarum eru- *Duynen Belgis montes arenoſi.* *Vnde mineralia.*

untur æris,argenti,auriq́; glebæ,& ſegmenta, Tophus,marmor,creta,ocra, ſynopis,minium. Similem naturam habent lacus paludesque Zelãdicæ, quas Moer indigenæ nominant,ex quibus eruuntur glebæ bituminoſæ,quę accenſæ, vt naphtha,ardent,non ſine odore tetro ac viroſo. Hinc agri,paludesque Morinenſes nomen conſequutæ ſunt, & quondam extremi hominum Morini, vrbs deniq; eiusque confinia Terrauana appellatur, quòd exhauſta ſit exemptis nigris glebis,ſic vt magnas foſſas exhibeat inanes, nullisque ſementibus accommodas. Apud Brabantos quoque eruitur iſta congeries, ſed quòd regio minus ſalſuginoſa ſit,atque à mari remotior,mitius olet. Illi Thurf has glebas indigetãt,maritimi verò Darri. Quarum tanta vis eſt, vbi frequentius his ædes incaleſcunt, vt ferrũ, cuprum, ſtannum, argentum,atque ænea quæque deurat, omniaq́; in ædibus, præter aurũ deteriora efficiat. Illud ſiquidem nõ obfuſcatur, nec fuligine obducitur, ſed ſplendeſcit potius, ac turgidum efficitur,maximè obrizum, ſyncerum, nullaq́; admixtione adulteratum. Id efficit auri raritas ac mollicies, qua fit, vt concepto imbibitoque vapore fuliginoſo turgeſcat, tum fulgore afficiatur. Tametſi enim graue ſit aurũ & ponderoſum,molle tamẽ eſt, tractabile & poroſum,argumẽto quod cyathus aqua oppletus, citra effuſionem aureos aliquot admittat. Siquidẽ præter emanãtes ſpiritus nonnullam aquæ partem abſorbet, imbibitq́;,qua imbutum aurum turgeſcit. Fumus autem ignisq́; glebis ſubinde excitatus, huic metallo colorẽ gratiſſimum cõciliat. Cùm enim is fumus obuia quæque fuligine afficiat, coloremq́; luteum atque auriginoſum inducat,vt flaua bilis ictericis: fit vt aurũ flaueſcat,quòd is color illi ſit cognatus,ac familiaris. Non enim poteſt alius color auro induci, quàm

Terrauana.

Turf, & Darrytgnis fomenta apud Zelandos, velut glebæ bituminoſæ.

Aurum fumo ſplendeſcit.

Aurum liquorem cõbibit.

Simile à flaua bili.

quàm vel flauus, vel luteus, vel denique qualis noſtra Caltha eſt, crocatus. Non deſunt apud Belgas profeſſores aliquot eruditi, qui ſubterraneorū hāc congeriem, quæ ex terræ viſceribus, tanquā fœtus ex vtero, eruitur, ex arborum truncis congeſtam ac concretam exiſtiment, proſtratis conuulſisque ſyluis inundāte Oceano ac paulatim alluuione ſu- *Moer*
perinductam terram, hoc inualido inducti argu- *quid Bel-*
gumento, quòd ſudes & ſarmenta, tum vluæ, can- *gis.*
næque paluſtres atque arundines ijs glebis ineſſe conſpiciantur. Verùm non ſatis exactè obſeruaſſe illos comperio fodinas ac terræ cuiuſque viſcera: cùm etiam in ære, auro, argento, cæterisq; metallis ramoſam venoſamque propaginē & productum ſpectemus, quem in imis terrę viſceribus cōſequuntur vegetabili quadam vi, influxuq; ſiderū. Neque enim iners aut otioſa eſt natura, ſed multa magnaque molitur, atque effingit, exornatque non ſolùm terræ ſuperficiem, ſed occultos etiam abditosq; ſinus atq; intimos receſſus. Hinc Iaſpis, por- *Natura ar-*
phyrites & marmora ſponte ſegmentata ſunt, & *tificium.*
vermiculato emblemate teſſelatim variegata. Sic nux myriſtica ſeu muſcata intercurſantibus interuenijs ſtriata eſt. quod ipſum in citrijs menſis, noſtroque robore, tum alterius generis lignis aſſulatim diſſectis perſpicimus, quę multiplice venarum diſcurſu, multisque lituris ac mæandris vndulata ſplendeſcunt. Quemadmodum veſtes, quæ ex hir- *Camelot.*
cinis caprinisque pellibus confici ſolent, tum prę- *Damaſt.*
textæ togæ ac ſcutulatæ. Cuiuſmodi plurima eruuntur ex imis terræ penetralibus tam concinnè & affabrè elaborata, quaſi a celatore, ſculptoreque inducta foret effigies. Sic Corallium in ma- *Corallos*
ris Liguſtici profundo frondeſcit, ac fructificat, *frutex.*
quod retibus extractum, confeſtim lapideſcit, coloremque aſciſcit vel nigrum vel rubrum, aut

ſi minus

ſi minus excocta eſt humiditas, candidum. Sic in ea parte Galliæ Belgicę, quam Eburones, Menapij, ac Sicambri, occupant, λιθάνθρακες, hoc eſt, carbones lapidei effodiūtur, bituminis indurati natura, quibus indigenæ non ſolùm ferrum molliunt, ſed luculentos etiam ignes in ædibus extruūt, qui ſemel atque iterum extincti poſtliminio igneſcūt admoti foco. Et cùm cætera omnia oleo inflammeſcāt, iſti affuſa aqua inardeſcunt, oleo reſtinguuntur. Non deſunt & cæteris regionibus ſuæ fodinæ atq; interranea, quarum nonnullæ ſulphur, calcē, gipſum, ocram, alumen, auri argentique glebas & ramenta effundūt, ex quibus per occultos terrę meatus thermæ ſcaturiunt, atque aquas ſuis qualitatibus imbuunt, illasq; morbis expugnandis reddūt accommodas. Sic maritimæ fodinæ bituminis naturam obtinent. Siquidem glebæ ex illis erutæ mephitim exhalant, ac graueolentiam adeò, vt aſſidentes ſyncopi atque animi deliquio ſubinde periclitentur: nec minori incommodo afficiunt carbones cùm foſſiles, tum factitij, niſi illos dū igneſcūt, ſale conſpergas. Tali ſiquidem remedio diſcutitur virus infeſtum cerebro, omneque

Excoquitur vitium, atq; exudat inutilis humor.

Non deſunt, qui hanc genitiuam terræ vim aſtris aſſignant, quæ haud dubiè in hæc inferiora vires ſuas efficaciter exerunt, hoc inducti argumento, quòd multa videāt apud nos ſponte deficere, tum alia quædam non ante viſa apparere, ac præſtantiora ſubſtitui: quibus vt non repugno, ſic ego pręſertim quod ad herbas attinet, multa propter incuriam atque ignauiam cultorum vel deficere vel degenerare crediderim. Sic triticum, vt Theophraſtus teſtatur, in lolium tranſit, ocimum in ſerpillum, ſyſimbrium in mentham odore, figura verò in calamentum, multaque florum genera, niſi adhibita

Steencolen.

Carbones foſſiles oleo extinguuntur, aqua ardeſcunt.

Sal inſperſum carbonibus ignitis odorem ſopit.

Lib. 1. Georg.

Aſtrorū in terrena efficacia.

De cauſis plant.

hibita cura ſubinde transferantur, nō ſolùm à ſua ſpecie, verum etiam ab inſita vi ac generoſitate deſciſcunt. Quod cùm in multis, tum in viola altili ſpectatiſſimo flore obſeruare ſoleo, quæ niſi quotannis ſitum loci mutare condiſcat, in humilem ac degenerem floſculum, minusque odoratum deficit. Quibus aſtipulatur Virgilius. *Cultura omnia melioreſcunt.*

Vidi lecta, diu, & multo ſpectata labore, *Lib. 1. Georg.*
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret. ſic omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Ediuerſo ſi ſylueſtribus incultisque curam adhibeas, primo quoque tempore miteſcunt exuta genuina inſitaque feritate: Quod luculenter expreſſit Virgilius.

Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras, *Lib. 2. Georg.*
Infœcunda quidem, ſed læta & fertia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt, tamen hæc quoq; ſi quis
Inſerat aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis:
Exuerint ſylueſtrem animum, cultuq; frequenti
In quaſcunq; voces artes, haud tarda ſequentur.

Multas itaque ſtirpes, easque nouas atque inauditas natura parit ac profert, multas affectus ſiderū, innumeras cultorum ſolertia. Et quemadmodum ſorices, glires, anguillæ, murenæ, cochleæ, limaces, lumbrici non ſemper ex ſemine, ſed plerunque ex lentore terræ atque ex ſordibus ac putrilagine germinant: Sic in locis arenoſis, quales apud Zelandos ſunt montes Ammonij, quos **Dunen** populares vocant, multi frutices ſponte emicant ex alimenti confluuio, & quòd is locus Soli expoſitus eſt, herbisque progignendis accommodus, quę ſemel ex terræ vligine abſque parente enatæ poſtmodum ſeminio ſe propagant, ac numeroſa prole ſe tuentur. Quamobrem non eſt, quod quiſquā miretur, herbas mutationibus obnoxias, ac ſubinde viribus

Simile à ſordidis animalibus; eorumq; progreſſu.

Theod. de cauſ. plant. lib. 1. c. 1.

viribus formaque deſtitui, cùm id, niſi affinitate ac ſimilitudine confundi illas contingat, loci ſitus, aeris ambientis qualitas, cultoris artificium efficiat. Sic piper, cardamomum, ſeſeli, radix Pontica cœlo noſtro aſſueta nonnihil immutantur, nec tam calida atque vrenti facultate exiſtunt: ſed tamen nemo aliud de his ſtatuet, quàm reuera ſunt. Quod enim ijs vires flacceſcunt, iuſtaque magnitudo ac maturitas denegatur, id calor Solis languidus, cœliq; intemperies & inclementia efficit. Herbas itaque geminam ſubire mutationem conſtat. nonnunquam enim inſitas illas vires, natiuasque qualitates immutari contingit, perſiſtente forma atque effigie: nonnunquam formæ ſpecies intercidit, ipſis qualitatibus ac virium facultatibus ſubſiſtentibus Efficit id partim influxus ſiderum, partim ſoli natura, cœlique ambientis qualitas. Cùm enim varia ſit terræ conditio, ac differentia multiplex, contingit cùm aëris, tum alimenti ratione manifeſtò immutari herbas, atque alterius qualitatis fieri participes. Sic Corylus, Ceraſus, Cornus, ſi ripis vicinæ conſiſtant, quas vitioſæ aquæ lambunt: vel ſalſæ alluunt, irrigantque, fructui manifeſtò ſalſilago ineſſe deprehenditur. Sic homines pro alimentorum facultate, pro ambientis aëris conditione alium corporis habitum & temperamentum, alios mores & ſtudia conſequuntur. Sic Cimber in Hiſpanum, Germanus in Gallum vel Italum tranſit diutino commercio, vitæque vſu & conſuetudine, ſic vt ſæpe videas arborem lætam ac nitentem, in locum ſalſum vitioſumque tranſlatam, deterioris terræ ſucco deperiſſe.

Herbæ & vires & ſpecies immutant.

Virg 2. Georg.

Salſa etenim Tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix: ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat;
Multaq; degenerant ſuccos oblita priores.

Quod

Quod ſi adijcias fatalem quandam mutationem, & vices rerum varias: obſeruabis plantas, quamlibet illas foueas, vel ætate feſſas deficere, vel effœtas elangueſcere, ac tantum non emori, niſi inſerendo, inoculandoque nouos cultus ſubſtituas, vel auulſis ſurculis aut malleolis reſuſcites. Quæ ſtirpium varietas, mutationiſque viciſſitudo hoc effecit apud pleroſq;, vt hanc Medicinæ partẽ infrugiferam eſſe contendant, ac propemodũ operã luſiſſe Dioſcoridem, compluresque alios, qui in depingendis herbis ſtudium collocarunt. Equidem ſic ſtatuo, neminem ſatis pro ſua dignitate, ac nominis ſui amplitudine hãc Spartam exornare, qui non viuas ſpirantesque herbas, in quarum notitiam non deducũt oculatæ per manum inſpectiones, & graphicæ autorum delineationes, exactè nouerit. Sunt enim ex noſtræ farinæ hominibus: qui vix dũ inſpectis herbis, mira de his incunctanter pronunciant, vt Pamphilus ille, cuius meminit Galenus, qui ne per ſomnium quidem herbas nouerat, quas tentabat deſcribere, & vires deprædicare. Quod genus hominum Heraclides Tarentinus præconibus aſſimilabat, qui conducti mercede omnia publicitus decantant, & præconio adornant, etiam ignota quæque & inconſpecta, vt nonnunquam vappam, aut vile mancipium. Simile quiddam refert Cicero de Phormione quodã philoſopho, qui corã Hannibale copioſè aliquot horas diſſeruit de Imperatoris officio, & de omni re militari. Quem cùm omnes vehemẽter eſſent admirati, quærebant ex Hannibale, quid ipſe de illo Philoſopho ſentiret: hic Pœnus non optimè Græcè, ſed tamen liberè reſpondiſſe dicitur, Multos ſe deliros vidiſſe ſenes: ſed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Nec me hercle iniuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius

Vetuſtas omnia deteriora efficit.

De ſimp. medica. lib. 5.

Elegans cõparatio à præconibus ſumpta.

De Orato.

Hannibalis ſcomma in Phormionem.

fieri

fieri potuit,quàm Hannibali,qui tot annos de imperio cum populo Romano gentium victore certaſſet, Græculum hominem, qui nunquam caſtra, nunquam hoſtem vidiſſet, nunquam denique vel minimam partem publici muneris attigiſſet, præcepta rei militaris præſcribere? Quis non illos in horum numerum referat,qui ſymphili,qui glycyrrhiſæ,marrhubij,ſatureiæ,pullegij vires ſe noſſe iactitant, idque ex libris tantum, & commonſtrare non poſſint,etiamſi ſtirpi aſtiterint, quid ſit,quod ea poteſtate polleat, & cuius vires tantopere prædicant. Cùm enim morbos medicamentis,herbisque efficacibus expugnemus, quis erit tam ſtupidus,qui harũ ignorationem in medico ferat? quis non periculoſam ægroto, hanc medici ignorantiam ac neglectum culpabit? nemo mea quidẽ ſententia omnes artis numeros impleſſe videtur, qui harum cognitione eſt deſtitutus. Vt enim nautæ non ſolum neceſſarius vſus & ars remi, quo ſcapham ſubigit, ſed illius etiam armamenti cognitio,cùm fieri poſſet,vt contum pro remo arripiat: ita medico in primis neceſſaria exacta herbarũ cognitio & peritia. illæ enim explorata morbi natura, ad rem ſcitè auſpicatequè inchoandam inſtrumenti vice exiſtunt. Quis autem ſe non deridendum propinauerit,qui aliquid aggreſſurus, inſtrumentum, quo res perficienda eſt,ignorat? Mirari profectò ſubit illorum partim ignauiam, partim incuriam,quibus hæc medicinæ pars habita eſt neglectui, adeò, vt Seplaſiarijs inſigniter indoctis hanc prouinciam delegauerint. Cùm ſatis conſtet, non veteres modò medicos, ſed potentiſſimos quoſque reges atque heroas in hac medicinæ parte ſe exercuiſſe, quibus nihil magis fuit in votis, nihil viſum eſt magnificentius, magisque regium,quàm

Simile à re nautica.

Reges olim rei herbariæ ſtudioſi.

Scire

Scire poteſtates herbarum, vſumq́; medendi. *Virg.* 11. *Aeneid.*
Quàm parum ſerijs oblectamentis ſe recreare. Et profectò vetuſtiſſimorum regum famam, ac nominis amplitudinem iampridem deleuiſſet obliuio, nullaq́; prorſus regiæ maieſtatis memoria ſupereſſet, niſi renaſcentes quotannis ſalubres herbę illorum nomini inſcriptæ atque inſignitæ perituram alioqui memoriam refricarent, illosq́; ab iniuria obliuionis aſſererent. Quorum veſtigijs inſiſtere decet philiatros, hoc eſt, rei medicę ſtudioſos, & non ſolùm anxia cura herbarum formas explorare, verum etiam vires excutere & experiri, eaſq́; morbis expugnandis, ac conſeruandæ hominum naturæ accommodare. Quod ipſum ſedulò præſtiterunt medicorum præſtantiſſimi Hippocrates & Galenus, qui vſu & exercitatione rei medicæ peritiam conſequuti, certam exactamque methodum exercendæ artis tradiderunt ratione atque experimento comprobatam. Hęc ſiquidem per diffuſam enarrationem & ſolidas traditiones exculta ſola non artifices effingere poſſunt, tantiſque prędidijs inſtruere, vt minimi ſit negotij ſæuiſſimos quoſq́; morbos conficere. Sic enim & nos ſtudiorum noſtrorum vberrimam frugem percipimus, & reliqui fructum non pœnitendum conſequuntur. Qui verò alia ratione ſtudiorum curſum inſtituunt, omniaque ad oblectamentum potius, quàm ad vſum atque vtilitatem hominum referunt, malè de ſtudijs merentur, nec ſuis, ciuiumque commodis benè conſulunt. Omnes autem artes, Cicerone teſte, aliter tractantur ab his, qui eas ad vſum transferũt, atque hominum vtilitati deſeruire cogunt: aliter ab his, qui ipſarum artium ſtudio ac theoria, hoc eſt, ſpeculandi amore delectati nihil aliud in vita ſunt acturi, quàm vt oblectamentum ac voluptatem ex illis concipiant. Vt enim virtutis, ita artis

Gal. 2. aliment.

Ad vſum omnia referenda.

cuiuſque laus omnis in actione conſiſtit. Cùm itaque tantam exigat diligentiam res medica, laboremque indefeſſum requirat & irrequietum, nunquam intermittenda induſtria, ſed acriter exploranda natura morborum, atque ineũda ratio, qua illorum ſæuitiem expugnemus. Atque vt in bello noua ſtratagemata, aſtusque militares cõminiſci videmus, tũ inauditas machinas, ac ſclopetas, tormentaq; bellica excogitari: ita nouis ſubinde emergentibus morbis noua ſunt remedia cõminiſcenda. Quod in lue Venerea, in ephimera cõtagioſa, ſeu ſudore Britannico, in ictero nigro, cuius ſymptomata ſunt Stomacacce & Scælotyrbe, nuper factitatum videmus. Queſti ſunt olim nonnulli, vbertate nimia prioris æui exhauſtũ ſolum, negare ſolita benignitate alimenta mortalibus. Quod ipſum ita diluit Columella, vt hominum vitio atque ignauiæ id aſſignet, quòd culturæ minus inſiſtant, minusq; ſtrenuos colonos ſe præſtent. Id ipſum & de noſtrorum hominum ingenijs interpretor, quibus naturæ parens nihil denegauit, nec omnia veteribus indulſit, verùm & reliquę poſteritati ſuas dotes eſt elargitus, quam ſterilem eſſe & effœtam paſſus non eſt. Itaq; non deeſt poſteris ingenium, modò non deſit mens, ac propenſa promptaq; ad artes conſectãdas voluntas, modò ſimilis ardor & inquirendi cupiditas illos rapiat. Siquidẽ, vt habet prouerbialis ſententia, Exercitatio poteſt omnia. Videre eſt aũt pleroſque in ipſo exercendæ artis tirocinio induſtrios, ſedulos, ac diſcendi auidos: verùm vbi eò ſunt progreſſi, vt plebi innoteſcere cœperint, ſenſim illorum flacceſcit induſtria, ac remiſsè parumque attentè ſuas perficiunt operas, duri, præfracti, intractabiles, inhumani, ac minus quàm antè, officioſi, quique philautia quadam, ac inani perſuaſione reliquos faſtidiunt, ac grauatè collegam,

Simile à rebus bellicis.

Schoerbuyc à vitioſo ſtomacho gingiuas et pedes inficit.

Rei ruſt. libro 1.

Vbi intenderis ingenium, ibi valet.

collegam, laboriſque ſocium adſciſci ſibi patiũtur. Non deſunt inter hos, qui præmaturè ac præcipitanter ad factitandam medicinam irrumpunt, ijs adminiculis deſtituti, quibus medicũ inſtructum eſſe par eſt, quæque iampridem didiciſſe, non diſcere oportuit, ſic vt prius medici titulum, aut elogium obtinuerint, quàm ſunt promeriti. Nã tum legere incipiunt præcepta medica homines pręposteri, cùm acciri contigerit, medelamque ægrotis adferre conueniat. Vt enim in conficiendis hoſtibus: ſic in expugnandis morbis, gerere quam fieri tempore poſterius: re verò atque vſu prius eſt, vt Marius apud Saluſtium diſſerit. Huiuſmodi conditionis Athenienſes fuiſſe Demoſthenes commemorat, quos ait non vt reliquos mortales vbi conſuluiſſent, agere: verum vbi res actas accepiſſent, tum demum conſulere. Sic noſtrum plerique tum demum conſultant, ac diſquirunt, quid facto opus ſit, cùm inſtant vrgentque morbi, qui nullas moras, aut inducias, nullaque deliberandi ſpatia admittunt. Quod itaque Cicero exigit in rebus bellicis, in medico accuratè præſtandum, vt ſcilicet omnia ſua conſilia præmeditata habeat, vt maturè rem ipſam perficiat, nec vnquam à ratione diſcedat. percipere quoque debet cogitatione futura, & ante conſtituere, quid poſſit accidere in vtramque partem: nec committendum aliquid, vt aliquando dicendum ſit, Non putâram. Nonnunquam autem medicus in ancipiti dubioque morbo, & qui celerrimè ad ſtatum properat, vt gladiator in arena conſilium captat, ac medendi occaſionem è re nata arripit. Quod mihi aliquando vſuueniſſe memini. Siquidẽ cùm morbum eiusque ſymptomata probe haberem explorata, ac verborum ſerie, & componendorum medicamentorum ordine exactè eſſem inſtructus; tamen rebus

In Iugur.

Olynth. 3.

Lib. 1. offi.

In re Medica turpe dicere, Non putaram.

vt paulò ante reliqui, mutatis, coactus ſum totam ſcenam inuertere, atque aliam viam ingredi, aliaque methodo inſiſtere. Sic doctè ac prudenter Terentius;

Adelph. act. 5. Scena 4.

Nunquam quiſquam tam benè ſubducta ratione ad
Vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima; in experiundo repudies.

Nihil à Comico dici potuit verius, cùm in omni vitæ actione, tũ maximè in profligandis hoſtibus, morbiſque expugnandis. Quãlibet enim multum ac diu quis rationes conficiendi negotij, aut cuiuſque rei perficiendæ ſecum ipſe ſit meditatus, omniaque ad amuſſim, curaque exactiſſima excuſſerit, quo modo res aggredienda ſit, quid primum exequi; quid poſtremum conueniat; in ipſo momento punctoque temporis, quo ſe operi accingit, & rem perficere ſtatuit, priores iã rationes & præmeditata conſilia reſpuit, aliaque pro tempore excogitat. Itaque vſu & exercitatione, multarumque rerum experientia parari conſtat prudentiam, & benè gerendarum rerum dexteritatem, ex eoque felicem ſucceſſum, atque euentum exoptatũ: nempe eorum, qui ex morbo decumbunt, facilem & expeditam ſanitatem, quam confeſtim nullaque mora conſequuntur, vbi fido expertoque medico ſe committunt, atque illi ſunt obſequentes. Nam errones circumforaneos, atque impoſtores publicos exterminandos cenſeo, qui non verentur in hominum vitas ac corpora graſſari, atque, vt habet prouerbium, in vaſis iactura artem figulinam experiri, hoc eſt, vt Plinij verbis vtar, hominum periculis diſcere, & per experimenta fallacia, ac coniecturas mortem hominibus inferre. quorum culpa ac temeritate efficitur, vt medẽdi ars (quam

In re Medica omnia ſerio agenda.

inter

inter dona ſpiritus Paulus refert, & qua poſt ſacra dogmata nihil mortalibus excogitatum eſt ſalubre magis, ac neceſſarium) vnà cum profeſſoribus deſpecta ſit, & negligatur. ne ijs addam anicularum impudentiam, quæ non verentur huius artis peritiam ſibi vẽdicare: quas non tantum à medendi magiſterio, aut vt minus ambitioſè dicam, miniſterio ſemouit publicus orbis conſenſus, ac maiorum auctoritas, ſed ab omni etiam iuris adminiſtratione, à functionibus eccleſiaſticis, à concionandi munere excluſit etiam Paulus. Siquidem, vt appoſitè Perſius: *1. Cor. 12.* *1. Tim. 2.*

Publica lex hominum, naturaq́ꝫ continet hoc fas,
Vt teneat vetitos inſcitia debilis actus. *Sat. 5.*
Stat contra ratio, ac ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiaret agendo.
Diluit Helleborum certo compeſcere puncto
Neſcius examen, vetat hoc natura medendi.

Cuius ſententiæ conſentanea eſt illa Horatij, *Lib. 1. Epiſtola.*

Nauem agere ignarus nauis, timet, helleborũ agro
Non audet, niſi qui didicit, dare: quod medicorũ eſt,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Quod compendioſis verbis indicat Prouerbium, (Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.) Quocirca felices fore artes Plinius pronunciauit, ſi de ijs ſolùm iudicent, easq́ue tractent artifices, atq; harum periti. Cùm autem in extruendis ædibus architectum deligamus ſolertem atque induſtriũ: in dirigenda naue nauclerum expertiſſimum: in bello gerendo duces exercitatos ac ſtrenuos: in expolienda lingua præceptorem eloquentẽ: in mente inſtituenda formandisq́ue moribus moderatorem optimum: cur in morbis expugnandis, in farcienda tuendaq́ue ſanitate, triobolares circumforaneos, ac deliras anus admittimus? quibus corpus noſtrum trucidandum exponimus, animiq́ue domicilium *Simile ab architectura, alijsq́ꝫ officijs.*

micilium diruendum offerimus. adeò nemo non artis medicæ peritiam ſibi arrogat, eiuſque profeſſionem exequitur. Sic Ferrariæ Pontano teſte, aliquando inter proceres aulicos certamen fuit ac contentio, quorum nam artificum, & eorum, qui opificio aliquo ſe exercent, maior eſſet vel numerus vel copia. Cùm autem alij aliud proferrent, vt ſunt in Rep. ac confuſa multitudine piſtores, lanij, coci, textores, carpentarij, aurigę, fullones, trapezetæ ac menſarij, vſurarij, ſartores, nautæ, lenones, quibus quæſtus inter omnes vberrimus: Tũ vnus, Nulla, inquit, artificum maior cõpia, quàm eorũ, qui ſe medicos profitentur, aut eius artis nomine ſeſe venditant: cuius ſe primo quoque tẽpore ſpecimen exhibiturũ pollicetur. itaq; poſtridie quendam in publicum producit ad hanc fabulam peragendam mirè dextrum, qui faſcia obuolutis ceruicibus, vultuq́ue ad morbum compoſito dentium dolorem ſimulat, ac ſubinde ingemiſcens ab obuijs ſtipem eblanditur, atque aliquid remedij mitigando dolori implorat: ibi nemo non ex numeroſiſſima multitudine fomẽta præſcribit, ac quid dolorem confeſtim diſcutiat, cõfidenter profitetur: itaque omnium ſuffragijs euicit is, qui contenderat, nullam præ medicorum turba in ciuitate numeroſiorem. Nec ſanè illum fefellit opinio. Idiota ſiquidem atque imperita plebs paſſim huius artis cognitionem ac notitiam ſibi vendicat, eamq; palam profitetur, atque impudenter exercet, nullo experimento, nullaq́ue ratione inſtructa.

Rei geſtæ enarratio.

Quàm varia ſit ac multiplex ſoli, terræq; natura & conditio.

CAP. XVIII.

IAM verò vt aliquid ſuperiori argumento affine adijciam, medicis cum primis obſeruandam

cenſeo

cenſeo terræ cuiuſque naturam, ſolique habitum. Hic ſiquidem efficit, vt variæ herbarum ſpecies emergant, diuerſasque virtutes ac facultates hæ ſortiantur. Hinc Hippocrates Cratenæ mõtanas herbas, altisque tumulis enatas colligandas præcipit, cùm firmiores exiſtant, ac robuſtiores, magisque efficaces, quàm aquaticæ, propter terræ denſitatem, aërisque tenuitatem: flores verò earum legendos, qui ſecundum fonticulos, fluuios, riuosque naſcuntur, quos imbecilles, nec multi roboris, ſuccique dulcioris eſſe ducit. Cùm itaque ex ſoli natura exactè conſiderata, herbarum vis ac temperamentum cognoſcatur, ipſæque herbæ aliæ alijs locis delectentur, & terram maximè ſibi familiarem depoſcant, illarum diſcrimina, quas aliqua ex parte proſequitur Virgilius, obiter & veluti in tabula depicta referam, quo ſtirpes ſuis quæque locis poſſint accommodari, minusque ob alimenti ſucciq; malignitatem viribus deſtitui. Eò enim fit, vt votis noſtris non reſpondeant, effectuque expectato nos fruſtrentur, atque euanida ſpe illudant.

In epiſt.

Quibus locis herbæ præſtantiores.

2. Georg.

Solum aliud.

Gracile	*Lentum*
Macilentum	*Glutinoſum*
Macrum	*Sabuloſum*
Pingue	*Arenoſum*
Oleoſum	*Glareoſum*
Bituminoſum	*Lapidoſum, vel*
Gipſoſum, vel	*Lapideum*
Gipſatum	*Teſtaceum*
Argillaceum	*Calculoſum*
Saxoſum	*Rarum*
Ruderatum	*Denſum*
Cretaceum, creatum	*Robuſtum*
Cineratum, quum	*Tophaceũ, vel à poro Po-(roſum*

Cinericeũ ad colorem re-	*Friabile*
Amarum (fertur.	*Tenue*
Dulce	*Ieiunum*
Acidum	*Sterile*
Pratenſe	*Aridum*
Frumentaceum	*Stercoratum*
Reſtibile	*Subactum*
Repaſtinatum	*Strigoſum*
Defoſſum	*Squallidum*
Nouale, &	*Fertile*
Veruactum, vulgo	*Fœcundum*
Braecklandt	*Salſum*
Putre	*Salſuginoſum*
Solutum	*Frumenticeum.*

Locorum alia.

Aſpera	*Cliuoſa*
Prærupta	*Aquoſa*
Inuia	*Humida*
Auia	*Paluſtria*
Inculta	*Vliginoſa*
Culta	*Irrigua*
Arida	*Humecta*
Sicca	*Concluſa*
Arentia	*Patentia*
Ieiuna	*Aprica*
Siticuloſa	*Opaca*
Sylueſtria	*Denſa*
Nemoroſa	*Vmbroſa*
Syluoſa	*Ventis expoſita*
Plana	*A vento ſilentia*
Campeſtria	*Aura expoſita*
Hortenſia	*Soli peruia*
Fruticoſa	*Subterranea*
Maritima	*Retorrida*
Mediterranea	*Exucca*

Edita

Edita	*Succulenta*
Accliuia	*Calida*
Decliuia	*Frigida*
Algentia	*Rorulenta*
Alſioſa	*Salubria*
Aeſtuoſa	*Inſalubria*
Tepida	*Paludoſa*
Egelida	*Stagnantia*
Gelida	*Squallida*
Montuoſa	*Rigoſa*
Nebuloſa	*Orientalia*
Caliginoſa	*Auſtrina*
Feruida	*Occidentalia*
Roſida	*Aquilonia.*

Luna radijs augeſcit, at non matureſcit botrus.

CAP. XIX.

LVNA ſatis incrementum dat, maturitatem Sol. Illa ſiquidem humiditatem mouet, & turgeſcere quæque facit, ſed ob imbecillitatem cõcoquere nequit. Sic videmus ſtirpes interdiu allicere alimentum calore Solis incitatum, noctu diffundere, ac per attractum humorem ſuccumq; inbibitum adoleſcere, auctusque atque incrementa ſuſcipere. Vt enim vigilia & exercitatio motusque moderatus cibum digerit, atq; in habitum corporis diffundit, noctu verò & per ſomnum concoctio perficitur: Quod in ebrijs vinoque diſtentis perſpicimus, quibus ſomno crapula ac temulentia diſcutitur: ita Sole diem illuſtrãte omnia maturitatem conſequuntur: noctu verò Luna ſuas vices obeunte adoleſcunt, ſuccoque protuberant. Quò fit, vt videamus roſas, lilia, omnisque generis floſculos interdiu non dehiſcere, ac patulos fieri, verum noctu atque antelucano,

Lunæ effectus in producẽdis ſtirpibus.

Simile à facultatibus naturalibus.

Virg. lib. 2. Georg.

Solis ad occaſum, cùm frigidus aera Veſper
Temperat, ac ſaltus reficit iam roſsida Luna.

Stercoratio quare Heſiodo improbata.

C A P. XX.

Stercoratio inſalubris.

HESIODVS non indiligens rei ruſticæ ſcriptor à pleriſque inuaditur, quòd ſterquilinium in agricultura neglexerit: cùm is facti non ignarus, ſalubritati potius, quàm fertilitati conſuluit. Ille ſiquidem alio lætamine ſterilitatem expugnandam cenſuit, quàm ſtercorandi vſu & conſuetudine. Satis enim ex lupinorum, cicerum, piſorum, fabarumque culmis vomere tempeſtiuè ſubuerſis, alióue pabulo proſtrato, agrum vberem fœcundumque effici exiſtimauit. Quæcunque enim ex ſtercoratis, fimoque cultis agris proueniunt, vitioſos, minusque ſalubres ſuccos præbēt. Sic triticum & Cerealia quæque à Curculionibus promptius infeſtantur, ac fruges, omnisque generis legumina in eiuſmodi agris enata nec perennare poſſunt, nec diutius aſſeruari, quin vel ſitum contrahant, vel à teredine & vermiculis infeſtentur. Zythus quoque, eaque potio, quæ Belgis Cereuiſia dicitur, ex huiuſmodi frugibus decocta, citiſſimè vitiatur, atque acorem contrahit. Quamobrem rectè mea quidem ſententia Heſiodus illos agros aptos, accommodosq; ſementi exiſtimauit, quos vēti temperati ſerenant, ſuaues Solis radij fouent, vbi nullę aquę ſtagnant, nec culta ſtercoratione pingueſcūt, aut ſaltē mundo, natiuoque humore ac calore maturitatem cōſequuntur. Sic enim illa, quæ naſcuntur, diu perſeuerant incorrupta, atque alimētum præbent ſalubrius. Fieri aūt nequit, vt in his regionibus viuaces exiſtant homines, aut valetudine inculpata, vbi aër ipſe, vel alimenta vitioſa ſunt, ac putredini obnoxia. Quorum alterum euenit, vbi ſtagna,

Vnde fruges corruptioni obnoxia.

Aer & alimenta valetudini vel proſunt vel officiūt.

ſtagna, paludesque graueolentiam exhalant, alterum vbi non genuino honore, ſed aſcititio pingueſcit humus, ac ſtercorando excolitur.

Qua ratione Curculio, aliæq; beſtiolæ infeſtæ frugibus abigi, necariq; poßint.

CAP. XXI.

NIHIL eſt in vita hac caduca & mortali, quod ſuas non experiatur aduerſitates, atque incommoda, multisque vexationibus atque inſultibus non ſit expoſitum. Vt enim homines innumeris malis ſunt obnoxij, multaque illos circumuallant, quæ valetudini, vitæq; inſidiantur: ita & frugibus ſui non deſunt hoſtes, qui illas infeſtãt ac demoliuntur, robigo, culices, formicæ, limaces, cochleæ, locuſtę, blattæ, erucę, teredines, vermiculi, & qui funditus granaria depopulatur Curculio. Hoc enim genus vermiculi proboſcide quadam acuminata, roſtroque aculeato, altera ſui parte triticum perterebrat, omnemq; ſimilaginẽ depaſcitur, furfuracea tenuiq; ac caſſa relicta membrana. Huius teredinis multa examina ineunte vere progerminant, vbi frumẽta Luna plena recens demeſſa, eaque madida ac rorulenta, antequam occalluerint, reconduntur, vel vbi granarij feneſtræ Auſtrinis flatibus non Aquilonijs ſunt oppoſitæ. Siccitas enim efficit, vt omnia putredini min⁹ obnoxia exiſtant. Perſuaſum eſt aũt nonnullis, quorum mea quidẽ ſententia nec vana fides, nec inanis auguratio, Deũ opt. max. nonnunquam hãc calamitatem immittere in vindictam eorum, qui plus ſatis lucro inhiantes, vel fruges abſcondunt, vel ſupra legitimum tempus aſſeruant magno inopum detrimẽto, qui hoc commeatu deſtituti, vitam tueri nequeunt. Hoc enim alimentũ in edendi paſcendiq; corporis

Nihil ex omni parte beatum.

Calanders. Curculiones.

Vnde frumenta corrũpantur.

corporis vſum affluenter elargita eſt prouida Dei benignitas ac munificentia, adeò, vt ſi cætera edulia deſint, atque obſonia quæque deſiderentur, ſatiari homines pane poſſint, eoque inediã famemque ſolari. Quamobrem grauiter culpãdi ſunt negotiatores frumentarij, qui magno tenuium damno, annonæ, frugũq; pretia intendunt, nec in ſumma egeſtate granaria laxant, quò illis queſtus ſit vberior. Eo ſiquidẽ fit, vt in remp. ſint iniurij, atque in plebem, cuius maledicta in ſe concitant, fraudulenti. Qui enim (vt Solomon teſtatur) frumẽta abſcondit, illũ execratur populus: qui verò diuendit, huius capiti fauſta exoptat, beneque precatur. Patitur tamen plerunque Deus, huiuſmodi malis affligi nos, cùm erga illum ſumus ingrati, cuius liberalitate ac munificentia cumulatè fruimur: Siquidem per Ezechielem immiſſurũ ſe minatur religionis ac pietatis deſortorib⁹ calamitates quatuor, famem, peſtem, bellum, & nocentes beſtias: vt hi diuexati, ad ſaniorem mẽtem, agnitãq; veritatem perducantur. Quòd ſi naturales cauſæ, non irat numinis vindicta malum hoc inuexerit: ineunda ratio, qua animalcula noxia vel abigi poſſint, ve interimi. Nihil aũt ad perimẽdos Curculiones efficacius, quàm ſalſugo, in qua allium decoctum ſit ſi ea irrigentur pauimenta ac parietes, confeſtim enim aliò repunt, ac granaria deſerunt, odoriſqu tetri halitu exanimantur. Idipſum præſtant etiam Sagapenum, amurca, Caſtoreum, ſauina, ſulphur cornu ceruinum, hedera, galbanum, ac graueolentia quæque, quorum ſuffitum nec ſerpentes, ne colubri, nec veſpertiliones ferunt. Quod indicat omnis eruditionis parens Virgilius,

Negotiatores frumentarij odioſi.

Corenbijters.

Prouer. 11.

Cap. 37.

Quatuor calamitates à Deo homini immittuntur.

Curculiones quibus abigantur.

Diſce & odoratam ſtabulis incendere cedrum,
Galbaneoſq; agitare graui nidore Chelidros.

Lib. 3. *Georg.*

Eadem ratio... lupi ſalictarij nidoroſos floſculo
reſi

refugiunt, qui etiam hominū cerebro infeſti ſunt, capitiq́ue grauedinem ac temulentiam inducunt. Similiter & ſambuci flores, quorum odor etiam erucas arcet, blattasq́ue ac tineas perimit, quemadmodum abſinthium, ruta, mentaſtrum, abrotanū, ſatureia, iuglandis folia, filix, pſeudonardus, quæ nobis lauendula dicitur, nigella, coriandrum viride, pſyllium, anagyris pulices, cimicesq́ue interimūt, vel culcitris ſuppoſita, aut toris, in aceti Scyllitici decoctione conſperſa. Obſeruatū eſt autem noſtra & auorum memoria naporum ſemē, quod negotiatoribus Belgicis quæſtum præbet vberrimum, miram obtinere vim in proſternendis conficiendisq; Curculionibus, non ratione deleteria, ſed ſuauitatis illecebra. Cùm enim id dulce ſit, atq; oleoſum, illud deſerto tritico, auidiſſimè appetūt, eoque diſtenti pereunt. Quòd ipſum ijs etiam vſuuenire ſolet, vbi fiſcellis vuarum paſſarum inſederint. Sic experimento comprobatum habeo, puerorum lumbricos vuarum paſſarum eſu expugnari, ſi ieiunis, nullo admixto alio edulio illas exhibeas. Vt enim amarulenta quæque, ita dulcia affluenter hauſta vermibus inimica. Diſtendi enim illos contingit, ac diſrumpi ſuauioris edulij copia. Sic etiam hominum ventriculus turgeſcit, ac tormina concipit, dulcibus affatim ingeſtis.

Lupulus vulgo Hoppe.

Naueel. Napus.

Dulcia aliquādo vermes perimunt.

Lumbricorum vermiumq́; qui humanis corporibus innaſcuntur, ſagacitas, & quid portendat per os naresq́; erepere.

CAP. XXII.

VISVM eſt nonnullis prodigij quiddam ſimile lumbricos præſertim longos & teretes ſurſum eniti, ac per os naresque erepere: cùm id inſito quodam naturæ motu facere ſoleant, ſiquando homo

diutius

Vermes à naribus prolapſi.

diutius ieiunus perſtiterit. Tunc enim ſtomacho morſus inferunt, ciboque expleri cupiunt: quibus cùm nihil obijciatur, quo ali, vitamque tueri poſſint, in ſublime feruntur, cibumque ad gulæ vſque meatū venantur. Sentiūt enim ſagacitate quadam naturæ per illas partes in ventriculum delabi alimenta, & cùm nares peruiæ ſint, atque ad gulæ tramitem ſpectent, eò quoque ſe conferunt, factaque titillatione, vel ſternutamento eijciuntur, vel primoribus digitis prehenſi eximuntur. hæc in ſanis multoties à me ſunt obſeruata, quibus cùm facti cauſam explicaſſem, hac in re illos ſecuros præſtiti. In ægrotantibus verò hoc ipſum aliquando eueniſſe conſpexi, ſed nō abſque imminentis mali preſagio. Tanta eſt enim in huiuſmodi corporibus contagio, eaque putredo, atque humorum inflammatio, vt exitialem vim morbi perferre nequeāt: itaque erumpūt quidem foras, ſed morbi ſæuitia, non critice nec naturæ vi incitati. Cùm autem deſinente morbi violētia, infernè cum reliquis excrementis illos prolui contingat, ſalutare id eſſe Hippocrates ſtatuit: ſponte verò, nulloque naturalis facultatis impulſu egredi, quod in moribundis perſpicimus, decumbenti noxium. Subodorātur enim naturæ quadam ſagacitate corpus defecturum, ſeſeque deſtitutum iri alimento, eoq; ſtationem ſuam deſerunt. Sic obſeruatum eſt, ſorices ac glires ædes ruinoſas deſerere, trimeſtri etiam ſpatio, antequam ſunt collapſuræ. Perſentiſcunt enim naturæ inſtinctu, ſenſim diſſolui contignationem & ædium compagem, illaſque breui ruituras. Pediculi quoque ac pulices, vbi corpus hominum tabeſcere ſentiunt, omniaque membra ſenſim ſanguine deſtitui, vel ipſum deſerunt, vel illas partes occupāt, quibus ſanguis, calorque natiuus diutius inhæret. Expertum eſt enim à Libitinarijs, ac Veſpillonibus in

Lib. 2. aphoriſ. 18.

Glires ædes ruinoſas deſerunt.

buſin ea ſe lacuna recondere circa ſtomachi orificium, in quam deſinit cartilago enſiformis, vel in ea, quæ mento ſubeſt, ac vocali arteriæ incũbit. Siquidem illæ partes, vtpote cordi vicinę, ad extremum vſque halitum caleſcunt: quod cùm à nonnullis, qui ægrotis aſſiſterent, mihi eſſet relatum, incunctanter pronunciaui certiſſimum id eſſe imminentis mortis argumentum, iamiamque emigrantis animæ indubitatum indicium. Cæterùm cùm lumbricorum paulò antè mentionẽ fecimus, hoc adieciſſe viſum eſt operæprecium, multa eſſe, quæ lumbricos, ventriſque interanea exigant, perimantque: ſed nihil efficacius exiccatis in tegula ignita vermibus, exhibitoque illo puluiſculo verminantibus, confeſtim reliquos inhærentes corpori deijci continget, eadem ratione, qua Plinius, cõpluresque alij rerum abditarum indagatores aſſerunt, Homini à ſcorpionibus icto, remedio eſſe ipſorum cinerẽ potum, in oleo vinóue demerſum. Sic rabidi canis morſum curari teſtantur noſtrates pilis eiuſdem animantis exuſtis, illisque ex vino propinatis. Propellit enim malum, viruſque facit innoxium, ac corpori, cui morſus illatus eſt, minus infeſtum, quod virus eliciat, conficiatque. Sic aliquando geminata commixtaque contrariæ facultatis venena, remedio ſunt, non exitio. Quod feſtiuo epigrammate indicat Auſonius de vxore, quæ virum aconito extinctum voluit:

Experiẽtia de pediculorum ſagacitate.

Lib. 10. c. 25.

Toxica Zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lathalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſiquis, faciunt diſcreta venenum;
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.

LEVI-

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZAEI OCCVLTARVM RERVM AC NATVRALIVM QVAEſtionum

LIBER SECVNDVS.

Humores, non malos Genios, morbos inducere: ſpiritus tamen aereos ſe ijs; vt tempeſtatibus immiſcere, ac faces ſubdere.

CAP. I.

Humorum prauitas et copia morborum origo.

NON deſunt apud nos pleriq;, qui cùm ſint in naturæ operibus ſobriè exercitati, ac morborũ cauſas, originem, progreſſus, quæque comitantur ſymptomata, ſeu accidentia ignorent, atque illorum rationem aſſequi nequeant, in malos, infeſtosque Genios, qui noſtris incommodis continenter inuigilant, hæc ipſa referant. Sic eos, qui ex tertiana febri decumbunt, tertio quoque die ſubeunte venas, malo Genio diuexari: in quartana itidem, Synochis, hoc eſt, continuis febribus, quotidiana, ephemera ſeu diaria, omnibusque febribus æſtuoſis atque vrentibus tale quiddam euenire imaginantur. Quod ipſum quàm ſit abſurdum, ac rationi diſſentaneum, quiuis in naturæ arcanis vel tenuiter verſatus facile iudicauerit. Cùm enim ex quatuor elementorũ concretione ac mixtura corpus humanum conſtet, ac conflatum ſit, totidemque humores complectatur, qui ex facultate ſeminis quatuor qualitatum, calidi & humidi, frigidi

& ſicci

& ſicci ſunt participes, quid aliud ſtatui poſſit, quàm ex horum intemperie, exceſſuq; ac defectu morbos excitari, ſuamque originem ſortiri? Argumento quòd illos miteſcere videmus, ac ſopiri, vomitu, ſudoribus, ſectione venæ, cucurbitulis parti læſæ affixis, hæmorrhoidum menſiumque profluuio, tum iniectis clyſteribus, ſubditisque podici balanis ſeu glandibus. Conſtituit autem Deus pro inæſtimabili ſua ſapientia in natura rerum motus ordinatos, nec quicquam temerè aut fortuitò, ſed omnia decenti ordine ac cōtinuata ſerie ferri volui que voluit. Sic ſidera, elementa, Oceanus, anni tempora, cælorum orbes ſuos habent motus ac vices, certaque lege decurrunt. Pari tenentur lege ac conditione humores, qui corpori humano inhærent, ac ſuos effectus propriosque motus ac certas periodos obtinent. Sic, vt per quadripartitas anni varietates ſuas quiſq; humor vices obeat, ac facultates viresque in corpus exerceat. Sic ſanguis eam conditionē ac vim ſortitus eſt, vt vere vigeat, ſuæque naturæ morbos ac febres pariat nempe continētes, quę nullas præbent inducias, nec ad infebricitationē deſinunt. Sic Cholera æſtate alternis diebus reciprocante recurrenteq; æſtu bilioſo, tertianam inducit. Pituita hibernis menſibus, vbi computruit, quotidianam intermittentem. Melancholia ineunte Autumno quartanam: Sic diaria vno die, aut paulò pòſt finitur, quòd ipſa nō in humorum putredine, ſed in halituoſo eoque accēſo ſpiritu conſiſtat. Hæc autem omnia eadem ratione, parique ordine & modo perficiuntur, quo ortus & occaſus ſiderum, Oceani æſtus & reciprocatio, herbarum, fruticumque germinantium amœna grataq; viciſſitudo. Cæterùm id admiratione non caret, quod quatuor humores certa horarū ſpatia, certasque diei partes ſibi vendicant, ac diem no

Natura ordo ac ſeries

Humores ſua tēpora ſortiuntur.

Quatuor humorum decurſus in corpore.

K ctemque

ctemq; æquinoctialem ſeu artificialem, per horas duodecim temporales ſibi partiuntur. Quod à vero non eſſe alienum experimento comperi, cùm horum obſeruatione, febrium acceſſiones indubitanter prænunciare ſoleam. Viget enim ſanguis Sorano Epheſio teſte, qui Euangeliſtarum more ſpatia decurſusque diei ac noctis per horas æquales metitur, ab hora noctis nona ad horam diei tertiam, quibus horis concoquitur ſanguis, atque ab hepate elaboratur. Quò fit, vt mens antelucano, exortoque ſole ſit alacrior, omnesque cùm ęgroti, tum ſani erectiores, ob ſuauem effluxū, gratumq; ſanguinis halitum. Bilis verò flaua ſuas vices obit ab hora diei tertia ad horam diei nonam, quo tempore naturalis vis ac facultas ſecernit à ſanguine choleram, eamque ad fellis folliculum dirigit. Eoque fit, vt ſub id tempus homo ad irā ſit pronior, ac leuiſſimè excandeſcat. Bilis autem atra, ſeu ſuccus melancholicus ab hora diei nona vſque ad horam noctis tertiam ſua munia exequitur, clauoq; aſſidet. Quo temporis curriculo hepar defecatur, eluiturq; à ſordido excremento, idque natura ſpleni deſtinat. Quò fit, vt illo horarum decurſu mens hominis obnubiletur, atque ex atra denſaque fuligine animus mœrore contrahatur.

Matth. 10.

Mens hominis diluculo erectior, ex ſanguinis halitu.

PITVITA ab hora noctis tertia ad horā noctis nonam huic ſuccedit. tunc enim peracta cœna concoctio in ventriculo perfici incipit, cibusque liqueſcere atque elixari. Quò fit, vt phlegma ſtomacho innatans, atque ad cerebrum delatum, hominem ſomnolentum efficiat ac dormitantē. Quòd ſi horum omniū exactè rationem ſubduxeris, obſeruabis iiſdem ferè horis, quibus humores ſuis vicibus funguntur, acceſſiones, inſultusque febrium inuadere, expletoque ſingularum horarum, quæ humoribus ſubſeruiunt, ſpatio, modò ſynceri ſint

Humores quique certis horis vigent.

atque

atque impermixti, conſiſtere ac terminari. Sic continentes febres & quotquot ex ſanguine ortũ habent, manè ingruunt, tertianæ ſub meridiem, hoc eſt, hora ſexta, quæ nobis eſt duodecima tam diei quàm noctis. Quartanæ ſub horã nonam quæ nobis tertia eſt pomeridiana. Quotidiana ex phlegmate circa primas noctis excubias. Quòd ſi humores redundent, atque inter ſe, vt aſſolet, implicati connexiqúe ſunt, nõ ſeruant legitimum tempus, ſuosq; inſultus, cùm acriores tum productiores faciunt, magisqúe diuturnos. Vt enim venti conglomerati ſæuiores tempeſtates excitãt, cùm ſcilicet, *Simile a ventorum concurſu.*

Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis *Aeneid.1.*
Africus, & vaſtos voluunt ad littora fluctus:

Ita vehemẽtior fit morbus ex humorum concurſu & confluuio, corpusque humanum ſæuiſſimè excruciant congeminati morbi.

Nam corpore in vno
Frigida depugnant calidis, humentia ſiccis.
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus. *Ouidius. Meta.lib.1.*

Horum effectuum cauſam, ſuperuacaneum, imò friuolum eſt, in malos Genios referre. Cùm hæc omnia in humorũ putredine atque inflammatione, vel qualitate ac copia conſiſtant. Iſta ſiquidem efficiunt, vt ſint vel breues, vel contractiores morborum circuitus. Cùm aũt ſanguis plurimum corpori ineſt, vnicũ eumque continuũ acceſſum facit. Quòd in venarum conceptaculis, per quæ, tanquã riuos atque aquæductus, vndique ſanguis diffuſus eſt, putredo atque inflammatio conſiſtat. Quò fit, vt naturam tanquã ſolertem, fidumqúe conſulem in ſeditione ciuili, belloque inteſtino, continenter operi inſiſtere, nullaque intermiſſione obluctari morbo oporteat. Pituita verò flauáq; bilis atque atra quòd minus copioſæ ſint, extraq; venarũ anguſtias conſtitutæ, non perpetuò, ſed intermiſsè *Sanguis quur febres continuas exci tet.* *Simile à conſulis ſolertia.*

affligunt: minusque ſunt læthales ex huiuſmodi humoribus exorti morbi, quòd illis non pateat aditus acceſſusque ad cor, parteſque principes, eoq; non facile illis cladem noxamque inferre poſſunt. Sunt tamen harum febrium nonnullæ diuturnæ, partim quòd materia redundans ſit, partim quòd lento tenacique viſco aſſimilis, adeo vt ægrè concoqui poſſit, atque eliquari. Quo fit, vt melancholicos rarius exhilareſcere contingat, niſi affatim & meracius bibant. Eſt enim is humor impensè frigidus ac ſiccus. Huiuſmodi autẽ conſtitutionis homines dictitare ſoleo ferro ſimiles, quod multo vrentique igni opus habet, vt igneſcat, quò ſubigi malleis, fingique poſſit. Iſti ſiquidem plurimo meraciſſimoque vino indigent, idque inoffensè perferunt: quo vbi incaleſcere cœperint, mimos, ridiculoſque moriones ſe præbent. Camelum ſaltitare dicas. Nam cùm ſint natura ſeueri ac tetrici: vino perfuſi, feſtiui affectant videri atque elegantes. Et quemadmodum non facile vino cedunt, illoq; obruuntur: ita ægrè illis temulentia diſcutitur. Cũ enim bibant affatim, ac cibũ ingerant affluentius: fit, vt denſi fumi, craſſiq; vapores tenacius fixiuſq; cerebro inhæreant, adeo vt poſtridie illis imaginationes melancholicæ ingraueſcant: Siquidem ex heſterno mero nõdum ſopito ac deſpumato totũ renidet corpus ac ſuboleſcit. Simile enim quiddã ijs euenit, quod ædibus accẽſis, quas tametſi incendium non funditus abſumpſit, nec omnia conflagrata ſunt: retorridus tamẽ ex ambuſtis odor, naribus ſe ingerit ac cerebro officit: Sic iſtis ex pridiana crapula fuliginòſi olidiq; halitus, ac ructꝰ nidoroſi, infenſi ſunt, mentiq; ac cerebro acres mordaceſq; fumos inferũt. quos cùm excutere nequeãt, atque identidem recrudeſcere phantaſmata percipiant: denuò accumbere geſtiunt, quò vini vapores,

Melancholici non facilè inebriantur.

Simile à candenti ferro melancholicis aptum.

Melancholicorũ natura, vbi vino incaluerint.

Simile non inelegans ab accenſis ædibus.

Cruditas melancholicis noxia.

res,atque ex illis ortas abſurdas imaginationes, vt clauum clauo, retundant. Cùm itaque ſic ſe habeant morborum cauſæ, atque origines, eaque ſit humorum natura & cõditio, vt nulla ratio potior excogitari, vel iniri poſſit acceſſionis inſultusque febrium, quàm vel humorum copia, vel qualitas: non eſt, quòd quiſquam exiſtimet, aut opinetur peruerſos Genios hanc concitare tempeſtatẽ, hanc inducere intemperiem. Scio equidem, nec id grauatè ſum admiſſurus, Dæmones, hoc eſt, ſpiritus aereos ſcientia ac cognitione rerum imbutos, quique omnia ſubodorari ſolent, non ſolùm humoribus ſe immiſcere, ſed mentes quoque humanas ad peſſima quæque inſtigare atque impellere: bonos quoque Genios, ſeu Angelos ſalutares ad optima quæque adiumento eſſe, ad eaque ſe præbere ſocios ac miniſtros. Sic Raphael ſe itineris comitem addixit Tobiæ filio. Sic in Samſonem irruit ſpiritus Domini & dilacerauit leonem, tanquam hædum. In Saulem quoque inſilijt ſpiritus Diuinus, & cum reliquis prophetis vaticinatus eſt. Poſtmodum verò ſpiritus nequam exagitauit, commouitque mentem illius, atque in Dauidis necem illum armauit. Sic tempeſtatibus ſe ingerunt, ac fulmina tonitruaque exacuunt, adeo vt illis adnitentibus conuelli culmina ſpectemus, proſterni ſata, pecudes, armentaque ac greges confici, quanquam tamen ventorũ violentia atque impetus tale quiddam abſq; his efficiat. Sic Ecnephias & ventus Typhonicus, cuius meminit diuus Lucas, validè atq; impetuosè terris mariq; incumbunt, atque ardentes faces, ignitosque globos eiaculantur attritu ac colliſione nubium, adeo vt antemnas, velaque aduri contingat. Similem vim ac violentiam vallis quamlibet munitis bombardæ inferunt, quæ non ſolùm proximos quoſque, & quos glans attingit,

Mali Genij corpus & mentem oppugnant.

Mali Genij ventos exaſperant.

Tob. 14.

1. Reg. 10.

Act. 27.

A bombardæ violentia ſimile.

feriunt, ſed longius etiam conſiſtentes, pauloque remotiores proſternunt violento ſtrepitu, auræq; ſibilo. Hæc & pleraque alia licet naturali ratione fieri conſtet, Dæmones tamē vel conniuente Deo, vel conceſſa illis poteſtate ſe his immiſcere ſolent, omniaque ſæuiora efficere. Sic Saulis melancholiam exaſperauit ſathanas, atque ad cædes & inſidias, multaque funeſta impulit. Quòd tamen hic animi affectus, mentiſque error ac perturbatio in naturales cauſas referri poſſit, ex eo patet, quòd citharæ dulcedine ſubſederit furor ille, atque impetus animi, factaque mens ſit ſedatior. Vt enim vbi turbines ac ſæuiores venti Oceano incumbūt, fluctus crebreſcūt, mareque exæſtuat: vt denique melāch olicis natura tetricis iactura facultatum, aliaque incommoda mœroremconduplicant, bilioſis immodicus vini potus, vel aſpera dicteria, ſaleſque dentati iram exacuunt: Ita mali Genij, aut fraudulenti cōſultores hominū animos ad deteriora procliues in præceps agunt, adeo, vt voluntas alioqui alacris & prompta, impetus conſiliorum ipſaſque actiones moderari nequeat. Quod ipsū indicaſſe videtur ſeruator, cùm Petrum increpitās, faceſſe à me, inquit, Sathana: Quo nomine illū perſtrinxit Chriſtus, quòd illi aduerſaretur, atq; ab inſtituto, conceptoque conſilio, quo nos redimere ſtatuit, auertere illius mentem tentaret. Et profectò niſi Deus opt. max. ſingulari in nos fauore aduerſarij furorem coerceret ac retūderet, nunquā ſubſiſtere poſſet homo, aut ſe tueri aduerſus immaniſſimam huius belluæ ferociam. Omnem ſiquidem captat occaſionem, omneſque tentat, exploratq; aditus, quo imbecilles adoriatur, vt ventilet, cribretque velut triticum. Quocirca Dominus, vt palam teſtatur Iob, applicat illi gladium, hoc eſt, ſæuiendi modum ac menſuram illi præſcribit, no-

Tob. 12.

Simile ab æſtu maris.

Matt. 8.

1. *Pet.* 5.

Luca 22.

Cap. 10.

Iob locus explicatus.

cendique

endique metas Sathanæ conſtituit. neque enim ltra cõſtitutum præſcriptumque terminum progredi fas eſt, nec patitur Deus quenquam ſupra vires, & quàm imbecillitas humanæ naturæ fert, affligi. Quo antidoto diuus Paulus Chriſti nomine omnes in periculo, vitæque diſcrimine, in calamitate, morbis, inedia conſtitutos ſolatur, ac fulcit, cùm non ſinat Deus vllos tentari ſupra vires, ſed commonſtrat cum tentatione euentum, vt vel afflictio viribus noſtris reſpondeat, vel celeri effugio ab illa liberemur. Hæc eò verboſius à me enarrata ſunt, quò intelligat ęquus lector id eſſe argumenti caput, noſtriq; inſtituti rationem: Humores pręcipuam eſſe cauſam morborum: Genios verò, aſtra, ambientis aeris qualitatem, aliaq; externa concomitari, vt accidẽtia. Cùm ęnim omnes animi impetus ratione, mentisque iudicio ſedari contingat, corporis verò morbos appoſitis remedijs atque optimo medendi vſu miteſcere ac conſopiri: quis aliò referri velit origines cauſasque morborum, quàm in humorum copiam ac qualitatem? Quod ſicui inſitos corpori humores excutere collubeat, atque in ſe ipſo explorare, qua vi ac facultate polleant, experietur illos non modò corporis habitũ, ſed animi etiam mores conſtituere, ſic tamen, vt morum inſtitutio, tum pietatis ac religionis cultus & obſeruatio primas potioresque partes obtineat. Sanguis ſiquidem, vel ſi qualitates ſpectes, calor & humor florido quidem corpore homines producit, at quod ad animum attinet, laſciuos, moribus Comicis, ſimplices minimeque fucatos, ac tantùm non ſtolidos. Bilis flaua arido quidem corpore, ac ſubfuſco profert, ſed callidos, ſubdolos, ingenioſos, feruidi, ardentisque, ac concitati animi, prudentes, induſtrios, ſolertes, inconſtantes, inſtabiles, fraudulentos,

1. Cor. 10.

Humores corporis quos mores pariant.

Perſ. ſat. 5.

Qui fronte politi
Aſtutam vapido ſeruant ſub pectore vulpem.

Melancholicus ſuccus ſtabiles & conſtantes efficit, quique non facilè à concepta perſuaſione reſiliāt, ſuamque opinionem deſerant: Adeo vt ſi alicui ſectæ addictos eſſe contingat, mordicus illam tueantur, nec facilè ab illa reſiliant. qui affectus in cholericis mitior eſt, ſiquidem iſti ob humores fluctuantes atque inſtabiles, ſpiritusque tenues, leui momento aliò transferuntur, & licet feruidi exiſtant & clamoſi, placabiles tamen ſunt minusque pertinaces aut obſtinati. Pituita ad formandos fingendosque mores inutilis eſt. Quò fit, vt hebetioris ſint ingenij, nec ad vllas functiones ac munia appoſiti.

Melancholicos, Maniacos, Phreneticos, quique ex alia cauſa furore perciti ſunt, nonnunquam linguam alienam perſonare, quam non didicerint, nec tamen eſſe Dæmoniacos.

CAP. II.

Humorum mira vis in concitanda mente.

MIRA vis concitat humores, ardorq; vehemens mentē exagitat, cū ægroti in æſtuoſis febribus linguam quam non ſunt edocti, modò diſertè, modò obſcurè & confusè loquūtur: Quod in ἐνεργεμένοις, hoc eſt, à Dæmone obſeſſis fieri, non magnopere miror: cùm illi omnia calleant, rerumq; omnium ſcientiam obtineant. Sunt autem humores tam violenti, atque atroces, vbi vel inflammati ſint vel corrupti, vt eorum fuligo in cerebrum delata, quod in meraciſſimo quoq; vino affluenter hauſto, obſeruamus, peregrinam linguam extorqueat. Quod ſi à malis Genijs perficeretur, non conſileſcerent morbi purgantibus medicamētis, nec ijs quæ ſomnum conciliant, diſcuterentur. His enim & pleriſque

Vt vini, ita humorum vis mentē concitat.

ſiſque alijs, quibus abunde inſtructa eſt res medica, ritè adhibitis, reſtitui illos videmus, atque ad conſuetum loquendi vſum, mentemq́ue ſaniorem reduci. Cùm itaque feruentiſſima ſit humorũ ebullitio, vehemens quoq; ſit ſpirituum agitatio, mentique humanæ concitatiſſimus motus, & concuſſio, quæ voces quaſdã inauditas, linguamq; prius incognitam extundit: non ſecus quàm ex contritu ac colliſione ſilicis, emicantes ignitasque ſcintillas elici videmus. Eſt autem hoc menti humanæ inſitum, vt appoſita aptaq́ue ſit ad percipiendam rerum cognitionem, ipſaq́ue imbuta eſt artibus ante illatum vſum. Sic vt non ſit abſimile vero illud Platonis, Noſtrum ſcire nihil aliud eſſe, quàm reminiſci. Mens ſiquidem hominis omnium rerum ſcientiã ac notionem in ſe ipſa complectitur, ſed mole corporis, denſisq́ue humoribus oppreſſa nõ facile eluceſcit, eoq́ue, vt ignis cineribus obductus, exuſcitari foueriq; poſtulat, quò ſe proferant ingeniti nobis igniculi, naturæque lumen reſplendeat. Si quando igitur diuina hæc potiorq; hominis pars Anima concutitur morbiſque exagitatur; ea profert, quæ in intimo receſſu latitabant, inſitaſq; vires palam exerit. Vt enim ſtirpes quædam nullum ex ſe odorẽ diffundunt, nec aliquid ſuaueolentiæ expirant, niſi ſubinde commoueas manu q́ue demulceas: Sic quoque non proferunt ſe ingenitæ facultates ac vires, niſi, vt aurum in cote lapideq́ue Lydio, explorentur. Pari ratione Gagates, ſuccinum quod Amber vulgo dicitur, non continuò paleas, ac feſtucas, aliaq́ue venti ludibria ad ſe rapiunt, ſed agitata, atque attritu concaleſecta. Sic cùm pugiones acuis crebro, celerique motu, ſcintillas emicãtes exprimis. Ex herbis quoque & gemmis naturæ vis percipi cognoſcique poteſt. Peonia ſiquidem, viſcum, fruticulus, verbena, Corallium,

Simile a ſilicis attritu.

Mens artibus imbuta ante doctrinam.

In Phed.

Simile à ſopito igne.

Simile non inconcinnũ ab herbarũ fragrãtia.

Simile à lapidum ac ſtirpium effectu.

Vnde vis in concitãdis ſpiritibus. æmathites, vniones, ſmaragdi, aliaque amuleta, hoc eſt, quæ noxia quæque amoliuntur ac depellunt, corpori applicata, colloque appenſa, præſentanea vi vel morbos diſcutiunt, vel ſanguinem ſiſtunt, aliaque pro inſita facultate præſtant: ſed hęc omnia efficacius ac præſentius intus exhibita, atque in corpus aſſumpta. *Simile à vini effica- cia ſumptũ* Experimentum à generoſo vino capere licet, quod naribus admotum odore quidẽ cor reficit, mentemq; excitat: verùm, vbi in corpus reconditum delatum eſt (ſiquidem in dolio nihil efficit, ſed in venas dimanans) tum demum vires ſuas explicat, atque homines quamlibet ſtupidos diſertos facit, ac mirè loquaces. Acuit enim mentem vini calor, quæque in cerebri latebris deliteſcunt, prodit, atque in apertum profert. Pari ratione ac modo humores homines afficiunt, vbi tota vis atque impetus morbi cerebri ſinus impleuit, mentemque ac ſpiritus cùm vitales, tum animales concitare cœperint. Videmus enim nonnullos in æſtuoſis febribus, quæ ferè æſtate vigent, copioſos promptosque fuiſſe in diſſerendo, vſosq; oratione culta atque elaborata, eoque idiomate, quod morbo defuncti nullo modo exprimere potuerunt, quos ego pronunciaui non à malo infeſtoque Genio diuexari, nec dæmonij inſtinctu impulſuq; illos iſta peragere, ſed vi morbi, humorumque ferocia, qua tanquam face ſubdita mens hominis exardeſcit atque inflammatur. Illos ſiquidem, admotis capiti fomẽtis, exhibitaque ſomnifica potione à morbo mentisque errore vindicaui: quo diſcuſſo omnium eorum, quæ ab his dicta factaque erant, profunda cepit obliuio. quorum nonnulla cùm in memoriam illis reuocarem, ſuppudeſcere cœperũt, miratique ſunt in tantum ſibi excidiſſe mentem. Simili etiam ratione moribundi, quòd in his excitetur ardens animi vigor, illoſque

que antequam emigrent, rapiat diuinus quidam afflatus, vaticinari ſolent, quæque euentura ſunt, certò prædicere, idque diſertè atque oratione tam meditata, vt aſtātes admiratione afficiātur. Quòd autem anima vtpote cæleſtis originis, ac diuinitatis particeps, præſcia ſit futuri ac vaticinandi perita imminēte potiſſimum morte, ſuo loco dicetur. *Qur anima migratura vaticinetur.*

De Epilepſia, quam cùm veteres, tum recentes plebeij in certos Diuos referunt, violentia ac ſæuitia: qua denique ratione expugnari poßit. Obiter comitiali morbo, lethargo, apoplexia oppreſſos non confeſtim ſepulchro inferendos.

CAP. III.

QVOS effectus obtineant in corporibus humanis humores, quidve efficiant, aliàs demonſtratum eſt. Verùm, cùm hi pro locorum ratione ac diſcrimine varijs, diuerſiſque modis illa afficiant, de his quoque dicendum putaui, quæ cerebro inhærent. Illi ſiquidem qui in celſiſſima parte corporis conſiſtunt morbi, non ſolùm dolores infligunt, ſed ſenſum motumque eripiunt, ac menti iacturā inferunt, quod in apoplexia & lethargo, quæq; in teneriorem ætatem & ſexū muliebrem impotentius ſæuit, Epilepſia ſpectare licet. Veteres, reclamāte Hippocrate, in peculiares diuos morbum comitialem referebant. Cùm enim proximè adſtantes, tam ſubitò miſeros conuelli proſternique viderēt, exiſtimabant vel Diuos aliquos illis infeſtos, vel malos Genios hanc calamitatem cladem que inferre: quocirca vota illis nuncupabant, tabulaſque votiuas erexerunt. Hinc noſtra ætas Epilepſiam in multas ſpecies diſcriminat, atque aliam D. Ioanni Chriſti præconi, aliam Cornelio, Hubertoque aſſignat. *Morbus comitialis in quē referendus.* *Diuis non aßignandi morborum cruciatus.*

aſſignat. quorum ſimplicitati, vt neminem decet inſultare: ita ſenſim illam perſuaſionem illorum animis eximendam cenſeo, quò in naturales cauſas iſta referenda intelligant. Pro habitu ſiquidem & conſtitutione corporis, pro organorum ac meatuum amplitudine vel anguſtia, proque humoris viſcoſi redundantia, varias diuerſaſq; differentias percipiunt, ac mutationes ſubeunt: hinc alij vlulant, canumque more latrant, alij ſibilant ac dentibus ſtrident, nonnulli clamores edunt horrendos, atque intentius vociferātur: non deſunt, qui prorſus obmuteſcant cerebro præſertim oppleto denſis humoribus, oppreſſoque diaphragmate, atque occluſis reſpirādi fiſtulis. Quò fit, vt ſpiritus inoffenſè commeare nequeat, atque vltrò citroque reciprocare, qui omnium acerbiſſimè mihi torqueri videntur. Horum autem ſymptomata grauius inualeſcunt, ac ſęuiora efficiuntur, cùm vel luna impleri vel inchoari incipit, aut vbi ea cor vel cerebrū obſidet. Tunc enim humores maximè redundant, præſertim vbi poſt Aquilonē Auſtri ſpirare cœperint, venti vt turbulenti atq; inſalubres: ita frigidi & humidi. Siquidē humida corpora, ciboq; & cælo vtentes humido huic malo ſunt magis opportuni, morboque comitiali expoſiti: argumēto quòd impuberes ac fœminę potiſſimum eo infeſtantur, quibus niſi circa annum quintum & vigeſimum, augeſcēte calore natiuo, qui ſiccius temperamentum inducit, deſinat, vltraque eam ætatem producatur; ad mortem comitari ſolet, hoc eſt, non niſi mors finem morbo imponit, eoque vita terminatur. Cùm igitur tam euidēs ſit cauſa morbi Comitialis, perſuadendum cenſeo imperitæ plebi, non aliò referendum, quàm in naturales humorū motus, quò minus exhorreſcant homines, vbi ſpectare cogantur os rabidum ac diſtortum, genas inflatas,

Comitialis morbi differentia.

Luna morbos humidos exaſperat.

Aphoriſ. 7. cōment. 5.

Epilepticorū habitus formidabilis.

tas, buccas humore ſpumaque turgidas: ſed illos adire ne metuant, atque aliquod lenimen doloris, medelamque adferre curent. Hoc ſiquidem efficiunt ſpectatores meticuloſi ac trepidãtes, vt multi ſe crudeliter dilacerent, caputque, poſtibus ac ſolo illidant, vtque multi deplorati iudicentur, eoſq; efferri contingat, ac ſepulcro deſtinari, antequam anima in auras prorſus euanuit. Compertũ enim habeo noſtra & auorum memoria, nonnullos effracto capulo reuixiſſe. Quamobrem lege cautum eſſe conuenit, ne Libitinarij ac Veſpillones præproperè quos mortuos exiſtimant, extinctæque animæ ſpeciem præbere vident, loculo includant, eos preſertim qui apoplexia, aut morbo comitiali, vterique ſtrangulatione ſuffocantur: cùm in illis nonnunquam deliteſcat anima, quæ rurſus corpus ſpiritu vitaque imbuit. In contagioſis autem febribus, vel cùm peſte feriuntur homines, non neceſſe eſt, nec cõſultum arbitror tam anxiè iſta obſeruare, cùm ſtatim à morte ſerpat contagio, atque aſtãtibus labem inferat. Minus autem periculi imminet ijs, qui viuis peſte correptis adſtant, infectiſq; obſequium præſtant, quàm vbi morientibus aſſiſtunt: tunc enim ſe diffundit contagio, atque ad obuia quæque dimanat. Simile enim quiddã corporibus recens extinctis euenit, quod cereis, lychniſque ac funalibus, quæ accenſa nullam graueolentiam naribus offundunt: at extincta, flammaq; ſopita tetro vndique fumantique odore cœnaculum complent. Ita plus periculi imminet, vbi animam exhalantibus præſto ſunt, quàm vbi aliquid adhuc vitæ ſupereſt, aut vbi horas aliquot extincti frigent ac rigeſcunt. quòd ſi paulò diutius, ſupraq; legitimũ tẽpus huiuſmodi corpora reſerues inſepulta, olida efficiuntur cadauera, ſenſimq; mephitim exhalant, ac ſanie taboque diffluunt, quod in

Apoplectici ſerius humandi.

Peſte extincti ocyus humandi.

Simile appoſitum ab extinctis funalibus.

apo-

apoplexia, frigidiſq; cerebri morbis rarò cõtingere ſolet, niſi vel ſtatus cęli ſit calidus, vel corpora obeſa exiſtant. Quæ ſi nõ impediant, ne tale quiddam obſiſtat, non niſi elapſo triduo huiuſmodi corpora inhumanda. Siquidem expleto duarum & ſeptuaginta horarum curriculo, humores ſiſti contingit, moueriqúe deſinunt, quod luna eo temporis ſpatio, vnum Zadiaci ſignum peregerit, cuius vi humorum decurſus in corporibus perficitur. Quæ ratio effeciſſe dicitur, vt CHRISTVS captata occaſione Lazarum quatriduanum, in vitam poſtliminio reuocarit, ne quis calumniari poſſit illum non fuiſſe mortuum, ſed animi deliquio correptum ex ementita morte reuixiſſe. Ipſe quoque, cùm negotium ſalutis humanæ ſua morte ac reſurrectione peregit, eandem occaſionem arripuit. Siquidem præter id quod lateri vulnus læthale eſſet inflictum, totum triduum peregit in monumento, quò omnem anſam præcideret ijs qui ſiniſtrè parumqúe reuerenter, nec ſatis pro dignitate de illius morte & reſurrectione ſentire poſſent, omniaqúe illius dicta factaqúe rapere in calumniam. In quo errore ac veſania Iudæi etiamnum perſiſtũt. Cæterùm cùm morbi qui mentẽ homini eripiunt, tam ſint formidandi, vt nemo non aſtantium horrore concutiatur ac contremiſcat: facturus ſum operæprecium, ſi remedia, eaqúe præſentanea, nec ex triuio petita adiecero, quo quiſque etiam à re medica alienus, ſe ſuoſq; munire poſſit, atque ab ijs immunem præſtare. Et quoniam omnes cerebri morbi præſertim qui ex frigido humore conſiſtunt, inter ſe ſunt affines, ſingulis indiſcriminatim poſſunt accommodari, nempe memorię detrimento, vertigini, palpitationi, tremori, epilepſię, lethargo, apoplexi, nocturniſqúe ludibrijs, atque incuborum ſuppreſſionibus, qui morbus ἐφιάλτης

Humorum motus & reuolutio in mortuis.

Ioan. 11.

Chriſtus quur ſeri⁹ Lazarum ſuſcitauit.

Incubus.

ἄλτης Grçcè dicitur. Inter innumera quæ his malis obſiſtunt ac medentur, quatuor potiſſimè efficaciſſima comperi, non tam experimento, quàm ratione comprobata, Semen Peoniæ orbiculare ac nigricans, nam angulosum & coccineum ruboreque perfuſum, ad hæc inefficax eſt. *De macere* *Remedia incubi.*

Scyllæ radix turbinata ac bulbacea.

Cranei humani ramenta.

Fruticulus aut virgultum, quod Viſcum vocant. Quorum effectus, & qua ratione illos perficiant, ſingulatim demonſtrare pergam.

Peonia Galeno non minus decantata, quàm Braſſica Catoni, non ſolùm à qualitate elementari, ſed totius ſubſtantiæ vi ac proprietate ſpecifica, hunc morbum expugnat. Pueros autem, in quibus vis morbi minus valida etiã à collo geſtata hoc morbo collapſos erigit. Diſcutit enim conſumitq; humorem pituitoſum, qui huius morbi eſt ſeminarium. Intus verò exhibitæ huius baccæ, etiam in adultis efficacius id preſtant. Siquidem flatuoſum imbutumque veneno humorem abſorbet, ac corpus ad temperamentum calidius, ſicciuſque perducit. Hoc autem ſemen præſtantiſſimum nonnulli aſſerunt, quod à Peoniæ, quam maſculi nomine deſignant, prima fœtura emergit. Diu enim ſtolones, hoc eſt inutiles frutices culmosque effœtos, ac ſemine deſtitutos profert: Vbi verò perfectè adoleuit, ſiliquis dehiſcentibus, hinc baccas atro colore politas, hinc acinos coccineo flagrãtique rubore nitidos, oſtendant, nigricans ſemen in vſum reſeruandum, non tamen ea vanitate ac ſuperſtitione, vt ſequentis anni ſemẽ credatur inefficax, cùm à decimo partu etiam qui emerſit fœtus, præſentaneam vim habeat, modò ne carioſus ſit, & euanidus. *Peonia qua vi polleat.*

Scylla facultate & viribus Peonia ſuperior mirificam *Scylla quã*

Vi polleat in epilepſia

cam vim habet, non ſolùm in epilepſia,ſed omnibus morbis qui ex lenta pituita,viſcoſisq; humoribus contrahuntur, in quacunque corporis parte conſiſtant. Eſt enim vi abſterſoria, qua tenacia quæque diſſoluit. In quem vſum ex eo confecta oximelitis à me exhiberi ſolet cochleari menſura, quæ quoniam inſigni eſt amarore, cum Serapio de ſtechade illam diluo, nuciſque myriſticæ ſeu muſcatæ pauxillum admiſceo,aceto quoque Scyllitico ſubinde os collui præcipio,ſic, vt pauxillum diglutiant.

Cranium caluaque humana.

Porro Cranij humani ſcobes,aut ramenta præſentanea quoque experior in exiccandis humoribus, qui huiuſmodi morbos inferunt, ſi pars aliqua ex maſculi calua lima accuratè contrita,mari:mulieris verò,muliebri ſexui exhibeatur,idque ex vino, vel oximelite Scyllitica,non ſanè occulta omninò proprietate,ſed quòd valenter exiccet:qua ratione coagulum,ſanguiſque leporinus diſſenterias,aliaque profluuia compeſcit.

Oſſa humana Comitiali morbo idonea.

Sic vſu atque experientia compertum habeo, Oſſa humana diſſentericis ex vino rubro exhibita, fluxum ſanguinolentum cohibere,aſtrictoria ratione,ac vi exiccante,quod efficaciter etiam præſtat πισάσφαλτον factitium, hoc eſt,munia Arabica; præſertim ſi momentum ſuccini marini, quod vulgo Sperma cœti dicitur, admiſceas.

Viſcũ planta quo effectu contra epilepſiam.

Supradictis effectu proxima ne dicam ſuperior Viſcum, eo opinor nomine inſignitum, ꝙ acinis ſeu baccis glutinoſus humor ſubeſt, qui digiti attritu lenteſcit. neque enim ea voce deſignatur viſcilago venenata, muccuſq; glutinoſus,quæ Ixia dicitur, qua linguam inflammari omniaque interanea cõglutinari contingit, ſed planta fruticoſa, qua nihil apud ſacerdotes Galliæ, quos Druidas Cæſar vocat,ſacratius,nunquam in terra, ſed perenni virore in Ilice & Quercu naſcens, non ex ſemine;

Comment. lib. 6.

mine;

mine,ſed ex palumbi, turdique excremento. Frutex is ſæpius mihi conſpectus eſt cubitali altitudine,colore intus porraceo ac viridanti,foris ſubfuſco,folio buxi vergente ad croceum. Quod omnis eruditionis parens, & quo nemo in cognitione rerum verſatior, eleganti carmine commonſtrat Virgilius.

Talis erat ſpecies auri frondentis opaca *Aeneid.6.*
Ilice: ſic leni crepitabant bractea vento:
Quale ſolet ſyluis brumali tempore Viſcum
Fronde virere noua quod non ſua ſeminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circundare truncos.
——————Latet arbore opaca
Aureus, & folijs & lento vimine ramus
Auricomos generans acinos, atque arbore fœtus.

Quo indicat poeta, nulla re magis cedere mortiferos inſultus,morbosq; cerebri læthales expugnari,quàm aurei huius fruticis vſu & medela. Humores ſiquidem tenaces diſcutit,extenuat,exiccat, morboq; comitiali mirifica vi medetur, puluiſculo huius vino meraciſſimo aſſumpto. Reſtat iam vt Alcis vires excutiamus,quod animal Caprarum *Alce,* eſſe generis,ſed maiori corporis mole, Caius Cæ- Eelandt. ſar in Cõmentarijs teſtatur In Biblijs Tragelophus, ſeu hircoceruus dicitur,aſſimilis Rupicapreis, qui- *Belli Gal.6* bus Iudæis veſci fas erat. Huius vngula præſenta- *Deut.14.* nea vi pollet aduerſus morbum Comitialem,quod multis experimentis comprobatum habeo, licet ratio mihi viſa ſit obſcurior.Sunt apud Belgas, quòd *Auſter epilepſiam excitat.* regio plus ſatis humida frigidaq; ſit,atq; Auſter cõtinenter ſpiret ventorum inſaluberrimus,complures huic morbo obnoxij adeò,vt in compitis ac triuijs miſeranda ſpectacula hominum oculis exhibeantur,ſic vt paſſim ad hoc remedium tanquam ἀλεξίκακον,hoc eſt,quod malum depellat, confugiant.Mihi ſanè ſemel atque iterum contigit,vt mu-

Rei geſtæ narratio. liercula quædam in ædium noſtrarum veſtibulo, tanquam fulmine icta, concideret: quod vbi eſſem conſpicatus, accedo propius, atq; annuli geſtamen, cui Alcis particula inſerta erat, digito qui infimo proximus eſt, infero: illa e veſtigio erexit ſe in pedes, potúque refocillata iter inceptum alacriter pergit. Altera quædam cum domo abeſſem, pro foribus edito clamore inſolito, de repente in terram concidit, ſolóque caput illiſit: Ibi vnus ex familiaribus Alcis partem palmæ impoſuit, manúque in pugnum complicata, quòd annulo incluſa non eſſet, morbum confeſtim depulit. Hæc fieri crediderim ſpecifica vi, abditáque proprietate ſubſtantiæ, vel quòd eximia exiccandi, diſcutiendiq; poteſtate polleat. *Qua ratione foris admota morbos mitigãt* Porrò niſi eſſet res ſolida, ſtatui poſſet effluxum quendam emanare, qualem flores, olentesq́; herbæ effundunt. Quod tamen fieri poſſe perſuaſum habeo, licet emanantes ſpiritus tenues ſint, atque aridi miniméq; vaporoſi, adeò vt ſenſui minus exiſtant expoſiti, ab eóque non niſi latenti vi percipiantur. Sic lapides, gemmæ, aurum, ferrum, atq; ænea quæque occultam quandam vim expirant, ſed agitatione concalefacta, aut eorum nonnulla ignita, manifeſtius odorandi ſenſum excitant, ſeſeq́ue corpori potentius inſinuant. Quod ipsũ percipimus, cùm celeri, rapidóque motu rotæ feruescunt, vel cum equi ferrata vngula ſic ſtrata feriunt vt igneſcant. Continuò enim fuliginoſus ac retorridus odor in aëra ſe auraſq́ue diffundit. *Simile à rotis feruidis & ſilicibus ſcintillantibus.* Quod ſi effectus huius cauſa non ſit ſatis euidens, nulláque probabilis ratio excogitari poſſit: ſaltem ea vi iſta perfici ſtatuamus, qua monocerotis cornu aqua vinóque immerſum venenata quæque diſcutit, atq; araneas contactu conficit. *Vnicornis venenis obſiſtit.* De lapillis, qui hirundinum ventri eximuntur, tum qua vi epilepſiæ medentur, alio loco dicetur.

Qui

Qui fiat, vt morbi longi ſint ac diuturni, nec facilè medicamentis cedant: Vnde febres recidiuæ, vndeq́ inducię, atq́ intermiſſio. Quæ ſcire omnium intereſt, ne quis facilè morbo tentetur, aut vt illũ citò excutiat.

CAP. IIII.

MORBI diuturni, quiqúe in longum tempus producuntur, non inſcite componi poſſunt, difficili, longóque itineri ac ſpinoſo, quod homo inualidus, parumpue firmo corpore, deniq; ſuffarcinatus ac mole degrauatus cogitur pedibus emetiri. Ipſe propter itineris difficultatem, atq; oneris moleſtiam cunctantius progreditur, premituiqúe grauius, quàm ſi vehiculo illum prouehi contingat, vel ab obſequioſo facundoque comite aliqua oneris parte leuari. Cùm aũt ob multas variaſqúe cauſas morbos protendi atque in longũ tempus protrahi contingat, inter cæteras illa mihi viſa eſt præcipua: Quod inter initia, primoſq; morborũ inſultus, ſyncerum fidúmq; medicum accire negligant, qui præſcripta ſalubri diæta, ac medicamentis opportunè, ſummaqúe dexteritate adhibitis, naturæ imbecillitati poſſit adminiculari, illámq; artis pręſidio fulcire. Eſt ſiquidem Medicus naturæ adminiſter, eiuſque ſaluti ardenter inuigilat, ac conſeruationi totus incumbit. Quò fit, vt cùm ignorent, quid ipſis vel proſit, vel officiat, nullo diſcrimine, nulloq; delectu vitioſos prauoſque cibos etiã in ipſis morborũ acceſſionibus inſultuqúe ingruente, ingerant, quibus oppilatio ac putredo augeſcit, morbuſq; vires colligit, atq; omnis corporis vigor labaſcit. Quòd ſi in Autumnum morbi incidant:

A ſimilitudine exordium ex itineris difficultate.

Principijs obſtandum.

Medicus naturæ adminiſter.

Morborum ſiquidem curſus redit actus in orbem,
Atq́ in ſe ſua per veſtigia voluitur annus:

Iam gemina cooritur diuturnitatis cauſa, partim ob copiam frigidi viſcoſiq; humoris, partim ob lentorem ac tenacitatem; Autumnales enim hibernęque anni partes refrigerant, denſantq; humores, ac tarditatem inijciunt, cauſasq; diutius immorandi innectunt. Quò fit vt non facilè morbi deſinant, aut diſcutiantur, quòd hùmores craſſeſcant, ac concreti ſint, cutisq; minus ſpirabilis exiſtat. Vt enim pix, cera, ſeuum, reſina, omnisque fluxilis materia hibernis menſibus indureſcit, minusque cedit tractantis fingentisq; articulis: ſic frigido ſtatu cæli humores ægre liqueſcunt, ac diſſoluuntur. Argumento, quòd hyemali tempore minus ſudoris erumpat. Quapropter quæ vehementer abſtergunt, ac meatus expediunt, exhibere cõuenit. Non ſecus enim humorum ſordes ac ſtrigmenta huiuſmodi corporibus inhæreſcunt, quàm fex aut amurca dolijs, quæ aqua ſalſa, vel muria macerari poſtulant, ac ſcopis defricari, quò niteſcant, omnisque odor, quo ſunt imbuta, aboleatur. Alioqui quicquid in illis reconditur, vitiatur, atque aceſcit. Quò mihi rectiſſimè dixiſſe viſus eſt Hippocrates: Impura corpora quantò magis nutrias, tanto magis lædes. Putreſcit enim alimẽtum, ac corrumpitur vitioſis humoribus admixtum, eoq; fit vt diutius cum malo luctentur, aut ſiquando medici induſtria, aut naturæ viribus morbus miteſcere cœperit, oborta leuiſſima occaſione, recrudeſcit, ac redintegratur Noua ſiquidem, recenſque corruptio ac putredo corpori inducitur, quam comitatur fœdus odor & graueolentia, quam etiam ex halitu percipimus, quæ per corpus latè diffuſa ſpiritus vitiat, caloremq; natiuum, quod perſpiratio inhibeatur, extinguit Quò ſpectat illa Hippocratis ſententia: Si qua veſtigia. vllæque reliquiæ in corpore reſideant, morbos recidiuos excitari, febresque reaccendi: neque enim alimen-

Simile à re fluxili.

Simile à defricãdis dolijs.

Libr. 2. apho. 10.

Libr. 2. apho 12.

alimentum in corpus aſſumptum vires auget, ſed praui ſucci admixtione corrumpitur, morboq; dat incrementum, quod in quartana, nothiſque ac ſpurijs tertianis perſpicimus, cùm Medico non acquieſcunt, nec commoda victus ratione vtuntur. Intermittuntur tamen hę febres, præbentq; inducias, quia extra venas humor conſiſtit, atque à corde eſt remotior. In continuis autem febribus indeſinenter affligi homines contingit, ob acres mordaceſq; fumos inflammati ſanguinis, biliſq; accenſæ intra capacitates ductusq; venarum, qui cùm non habeant liberum exitum ac perſpiratum, è directo cor atque hepar feriunt, ſuaque putredine ex oppilatione coorta, inclementius infeſtant, quàm ſi foras extraque venas effundi contingat. Siquidem cùm magna ſit humorum copia, ac putredo vehemens, magnaq; huius ad putrefactionem proportio (ſanguis enim ex calidi & humidi qualitatę promptius putredinem concipit) fit vt continenter hæ febres ſæuiant, ac celerrimè ad ſtatum properent. Vnde Hippocrates morbos vltra decimum quartum diē non produci, aſſerit: nonnunquam verò, vbi materia furioſa eſt, ac turgeſcit, quinto die, ſeptimo, nono, vel vndecimo terminari. Cōtrario modo ſe habent cauſæ febrium, quæ per circuitus ſtatiſque vicibus inuadunt ex vi quadā & qualitate humori ingenita, locique ac temporis ratione, qua fit vt intermiſsè acceſſum faciant, vt anticipent, vt ſegnius ſeriuſque moueantur, vt inſtabiles ſint atque incōſtantes, vt paroxiſmus longius protrahatur. Anticipant autem acceſſiones, atq; inualeſcunt, vbi humorem augeri contingit, atque ardentius inflammari, aut vbi aliquis error commiſſus eſt, aut in cibo potuque aliqua ſubeſt intemperantia. Cunctātius verò, tardiusque inuadit atque inſultus miteſcit, cùm materia minuitur, diſcuſſaq; oppilatione

Vnde febrium induciæ.

Sanguis putredini obnoxius.

Lib. 2. apho. 23.

Anticipantes febres.

Retardantes febres.

ac putredine,ſenſim oppilatio ſopitur,ac conſileſcit. Cùm autem humor alter alterius naturam aſciſcit,aut locum demutat, vel alterius cōmiſtione confunditur,nullo ordine,motuq; inſtabili circuitus procedunt,nec vllum certum obſeruant accedendi modum. Longam acceſſionem facit humor vaporq; copioſus,ac latè per corpus effuſus,craſſus deniq; ac viſcoſus.Siquidem vt ligna humida ac virentia non niſi longo tempore inflammari conſumiq; poſſunt:vtq; caro bubula præſertim vetus & annoſa diu elixari poſtulat:ita humor viſcoſus diutius macerari debet, ac concoctione molleſcere, fieriq; fluxilis, quo excretioni reddatur idoneus. Cæterum cùm paulò antè demonſtratum ſit, humores vbi extra venas putreſcunt, atque in quauis corporis parte inflammantur,intermittentes,quæque reſpirandi ſpatia concedunt, febres excitare: eoſdem plerunq; obſeruamus continuos motus ciere,tametſi extra venas cōſtituti ſint,cùm copiæ, tum ferocitatis ratione. Quod ipſum in partibus φλεγμονῇ,hoc eſt,inflāmatione obſeſſis,in Carbunculo,in bubonib. omniq; apoſtemate contagioſo ac peſtilenti perſpicere licet,in quibus febris accenditur non intermittens, ſed continua, tametſi virus extra venas eruptionem fecerit,atq; à corde ſit remotius.vis enim peſtifera ac venenata ad cor penetrat,partesq; principes infeſtat, ac ſpiritus cum naturales,tum vitales inficit.Quò fit vt huiuſmodi morbi etiam inter acutos referantur, quòd celeriter ad ſtatum properant ſubitáq; fiat vel ad mortē, vel ad ſanitatem mutatio.Simile enim quiddā illis corporibus euenit,quod vrbi obſeſſæ,quæ tam acriter ab hoſtibus oppugnatur, ac machinis tormentisq; bellicis nulla intermiſſione concutitur, vt nō videatur diutius poſſe ſubſiſtere,hoſtiumq; violentas impreſſiones perferre,adeò vt ſingulis momētis oppri-

Inſtabiles & errabundæ febres.

Longæ febres.

Simile à virentibus lignis & annoſa carne.

Intermittētes febres.

Carbunculi extra corpus febres excitant cōtinuas.

Simile ab vrbe obſeſſa deſumptum.

opprimenda videatur, niſi bombardis ac catapultis viriliter ſe hoſti opponat, vel eruptione facta illum propulſare ac conficere pergat: nam deditione ſalutem vitamq; paciſci, quod hi faciũt, qui vel hoſti, vel morbo ſegniter obſiſtunt, ingeneroſum eſt, ac plerunq; damno coniunctum, cùm plerunque victores pactis ſtare non ſoleant, fidemq; fallere: Sic in morbis acutis vſuuenire ſolet, vt ęgroti violentiam morbi non ſuſtineant, vltráque dies quatuordecim vel citra eos vitã prorogare nequeant, niſi natura validam fortemq; ſe præbeat, atq; artis Medicæ pręſidio acriter morbo obſiſtat, depulſoq; ac confecto hoſte victoria potiatur, qua adepta, ægrè quidem vires colligit, atq; ob vim illatam non confeſtim conualeſcit, ſed inſtaurare vires pergit, atq; vt conquaſſata conuulſaqúe mœnia ac propugnacula, erigere.

Vt hoſtiũ, ita morborum inſultus propulſandus.

A morbo vires inſtauranda.

De ijs, qui ſubducto lecto, ſomnoq́; oppreſſi ambulãt, ac perreptant culmina, adiumq́; tabulata, multaq́; perficiunt dormitantes, quæ vigilantibus acceſſu, adituq́; ſunt difficillima, quæq́; ſumma cura perficere, præſtareq́; nequeant.

CAP. V.

CONTINGIT nonnullos in florenti equidem, viuidáq; ætate (nam ſeniculi vtpote ſpiritu vitali vel extincto, vel flaccido, tale quiddam moliri nequeunt, vt qui etiam in Genealis thori aſcenſu ſegnes ſunt ac tardiuſculi) intempeſta nocte vel antelucano, exilire, ac lecto ſe ſubducere, quæqúe acceſſu, adituq; vigilantibus ſunt difficillima, perficere, eaque tam inoffenſè peragere, vt nemini non ſpectantium admirationem ſtuporemq; incutiãt: Quod ſi illas non interpelles, nec ab incepto reuoces, ſenſim ſe denuò in lectum referunt. Cæterùm

Ambulare ac vociferari in ſomno, vnde eueniat.

cùm iſta obeunt, ſi illos nota agnitaque voce, aut eo nomine, quo Chriſtianiſmo ſunt inſigniti, ac baptiſmo initiati, compellare pergas, ex conſternatione, incuſſoq; terrore, ac perturbatione decidũt, diſſipatis ſcilicet ſpiritibus, diſcuſſaque vi ac facultate naturali, qua illa perfecerunt, itáque permittendi ſunt ſuo motu ferri, atque in priores ſedes ſe ſpontè recipere. Qui verò Incubo opprimuntur, nocturnisque ſuppreſſionibus fatigantur, quod fit vbi cordi ac cerebro fuliginoſi denſiq; ſpiritus incumbunt, vellicari debent proprioque nomine excitari. confeſtim enim, etſi non magnoperè vocem intendas, ſibi reſtituuntur, atque ad ſe redeunt, diſcuſſis ſcilicet fumis, ac ſubſidente ſanguine, qui per riuos, ductusque venarum diffunditur. Magna autem ex parte hic affectus ineunte vere illos corripit qui aſſiduè ventriculi cruditate laborant, quiq; frequentius in dorſum, ac reſupini decumbunt Quò fit vt patulis oculis atq; inconniuentibus, apertoq; ore atque hiante, magno valetudinis incommodo ſomnum capiant. Subitò enim velut graui ingruente mole eam anguſtiam percipiunt, vt ſuppreſſa voce ſuſpiria gemitusque plorabundos edant, qui tamen, vbi quis inditum illis nomen inclamat, ocyus ſe in latus deuoluunt, illasque ſtriges ac Lemures, quibus ſe opprimi imaginantur, excutiunt. Contrario modo afficiuntur noſtri Ambulones: Illi ſiquidem clauſis oculis in tenebris dimicant, ac ſtrepitu tumultuque omnia complent, nonnũquam ſilentes ſurſum deorſumque rapiuntur, ac nullo fulti adminiculo ſumma tectorum faſtigia aſcenſu ſuperãt. Quæ ab ijs fieri perſuaſum habeo, ex ſanguine turgido ac ſpumanti, tum æſtuoſo feruidóque ſpiritu, quæ in mentis ſedem delata animæ vim ac facultatem, qua functiones ſuas perficit, partesq; inſtrumentarias ad actiones impellit, agitant,

Incubus. De maere. *Ambulones nocturni non appellandi proprio nomine.*

Decubitus in dorſum noxius.

agitant,atque ad huiuſmodi motus effectusq; concitant. Quò fit, vt corpus ſpiritus animalis impulſu,qui neruorum ac muſculorum robur, hoc eſt, ſentiendi mouendique munus in cerebro continet,ac tuetur,in ſublime feratur, eiusque vi etiam per ſomnum ad tales actiones incitetur. Sunt autem iſtiuſmodi conditionis homines raro laxoque corporis contextu,ac molis exiguę,ſed magna ſpiritus agilitate,animóque feruido. Vnde euenit, vt ſi vel extremis manuum pedumque articulis præhendant aliquid, ſe librent ac fulciant, contactisq; tabulatis adhæreſcant. Simile enim quiddã ijs corporibus accidit,quod turbinatis illis dolijs,quæ apud Belgas Oceani oſtijs inijciuntur, quò nautæ fidam ſtationem, tutumque portum conſequantur,ac loca vadoſa,ſcopuloſque latentes declinẽt. Illa ſiquidem licet ferreis laminis obducta ſint,cathenisquę reuincta,ac ponderoſo ingentique ſaxo alligata: fluitant tamen,ac mari innatant, nec niſi dehiſcant,in imum deuoluuntur: quoniam ſpiritu,ac flatibus,aëreque copioſo,adhibitis in eum vſum follibus,oppleta ſunt. Sic iſti quoniã flatibus turgeſcunt,ac ſpiritu aëreo implentur, in ſublime rapiuntur,ac ſuſpenſo, lenique gradu vt limaces, ac cochleæ,quæ cum oculis carent, protenſis cornibus prætentant iter, editiſſima quæque perreptant,nocturnaſque ambulationes perficiũt. Quòd verò inoffenſè nullóque corporis incommodo iſta peragant,nec labi contingat,aut in pręceps agi, eò fit,quòd ſenſim ac nullo metu,nulláque trepidatione,aut diſcriminis reſpectu iſta aggrediãtur, quæ plerunque vigiles à rebus anxijs ac periculoſis vel auocare ſolent, vel deterrere. Siquidem non alia ratione hæc attentare ſolent,quàm ebrij ac mẽte capti,qui inconſultè, magnáque temeritate atq; audacia, pericula quæque aggredi non metuunt,

Feruidus ſpiritus cauſa motus in ſomno.

Simile à marinis dolijs.

Simile à limacibus corniculatis.

quibus ſi poſtridie, aut vbi mente conſtare cœperint, in memoriam reuoces, quid egerint, quantaq; diſcrimina ſubierint: omnia prorſus excidiſſe ſibi ingenuè fatentur, totoque corpore horreſcunt, cũ ab alijs, quibus ſe periculis obiecerint, quaſue Tragœdias atq; intemperies excitarint, referri audiũt. Quod ſi huiuſmodi corporibus humores minus exæſtuant, minorque ſit ſpirituũ ardor atq; agitatio, vociferari tantũ illos ac ſubſilire contingit, ſed lecto, ſpondæque inhærere: neq; enim tam validi ſunt, tamque violenti ſpiritus, vt ſubtollere corpus poſſint. Quibuſcunq; enim Hippocrate teſte, cerebrũ incaleſcit, quodublioſis fit, nõ pituitoſis, hi noctu clamitãt, ac tumultuantur, præſertim ſi tumultuosè ac feruidè ſua negotia, actionesque diurnas perficiunt, rerumq; ſuarũ ſatagunt Vt ſunt Ardeliones quidam, hoc eſt homines inquieti ac iactabũdi, qui omnibus ſe negotijs ingerunt, atq; vltro citroq; diſcurſant, miriſque vtuntur geſtib. quos etiam ex oculis deprehendere licet, ex vultu, inceſſu, veſtitu, totoque corporis habitu, quorũ ſingula varijs modis componunt, atq; immutant, aliamque perſonam ſubinde ſibi aſciſcunt, nempè vel hiſtrionis, vel palæſtritæ, aut deniq; agyrthæ, hoc eſt, circumforanei circulatoris, qui ad nugas plebem con uocat Quò fit vt in ſomno exiliãt, ac plausũ ſtrepitumq; excitent ob ſimulachra, quæ ſenſui occurrunt, quæq; voluntati atq; actionibus diurnis correſpondent Sic ſinguli noſtrum, cùm interdiu intentè aliquid agimus, ſerioque tractamus, earũ rerum ſpecies ac ſpectra noctu animo obuerſantur, vocesq; clamoſas ac turbulentas extorquent. Quod Lucretius hoc carmine expreſſit.

Lib. de Comit. morb.

Ardelio.

Homines interdiu inquieti, noctu clamoſi ſunt.

Lib. 4.

In ſomnis eadem pleroſq; videmus obire:
Cauſidicos cauſas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare, ac prælia obire,

Nau-

Nautas contractum cum ventis degere bellum.
Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Aut in qua ratione fuit contenta magis mens.

Quæ enim toto die nos fatigare vrgereque ſolent, inclinato iam die in cerebrum aſſiliunt, nocturnaſquíe intemperies excitant, aut ſaltem mentem ijs occupatam detinent, vt ſomnus non ſit placidus, ſed obiectis imaginibus identidem interrumpatur.

Ex his qui ſubmerſi ſunt, virorum cadauera ſupina: fœminarum verò prona fluitare, exemptoq́ pulmone non emergere.

CAP. VI.

COMPERTVM eſt apud Belgas, quod Plinius etiam teſtatur, corpora virorum, vbi ſubmerſa ſunt, ſupina, atq; erecta in cœlum facie: mulierū verò prona, vultúq; in fundum inclinato, fluitare. Quò natura creditur pudori ſexus conſuluiſſe, ne ea in conſpectum venirent, oculiſquíe hominum exhiberentur, quæ decentius obteguntur. Mihi verò ea excogitata eſt ratio, quòd mulier vētricoſa ſit, protenſoque vtero, ac conceptacula laxiora obtineat, magiſquíe patentia, aluum, inteſtina, meatus vrinarios, vbera fungoſa ac prætumida, quæ quoniam vbertim atque affluēter humore implentur, degrauari ventrem pondere atque aquarum diſtētione contingit, deorſumquíe ferri. Quod ipſum in vtriculis ac vaſculis perſpicimus obturatis, quorū pars, quæ aërem continet, ſublimis exiſtit; quæ humorem, ſubſidit, ac deorſum voluitur. Idipſum & in ouo animaduertere licet, quod ſalſugini iniectum fluitat quidem, ſed pars cui pondus ineſt, premitur ac ſubſidit; pars aëre oppleta, illa ſcilicet

Lib. 7. c. 17.

Simile ab vtriculis fluitantib.

Ouum & ambra ſalſugini immiſſa fluitant.

ſcilicet, quæ rupto putamine lacunam exhibet, vbi peruetuſta ſunt ac ſubolida, eminet, ſurſumq; nititur. Quòd niſi capaciores meatus ac conceptacula ampliora huic ſexui natura indidiſſet, qua, cedo, ratione ac modo cōcubitus perfici poſſet? Quid conceptui ac geſtationi, qua tacitis auctibus intumeſcit vterus, atque incrementum capeſſit fœtus, eſſet adiumento? Quid laborioſo anxióque partui, quo membra diſtendi debent ac dilatari, vt eniti poſſit clementius, adminicularetur? Quid denique conferret infantis nutritioni? niſi vterus, eiúſque fauces ac veſtibulum ad eum modum eſſent conſtituta, niſi nitidæ, támque decorè protuberantes mām̄illę, quæ tanta lactis vbertate ſcatent, ad eum vſum eſſent accommodæ? Cùm itaque mulier omnes ſinus ac cauitates ampliores habeat, multūque humoris imbibat, neceſſe eſt, vt ea corporis pars ſubſidat, ac deuexa conſtituatur, quæ plus aquæ concipit. Vir autem aſtricta habet ilia, meatus vrinarios anguſtos, argumento quòd mulier magis calculo periclitetur, aqualiculū minus protenſum, coxendicis oſſa valida ac ponderoſa, armos robuſtos, ſcapulas amplas, dorſi ſpinam cum vertebrarum connexu firmam, pulmonem fiſtuloſum ac prælargum, ex quo viris vox grauis & ſonora, fœminæ ob pectoris anguſtiam exilis & gracilis. Quæ omnia indubiè efficiunt, vt cadauera virorum in dorſum, mulierum in ventrem innatēt. Siquidem natura comparatum eſt, vt graue quodqúe deorſum, ſurſum autem leue feratur. In quam cauſam etiam referendum cenſeo, quod aqua ſuffocati non confeſtim emergunt. Siquidem cū corpus vndique humore oppleri contingat, atque aquarum pondere degrauari, ſurſum eniti nequit, quandoquidem nihil aëris in ſe continet, omníſque ſpiritus per aquæ gurgitem excuſſus eſt, atque euanuit.

Mulier viro patentiores habet meatus.

Cur vox viris robuſta, fœminis exilis.

Qui ſtatim non emergant ſubmerſi.

euanuit. Intra ſeptimi verò diei, aut noni ſpatium corpus diffluit, ſoluitur ac tabeſcit, multumq; aëris pulmo concipit. Atque hinc eſt, quod noſtrates plebeij dictitare ſoleant, Nono die rupto felle emerſurum, non quod folliculus fellis diſrumpatur, ſed quod ex eo, reliquiſque conceptaculis vuidis, atque aquæ madore flaccidis, humores effluāt. Quò fit vt corpus attenuata carne fluidum efficiatur, ac pulmo ſpongiæ inſtar fiſtuloſus, concepto copioſo aëre, cadauer ſubducit, auræque reſtituit. hoc ſiquidem viſcus aquæ innatantes fulcit ac librat, & quò quiſq; illud habet ampliſſimum, multisque foraminibus peruium atque implicitum, quo diutiùs anhelitum cohibere poteſt, fundóque longiori ſpatio inhærere. Sic enarrantem audiui D. Veſalium excellentis ingenij, ſummæque eruditionis virum, Maurum quendam vrinatorem, Ferrariam ex triremi adductum, qui vnus longius producebat vocem, ac continuo clamore, abſque reſpiratione, inſiſtebat diutiùs, quàm quatuor robuſtiſſimi pugiles: Idem rurſus cohibito, ſuppreſſoque ſpiritu ac naribus, oreque occluſo abſque vlla halitus animæque reductione, cùm illis certabat. Quo naturæ munere hoc erat conſequutus, vt ſemel atque iterum captus, elapſus ſit, mergoq; aui ſimilis, intima maris per ſemihoræ ſpatium penetrans captiuitatis iugum morte acerbius excuſſit. Hoc itaq; commodi cuiq; præſtant ampli capaceſque pulmones, vt celeriter inter conficiat, vt natandi peritus, diutius aquis incumbat, vt in flueta delapſus minus citò demergatur, vtq; aquis ſuffocatus poſt paucos dies emergat. Quod ſi mortuo hi ſpirandi folles eximantur, quod piratas quoſdam factitaſſe audio, fundo inhæret, nec vnquam surſum nititur, quod ſpiritus, aëriſque adminiculo deſtituatur.

Quoto die ſubmerſi emergant.

Memorabile de Mauro.

Pulmo prælargus quid commodi afferat.

Submerſorum corpora, vbi emergunt, atque in conſpectum producuntur, Tum eorum, qui interempti confoßique ſunt, præſentibus amicis, aut eo, qui interitus cauſa illis extitit, è naribus, aliaue corporis parte ſanguinem profundere.

CAP. VII.

Sanguinē mortuis profluere.

CVM multa ſint in rerum natura, quæ nobis admirationem, ſtuporemq; incutiant: tum illud inter præcipua referendum cenſeo: quòd ſanguis ex vulnere interempti profluat præſente illo, qui id inflixit, eiusque facinoris eſt conſcius: & quòd demerſorum cadauera aquis exempta, ex aliqua corporis parte ſanguinem profundant, ſi præſto ſit amicorum aliquis, plerunq; tam rubium ac floridū, quaſi facultates, ſpiritusq; vitalis, qui humores agitant, nondum eſſent ſopiti. Nam id obſeruatū eſt à Magiſtratu, præfectoq́ue totius Belgicæ, qui corporibus, quocunq. fati genere exanimantur, adeſſe ſolent, eaq; conſpectare propius, priuſquam ſepulchro inferantur. Qua autem ratione hæc fiant, non promptum eſt cuiuis expedire. Scio equidem mortuis ad tempus vim vegetantem ineſſe, qua crines, vngueſq́ue ſuccreſcunt, humore inſito calori externo ſuppeditante alimentum. Sic ſtirpes fruticeſq́ue amputatæ, aliquot dierum ſpatio frondeſcunt, ac floſculos proferunt, ſi irrigari, foueriq; aqua cōtingat. Subeſt enim, inſitaque eſt vis quædam naturalis cauliculis, quam à radice ſunt conſequutæ, quæ vbi euanuit, areſcunt folia floreſq́ue decidunt. Sic fieri poteſt, vt ſanguis, qui in venis delituit, agitato motoq́ue corpore erumpat. Videmus enim tales à baiulis ac vectoribus in terrā ſubduci, ac modo pronos, modò ſupinos conſtitui, ſurſumque ac deorſum deuolui. Quò fit vt venarum ora referentur ac

Succiſæ ſtirpes ad tempus germinantes.

tur ac dehiſcant, tum ſanguis, qui nondum genuinam naturam, aut colorem exuit, è corpore profluat. In his autem, qui iampridem exanimati ſunt, ac ſerius reperti, non ſanguis rubicundus, ſed cruenta quædam ſanies ex vulnere confoſſi diſtillat. Si verò caſu vel rùina, vel denique oppreſſi ſunt, parte qua meatus corporis pateſcunt, ſanguinolentus liquor emanat, nempè aut per os, nares, oculos, aures, infernasque ſedes. Sic plerunq; videmus ex fluido laxóque cadauere, vbi duobus tribuſue diebus ſeruatur inſepultum, ſanguine commixtum liquorem profluere, cùm veſpillones crebro motu, atq; agitatione feretrũ ex humeris geſtant. Boues quoq; ac tauri poſt lanienam laquearibus affixi, ſolum ac pauimentum ſanguinis ſtillicidio cruentant. Quãobrem coniicio ex ſimili cauſa iam memorata proficiſci. Cæterum illud mihi vero magis conſentaneum videtur, Amicis, aut illi, qui facinus admiſit, conſpecto cadauere, ex ſubita conſternatione ſanguinem ex naribus erumpere, quod facultates naturales, ac mentem vehementer concuti ac percelli contingat, humoresq; non conſiſtere, ſed vltro citroque commeare. Illos ſiquidem variè affici videmus, nec lingua, menteque conſtare, ac modò rubore ſuffundi, modò expalleſcere, metuq; contremiſcere. qua perturbatione efficitur, vt ex cõtinenti intuitu ſanguis vel inuitis ſcaturire incipiat. Quod ipſum pleriſque etiam vſuuenire perſpicimus, vbi inopinato oculis mentique acerba quædam obijciuntur, aut funeſta quædam imaginatione concipiunt. Quod ſi quis ſtatuat propinquos, ac ſanguine coniunctos ſympathia quadam, hoc eſt, mutuo naturæ conſenſu ſanguinem elicere: facinoroſum ac patrati ſceleris reum antipathia, ac diſſenſione, tacitaque diſcordia idipſum efficere: non futurus ſum in ea re contentioſus. Hoc tamen minus graua-

Sangis hominis ex cõſternatione ſubitò erumpit.

grauatè ſum admiſſurus, ſanguinem ex plaga exprimi, tametſi obligata, obductáq; ſit, ac faſcijs deuincta, ſi ille qui facinus admiſit, ex aduerſo conſtituatur. Tanta eſt enim, ac tam valida latentis naturæ vis atq; imaginatio, modo aliquid vitæ ſuperſit, aut corpus mortuum incaleſcat, vt ſanguis ebullire accenſáq; bile efferueſcere incipiat.

Referueſcit ſanguis mortuus.

De infantium recens natorū Galeis, ſeu tenui molliq́; membrana, qua facies tanquam larua, aut perſonato tegmine obducta, ad primum lucis intuitum ſe ſpectandā exhibet, Helm vulgò vocāt.

CAP. VIII.

Anilis opinio de infantium galea

INOLEVIT abſurda quædam perſuaſio, eáque non ſolùm imperitæ rudique plebi, ſed magnæ exiſtimationis, primiqúe nominis aliquot medicis imponit, pleroſqúe infantes non abſq; boni alicuius, maliq; ominis pręſagio in lucem prodire, capite galeá obducto: cùm ignorent hoc omnibus commune eſſe, fœtumq; his membranis in vtero muniri. Tria ſiquidē ſunt inuolucra ſeu membranæ, quibus in materni vteri latebris fœtus obteguntur. Exterior, Gręcè χορίον, Latinè Secunda dicitur, quòd ſtatim à partu prodeat. Subſunt huic duæ aliæ membranæ, quarum prior à figura farciminis Allantoides appellatur, ex fœmineo ſemine generata, quæ capiti, clunib. ac pedibus obtenditur, partibusq; eminentibus incūbit, cuius vſus eſt, vt infantuli efformati vrinam excipiat. Poſtrema, tenuiſſima eſt membrana ac pellicula, quæ ſudorem vaporemq; emanantem à matureſcente fœtu abſorbet, eumqúe orbiculatim ambit ac complectitur, Amnios, hoc eſt, a mollitie ac teneritate agnina dicta: Quæ munimenta ac geſtationis præſidia prouidá natura excogitauit ac molita eſt, ne attritu aliquid

Tres membranæ infantem muniunt.

aliquid incommodi patiatur infans, eumque alli-di contingat. Harum poſtremæ cum infante nonnunquam proſiliūt, partibus, ad quas tuendas ſunt deſtinatæ, affixæ, præſertim cùm panduntur portæ, ac mulieris pudenda, partesque genitales laxæ ſunt, atque in enitendo affatim dehiſcunt. Quòd ſi ægrè, magnoque conatu ac molimine infans ex huiuſmodi anguſtijs eluctetur, ipſaque mulier ſtricti oris ſit, atq; anguſtè conſtituta, hærent illæ mēbranæ in medijs ſpacijs, illasq; exuuias abſtergi cōtingit, non ſecus, quàm pelliculam in fronte, aliaq; corporis parte, extimam cutem atterimus, vbi per anguſtam rimam, arctumque foramen ſumus elapſuri. Illud itaque velamen, quo facies obducitur, Galeam eſſe aniculę ſtatuunt, quâ de multa nugantur, ac puerperis ſpem, metumque incutiunt. Si enim nigricanti ſit colore ea membrana, tanquam ex tripode pronunciant deliræ ignaræque mentes vatum, multa infantibus futura infeſta, multaque ſiniſtra ijs impendere, ac ſpectris ſtrigibusque fore obnoxios, denique inſomnijs nocturnaq; inquietudine diuexandos, niſi hæc comminuta potui exhibeatur, quod me repugnante, magno tenellæ ætatis incōmodo quoſdam factitaſſe memini. Quod ſi rubicundum ſit geſtamen aut pellicula, quæ vertici inhæret, capitique affixa eſt, egregium illū fore vaticinantur, magnaque dexteritate ac ſucceſſu omnia effecturum. Quæ ſuperſtitioſa, anilisque opinio etiam veteribus inſita erat. Refert enim Aelius Lampridius in vita Antonini Diadumeni, cui caput diademate, ſertoque tenui redimitum erat, Solere pueros in ipſis vitæ auſpicijs, pileo naturali inſigniri, quod obſtetrices rapiunt, ac credulis aduocatis vendunt. Siquidem Cauſidici ſe illo adiuuari perſuaſum habebant. Cęterùm cùm membranæ iſtæ, aliæ alijs coloribus conſpici ſoleant, non

Quādo infans galeā proferre ꝟideatur.

Nigrum tegmen infātis quid deſignet.

Rubicundum infantis ꝟelamē quid portēdat.

Antoninus diademate inſignitus.

M aliò

aliò id referendum cenſeo, quàm ad circumfuſos, qui vtero innatant, humores. Ex illis enim coloris varietatē ſibi aſciſcūt. Cùm itaq; ſordida quadam illuuie, ac vitioſa vligine vulua imbuta eſt, quæ cū vtriuſque ſemine coaleſcit, fuſco colore mēbrana exiſtit, cutisq; infantis fuliginoſo vndique colore ſuffuſa eſt. Si verò ſanguis, ſemenque ſyncerū ſit, ac defecatū, nulliq; vitio obnoxiū, rubeſcit tegmē, atq; infantulo ſuauis color ſubeſt, ac floridus. Nec ſolùm huiuſmodi mēbranæ coloris, ſed etiā formę figuræque diuerſitatem cōcipiunt, vel ex interno, externoque affectu, vel ab ijs, quæ oculis mentique obijciuntur. Siquidē cùm virorum plerique tā ſint ſalaces, auidique voluptatis, vt nullo delectu, nullaque habita menſtrui decurſus ratione, mulierem ſubigere ſatagant: fit nonnūquam, vt cùm triduo, pauloque minus menſes defluxerint, atque vnus aut alter dies purgationi reſtet, interpellari legitimum profluuij tempus contingat, ac nonnullam menſtrui excrementi portionem cohiberi, intempeſtiuo quidem congreſſu, ſed qui conceptū nonnunquam perficiat. Cùm itaque mulier, dum generationi inſiſtit, reique Venereæ incumbit, nondū conſtitiſſe menſes ſit conſcia, nec admiſſario ſubijciendū corpus, humentibus adhuc, vdisq; locis, tacitè rubore ſuffunditur, ac ſanguinem oculis pro velamēto obijcit: Qui affectus cùm in fœtum tranſeat, membranis illis varius color, formaq; inducitur. Quæ res hoc quoque efficit, vt infantes ſint genis, buccisque rubentibus, ac colore roſeo. Quod tum demum vſuuenire ſolet, cùm grauidæ vel pudore afficiuntur, vel ſubiraſci ſolent, agitato à calore natiuo, raptoque in ſublime ſanguine. Nam quibus metus incutitur, aut inopinatò expaueſcunt, illæ pallidum colorem inducunt, vultūq; tetricum ac ſubtriſtem affingunt fœtui.

Cauſidicorum ſuperſtitio in cōſeruandis infantium galeis.

Vnde formæ elegantia aut turpitudo.

Quur

Quur apud Belgas in fabis verſari dicantur, vacillantis parumq́ firmi cerebri, vulgo Inde boonen.

CAP. IX.

SI QVANDO inferiores Germani aliquem parum firmi cerebri deſignant, aut alienatæ, emotæque mentis, & qui in moribus geſtibus, dictis, factisque atque in omni vitæ actione deliranti appa- ret ſimilis, In fabis illum verſari dictitant, adeo vt prouerbij ſpeciem obtineat, Fabę floreſcunt, In fabis oberrat: Quod vacillantis cerebri hominibus accōmodari ſolet, quique rationis mētisq; iudicio carent. Videmus enim pleroſque vernis menſibus, vbi culmi fabacei florere incipiunt, mente alienari, multaque abſurda ac ridicula proferre, quibus nonnunquam ſic incrudeſcit delirium, vt vinculis coercendi ſint. Siquidē ineunte vere humores reſtagnare incipiunt, denſisque fumis ac vaporibus cerebrū afficere: quos cùm redolentes fabarū floſculi exacuunt, mentem corripi delirio, furijsq; agitari contingit. Tametſi enim ex fabarū floribus iucundus ſuauisque odor emanat: cerebrū tamen afficit, vaporeque graui etiam à longe imbuit, prę- ſertim quibus id imbecille eſt atque inualidū, humoreque bilioſo ac melancholico oppletum. Quo fit, vt eorum nonnulli inquieti ſint ac palabundi, denique clamoſi, impenſéque loquaces: Alij taciturni ac cogitabundi:

Prouerbiū in fabis oberrare.

Cur fabarum flores cerebro officiunt.

Obſtipo capite, & figentes lumine terram
Murmura qui ſecum ac rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello. *Per. Sat. 3.*

Et quemadmodū nonnulla fumos diſſipant, quęque cerebro infeſta ſunt, diſcutiūt, atque animam languidā, ſpiritusque ſopitos erigunt, vt acetum, aqua roſacea, in qua gariophyli macerati ſunt,

panis recens vino odorifero imbutus, quæ tenuem gratamque auram expirant: ita quædam dolores excitant, capitique grauedinem inferunt, vt alliũ, cæpe, porrum, ſambucus, abſinthium, ruta, abrotanum, multaqúe aromata, quæ fumidum grauemque odorem exhalant, ac caput tentant, nareſque feriunt. Quod Hippocrates Aphoriſmo hoc indicauit, Suffitus aromatum muliebria ducit; qui ad alia multa etiam vtilis eſſet, niſi capiti grauedinem inferret. Omnia ſiquidem intensè odorata capiti officiunt, ac calorẽ humoremqúe ad ſupernas partes rapiunt, etiam qui ex frigidis ſtirpibus euaporant odores, in ijs præſertim, qui extenuati ſunt, exhauſtoque corpore. Illi enim nec eduliorũ, carniumqúe elixarum nidorem perferunt, atque in animi deliquio defectúque nihil naribus admoueri patiuntur, quòd acris vibrantisque ſit naturæ, vt qui à craſſo denſoq; aëre ſuffocari videantur; non ſecus, quàm qui in cœnaculo vndique fumo oppleto deſident, quibus anhelitus intercipitur ac cohibetur, niſi reſeratis oſtijs, apertisque feneſtris ſerenum aërem admittant, quo domus perſpiretur, ac ſpiritus inoffensè vltrò citroqúe permeare poſſit. A tenellis huiuſmodi corpuſculis diuerſam conditionem ſortiuntur paludum accolæ, quiqúe ſentinis exhauriendis, ac purgandis cloacis ſunt deſtinati. Illi ſiquidem odoratiſſima quæque reſpuunt, atque ijs offenduntur. Sic Strabo refert, apud Sabæos ab odoribus ſtupefactos, bituminis ſuffitu, hircique incenſa barba, recreari. Cuius rei exemplum etiã edidit apud Antuerpianos ruſticus quidam, qui cùm in myropolion ſeu officinam aromaticam diuertiſſet, deliquio animi periclitari cœpit, confeſtim illi proximus admoto naribus fimo equino adhuc tepenti ac fumido (nam illi aſſuetus erat) animam reuocauit.

Quæ capiti dolorẽ inferant.

Li. 5. aphô. 28.

Exemplum à fumoſis ædibus.

Lib. 16.

Ridiculum de ruſtico quodam.

Non

Non quiuis grauis ac teter odor homini noxius: Sũt enim inter hos, qui contagia diſcutiant, morbisq́ putridis obſiſtant. Obiter vnde manauit Prouerbium, Cornua inibi, eoq́ loco aduri, vulgo Men ;branter hoornen.

C A P. X.

MVLTA ſunt teterrimi odoris, quæ tamen corpori nullam noxam inferunt, nec vllam putredinem inducunt, imò affectibus quibuſdam obſiſtunt, atque aërem aurámque vitioſam ac turbidam diſcutiunt, vt ſunt Caſtoreum galbanum, ſagapenum, laſerpitij fex, quæ Aſa fœtida dicitur, anagyris herba, ſulphur, puluis bombardicus, Corij, cornúque ſuffimen. Hæc ſiquidem horrido ſunt grauiqúe odore, ſed nihil contagij adferunt, imò peſtilentes auras, quaſque ſtagna paludeſque, ac Camerinæ exhalant, mephites referiũt, reprimũtque. Quin & virgunculis ſuffitu λειποθυμίαν, animique defectum excutiunt, qua ex vteri ſtrangulatione corripi ſolent, vbi nubiles, maturæqúe viro ſerius connubio deſtinantur. Fœdi itaque odores, qui ex cadaueribus, locisque cœnoſis ac ſtagnantibus emanant, corruptos putridóſque morbos pariunt, atque aerem inficiunt, humidi calidiqúe ratione, non iſtorum effluxus atque euaporatio, quę ad ſiccitatem deuergit. Hinc plebeij noſtrates Corij cornúque præſegmina atque oſſa ſubuuida in ignem conijciunt, eoque nidore ſuas caſas ac tuguria ſuffumigant, quo morborum contagia diſpellant, ac ſe ſuaſque ædiculas à peſtilenti aura tutas præſtent. Atque hinc manauit prouerbium, Cornua inibi aduri. Quo deſignant loca peſte, morbisque cõtagioſis infecta euitanda. Non diſſimile remedium diſcutiendæ peſtis adhibitum eſt ſuperioribus

Fœdi odores aliquãdo vtiles.

Graues odores aliquãdo peſti obſiſtere.

Cornua aduri prouerbium.

Res geſta apud Neruios.

rioribus annis, cùm apud Neruios, quos Tornacenſes modò vocant, morbus popularis crudeliter ſæuiret, totaque vrbe graſſaretur. Milites ſiquidem præſidiarij, qui in arce excubias agebant, machinas, tormentaque bellica, puluere bōbardico, non globis oppleta vrbi obuerterūt, eaque ſub diei, noctiſque crepuſculum incenſo ſunali explodi curabant: quò effectum eſt, vt ſonitu violento fumantique odore, aeris contagium diſcuteretur, ipſaque Ciuitas à peſte facta ſit immunis, ac libera. Neque enim minus præſentaneum eſt hoc remedium in diſſipandis nebulis, infectique aeris cōtagijs, quàm quod Hippocratem factitaſſe legimus, extructis pyris, congeſtiſque ſarmentis ac faſcibus, per compita ignes excitare.

Ignis aeris contagia diſſipat.

Digiti ſiniſtræ manus, qui infimo proximus eſt, præſtantia, qui poſtremo omnium morbo articulari, aut Chiragra infeſtatur, & ſiquando affici contingat, non multò pòſt mors imminet: Obiter quare præ cæteris auro deuinciri mereatur.

C A P. X I.

HOC in confeſſo eſt apud Medicos, Quæcunque corporis partes aliquo vitio, morboque tentantur, id effici vel affectu primario, vel per cōſenſum, ac lege conſortij, cùm non in ipſo membro morbus conſiſtat, ſed ab alio illi mali nonnihil infertur: Sic iuxta prouerbiū, Aliquid mali propter vicinū malum. Natura tamen prouida ſemper partes principes munit ac tuetur, malūque ad ignobiles deuoluit ac dirigit. Quod critice, naturæq; impulſu fit, cùm humorū morborūq; collectiones in remotiſſimas partes propellūtur. Quod ſi & morbus eiusq; ſymptoma, hoc eſt, affectus qui illi ſuccedit, validus, violentusque exiſtat, ac natura ſit imbecillior,

becillior, quàm vt illi poſſit obſiſtere, ſummiq́; impetum ac ferociam pro ſuo arbitratu cohibere, in præcipuas partes humores decūbunt, quod in pulmonis inflammatione, pleuritide, angina, lethargo, ac plerisque acutis morbis perſpicimus. In articulari autem morbo ac coxendico, qui vere & autumno viget, vis ac facultas naturalis, humores in corpore coaceruatos à partibus robuſtis ad imbecilles propellit. Sic obſeruaui in Gallia Belgica cōplures chiragræ ac podagræ obnoxios, quibus omnes articuli acerbiſſimo dolore, tumoreq́ue erant inflati, illo tanto ſiniſtræ manus digito illæſo, qui infimo proximus eſt. Is ſiquidem ob cordis vicinitatem, ac conſenſum, nihil ſenſit incommodi. Nec eſt, quod ex hoc morbo quiſquam mortem extimeſcat (à cæteris enim ſunt immunes, modò ne ficoſi ſint, ac Venerea lue contaminati) niſi circa ſiniſtrū pectoris ſinum, cui cordis turbinatus mucro ſubeſt, humorum colluuies decumbat, digituſq́ue annularis nodoſus efficiatur, atque intumeſcat. Hæc ſiquidem vbi fieri incipiunt, luxato vitali robore, vigor labaſcit, omniſq́ue animi & corporis vis concidit. Hinc itaque mos inoleuit apud veteres, vt is digitus auro inſigniretur, taliq́; geſtamine decorus eſſet, potius quàm cæteri: quod tenuis quidam arteriæ ductus, non nerui, vt Gellius existimauit, à corde ad hunc digitum porrigatur, cuius motum in parturientibus ac delaſſatis, omnibusq́ue cordis affectibus indicis attactu manifeſtè percipis. Nec ſanè id cuiquam abſurdū videri debet, cùm animi defectu collapſos erigere ſoleam, vellicato hoc articulo, aurique cum momēto croci, attritu. per hunc enim vis quædam refocillatrix, quæ illi inſita eſt, ad cor dimanat, vitæq́; fontē, cui is digitus connexus, implicitusq́ue eſt, recreat. Quapropter præ cæteris illum honorē promeruit.

Naturæ præcipuas partes à morbo tuetur.

Annularis.

Lib. 10. cap. 10.

Medicus digitus. auróque decorandum cenſuit antiquitas. Huius quoque dignitas, quam à corde conſequitur, hoc effecit, vt veteres medici, à quibus etiam nomẽ obtinuit, medicamenta ac potiones illo cõmiſcerent. Nihil enim venenati vel extremis eius radicibus adhærere poteſt, quin homini infeſtum ſit, vtriuſq; cordi communicetur. In indice quoque veteres olim geſtaſſe annulos, præter alios Hieremias teſtatur: *Hiere. 22.* Sic enim apud illum expoſtulat cum rege Dominus: Etiamſi Ieconias annulus fuerit in manu mea dextra, inde euellam illũ. Quo indicat, etiam ſi paulò antè apud me fuerit gratioſus, & amabilis, magnæque æſtimationis ac precij, adeo vt ſubinde illo oblectarer, vti ſpectabili annulo inſigni aliqua gemma decorato, iam gratiam fauoremq; exuit, ac corã me deteſtabilis eſt ac deſpectus, quoniam ab integritate vitæ ad improbos mores delapſus ſit. quo argumento cuique teſtatum eſſe vult, nihil prodeſſe cuiquam antè actæ vitæ puritatem, vbi ab ea deflexerit atque ad deteriora ſit deuolutus: ediuerſo nulli officere veterem nequitiam, Ezechiele teſte, vbi relicta vita ſordida ac lutulenta, ad frugem ſe contulerit. *Hieremiæ locus explicatus.* *Cap. 28.*

Quædam ignem non concipiunt, flammisq; inuicta ſunt. Et qua ratione id efficiant.

CAP. XII.

CONFECTA vidimus, textaque mantilia ex leni quodam genere incombuſtibili, quæ igni non cedunt, flammisque indomita ſunt: Itaque ſi quando ſordes contraxiſſe videntur, mundarique poſtulant, non ſmigmate aut ſapone, vllóque lixiuio maculas eluunt, ſed iniecta igni flammeſcunt, non ſecus, quàm ollæ argillaceæ multa pinguedine imbutæ, ac nitida, candorisque eximij eximuntur. Naſcitur id genus in deſertis Indiæ, locisque

ſiticulo-

iiculoſis ac ſole torridis, in quibus ſtirpes quædã ex ſoli conditione, atque aeris ambientis qualitate illam naturam aſciſcunt, qua fingi texiq; in lintea poſſint. Si enim in mari ac fluentis oſtracoderma, hoc eſt, cute teſtacea, ſolideſcere poſſint Cancri, paguri, locuſtæ, gammari, buccinæ, pectines, multáque concharum genera, in quibus (vt Plinius ait) magna ludentis naturæ varietas, multæque figurarum colorumque differentiæ: ſi denique Coralli frutex in imo maris Liguſtici frondeſcit, marique exemptus in lapidem induratur: non cuiquã videri debet abſimile vero, frutices quoſdam ex loci cœlique ardore eam naturam conſequi, vt contuſi, ſubactique fuſtibus, ac ſtipario malleo mitigati ductiles fiant, atque in filamenta elaborentur, quæ ignis vim reſpuunt. Quis autem non miretur ex Canabaceo frutice, ex vrticæ, linique ac geniſtæ flagellis funes, ac rudentes contexi, veláque ac lintea confici? Cùm enim lento ſint tenacique vimine, in fila telaſque attenuantur, vt etiam argenti aurique bracteæ ac ſegmenta. Sic ex huiuſmodi virgultis, non equidem ex Salamandræ pilis (vt plerique nugantur) mantilia, mappæque conficiuntur, vt ex bombice, ac lanigeris arboribus ſerica, licet illis operoſior cura adhibetur. rigeſcit enim materia, minuſque eſt tractabilis. Appellatur autem id genus lini Asbeſtinum, à ſimilitudine & natura calcis, quod igni mũdatur, nec abſumitur, aut detrimentum patitur. Cui affinis eſt ἀμίαντος lapis alumini ſciſſili, quod vulgo plumoſum vocatur, ſimilis, ex quo Dioſcoride teſte, lintea contexunt Indiani, quæ in ignem coniecta inflammantur quidem, ſed exempta ſplendeſcunt, nihilq; illis deperit, nec deteriora efficiuntur. Sic ligna & tabulata alumine illita non ardeſcunt, vt nec poſtes, fores, lacunaria colore viridi imbuta, modò durior

Lib. 9. c. 33.

Coralliũ ex mari Liguſtico ſubducitur.

Ex herbis funes conficí.

Amiantus.

Lib. 5 c. 99.

Volater. Lib. 22.

Alumen igni obſiſtit.

Viridi colore oblita ſerius igneſcunt. cruſta ijs obducatur, atque alumen, plumbiq́ue albi cineres copioſè pigmentis commiſceantur: nequit enim vis ignita penetrare, quod lignum coactum denſumque fiat, atque ad ignem pluuiamq́; obdureſcat. Cuius rei ſpecimen edidit Archilaus Mithridatis præfectus in lignea turri, quam cùm Sylla incendere tentaret, nihil profecit, coactusq́; eſt re infecta decedere, atque ab incepto deſiſtere, *Vitruuius lib. 2. c. 9.* cùm alumine, quod vehementer aſtringit, omnia eſſent oblita. Sic C. Cæſaris irritus erat conat⁹, cùm *Lib. 15. c. 1.* circa Padū Caſtello ignem admoueret ex Larigna *Larix.* materia conſtructo. Larix ſiquidē arbor Piceæ aſſimilis nec ignē aut flammam cōcipit, ac non ſolùm à carie & teredine immunis eſt, ſed ne in carbones quidem reſoluitur, aut in cineres fathiſcit, ob ſoliditatem ac duritiem pluſquā corneam, quam ignis vis ſubire domareque nequit. Tanti deniq; eſt ponderis, vt non fluitet, ſed confeſtim ſubſidat ac *Pockhout* demergatur, more buxi, atq; Ebeni, quod voce gentilitia Gaiacū dicitur, lignum expugnandis ficis, morboque Gallico accōmodiſſimum. Mirari aūt non immerito quiſquā poſſet, cur non ardeat atq; inflammeſcat, cùm reſinam fundat mellei coloris, Quotquot enim reſinā, picemque exudant, citiſſimè igni corripiuntur. Verùm id illi præſtat ſolida cōpactaque durities, quæ nulla igni foraminū ſpatia exhibet, per quæ aduri, accendiq́ue poſſit, quanquam Mathiolus aſſerat Laricem, quæ circa Padum copioſè prodit, cōfeſtim flammā concipere.

Calor natiuus hominis fouetur, augeſcitq́; animalculorum, præcipuè autem infantium calore, ſi parti corporis inualidæ applicentur. Non enim hoc fomentum concoctionem ſolum adiuuat: ſed dolores quoq́; articulares ſedat. Inter catellos autem qui id præſtant efficacius.

CAP.

C A P. XIII.

DVO ſunt, quæ corpus noſtrum fulciunt, vitamqúe conſeruant, ac tuentur, Calor natiuus, & Humor innati caloris ſubſtantia. Quorum alter alterius adminiculo opus habet, mutuáſque operas expoſcunt. Humidum pabulum eſt, fomentúmq; caloris, Calor illius beneficio ac munere ſubſiſtit: quæ duo ſpiritu vndique perfuſa ac connexa in omne corpus dimanant ac diffundũtur. His ſedulò proſpiciendum eſt, curandúmque, vt quàm diutiſſimè conſeruentur. Horum enim præſidio corpus deſtitutum, collabitur, omniſque vis ac facultas naturalis vergit ad interitum. Cæterùm cùm multa ſint circa hæc obſeruanda, eaque paſſim obuia exiſtant apud Medicos: omiſſis ſuperuacuis, ea tantùm referã, quæ foris admota homini ad hæc ſunt adiumento. Inter ea, quæ calorem augent, excitantque, ac dolores placant, Catellos refero, non equidem omnes, ſed hos præcipuè, quibus color cutis concolor, nec tegmen multis diuerſiſque maculis variegatum, qui non ſolùm natiuũ inſitúmque calorem fouent, ſed dolorificos affectus ſedant. Sic in Chiragra ac Podagra omnique artritide nihil præſentius ad conſopiendos mitigandoſq; cruciatus quamlibet acerbos, quàm huiuſmodi Catelli membris affectis adhibiti. Suaui enim, calentique effluxu natiuum hominis calorem languidũ atq; euaneſcentem exſuſcitant, ac fotu continuo, humorem qui dolores infert, vel attractione ad ſe rapiunt, eliciuntq;, vel diaphoreſi, hoc eſt, digerẽti vi ac diſcuſſoria incidũt, ac diſſipant. videmus enim illos vbi amoueri contingit, atque aliquid ijs laxamẽti indulgere, fractis eneruatiſque eſſe articulis, atque ęgrè pedibus inſiſtere, maxima doloris parte in ſe tranſlata. Quòd autem color cutis per omnia æqualis

Calore, humore, ſpiritu, corpus ſubſiſtit.

Catelli vniformis coloris.

Catelli mẽbris admoti dolores mitigant.

Van cender hare. æqualis & concolor id potiſſimum efficiat, nec varius parem effectum obtineat, facit temperamenti æqualitas, atque vniformis calor. Diſcolor ſiquidem diuerſusque color indicat caloris humorisq; intemperiem, ac commixtionem. *Simile ab inſitione.* Vt enim inſitio naturæ arborum correſpondere debet: ita homini in fouendis membris æqualem per omnia, ac temperatum calorem coaptare conuenit. Quãobrem ſi robur ac firmitatem ventriculo, vlliq; parti conciliare velis, neceſſe eſt naturale temperamentum tueri, nec calorem plus ſatis intendere, illique extraneum aut alienum inducere. Inter ea autem *Thera.li.7.* (vt Galenus ait) quæ foris applicantur, boni habitus puellus eſt vnà ſic accubans, vt ſemper abdomen contingat. Sunt qui Catellos, inquit, pingues in hunc vſum habeant, neque id in aduerſa modò valetudine, verùm etiam in proſpera. Tales itaque ijs, qui ob ſiccitatem quoque imbecillem ventriculum habent, ſunt idonei, ſeruandumque ante omnia eſt, ne puellus humecta ſit cute. Qui enim noctu ſudore perfunduntur, refrigerãt potius, quàm calefaciunt. Hãc quoque commoditatem ſibi ad- *3 Reg. 1.* hiberi paſſus eſt Dauid effœtus ac frigeſcẽs, quem *Dauid amplexu iuuẽculæ incaluit.* adoleſcentula mutuo complexu fouebat, non quidem concubitus, vt ſcriptura teſtatur, deſiderio, ſed quo membra illius deſtituta calore incaleſcerent.

Cur morbus Gallicus nũnc, quam olim, mitior, minusq; ſæuiat, & in quos morbos degeneret.

CAP. XIIII.

Pocken. Melaetſheyt. Onganſheyt. Schoirbuyck.

TRES ſunt morbi inter ſe affines & cognati, non tam læthales, quàm fœdi ac contagioſi, quorum alter in alterum tranſit, ac permutatur, Lues Venerea, ſeu morbus Gallicus, Elephantiaſis, ſeu Vulgaris lepra, quæ in ſcrophis Grando dicitur,

tum

ium is, qui Stomacacce & Scelotyrbe dicitur. Quorum genus eſt icteria nigra. Hi ſuperioribus annis intolerandis modis homines excarnificabant: nũc prorſus miteſcere cœperunt, minusq; infeſti ſunt: fit id partim, quòd medicorum opera, domita ſit vis mali, humorumq́ue ſæuitia mitigata, partim quòd natura aſſuetudine ad dolores occalluit. Sic obſeruaui nonnullos in florente, feruidaq́ue ætate acerrimè cruciari: eoſdem, ſeneſcente atque inclinata, mitius affligi. Vel enim deferueſcit ardor & ebullitio, minorq́ue fit humorum cõcurſus: vel natura ſpatio temporis aſſueta malo, velut domeſtico ac familiari, non amplius cum illo luctatur, aut enim alitur vitioſis illis humoribus, aut nõ offenditur. Quemadmodum enim ſues, vbi cœno inuoluuntur, aut cerdones, quique cloacas, aut foricas publicas proluunt, graueolentiam nõ ſentiunt: ſic morbilloſi ſaginantur ſordibus. Et quoniã ad vitia morboſq́ue corporis, ne dicam animi, occalluerunt, detrimenta naturæ amplius non percipiunt. Ademit enim illis ſenſum mali inueteratus, imisq́ue medullis infixus morbus. Inter initia verò, vbi inducitur corpori aliena qualitas, qua alteraſcit ac corrumpitur, quęcunque membra fluxiones acres ac mordaces ſuſcipiunt, dolore concitantur. At vbi morbus inoleuit, ac cũ natura coaluit, non magnoperè doloribus infeſtantur, quod inter ſe conſentiant, atque humores corporis cõmercio, ac qua vtitur conſuetudine, flacceſcant, atq; aliorum humorum mixtione, vt vinum meracum affluenti aqua, diluantur. Semper tamen veſtigia inhæreſcunt, veterisq́ue morbi reliquiæ relinquuntur, quæ ſi in pulmonem decumbunt, raucos illos eſſe, atque anheloſos perſpicis: Si in articulos, Podagræ ac Chiragræ, & quæ ſubinde recurrit, Iſchiatico dolori obnoxios. Sic omnes ficoſi articulari morbo

Morbi aſſuetudine miteſcunt.

Simile à lutoſis porcis & cerdonibus.

Ficoſi omnes podagrici, non è contra.

morbo laborant: at non omnes Podagrici aut coxendico cruciatu affecti, morbi gallici labe imbuti ſunt. Quod ſi in extimam cutem diffunditur humorum colluuies, ſcabra cute efficiuntur, ac corticoſa, lychenibus, impetigine, mentagra ac porrigine, in facie deformati, non ſine capillorum defluuio. Simile enim quiddam illis euenit, quod arboribus ac virgultis, quibus lotium aut ſalſugo, aliaque inquinata eluuies affuſa eſt. Vitiata enim radice folia decidunt, ac rami marceſcunt: non tamen arbos à ſtirpe interit, atque emoritur, ſed langueſcit, atque ægrè refocillatur.

Simile à vitiatis arboribus.

Qua ratione moribundi etiã conſtante adhuc mente raucum murmur edant, ac ſonitum reciprocantem, quem Belgæ populari voce Den rotel *vocant.*

CAP. XV.

IN Belgica regione, totóque Septentrionalis plagæ tractu, morituri certa argumenta proferunt emigrandi, edito ſonitu murmuloſo, nec eſt, qui abſque huiuſmodi indicio vitam nõ finiat. Siquidem imminente morte ſonum edunt tanquam aquæ labentis per ſalebras, locaque anfractuoſa atq; incurua, murmur, aut qualem ſiphunculi ac fiſtulæ in aquæductibus ſonitũ excitant Cùm enim vocalem arteriam occludi contingat, ſpiritus qui cõfertim erumpere geſtit, nactus anguſtum meatũ, collapſamque fiſtulam, gargariſmo quodam prodit, ac raucum per leuia murmur efficit, ſcatebriſque arentes deſerit artus. Conglomeratus itaque ſpiritus, ſpumaque turgida commixtus, ſonitum excitat, reciprocanti maris æſtui aſſimilem. Quod ipſum in nonnullis etiã fit ob panniculos ac membranas in rugas contractas, ſic vt ſpiritus obliquè ac ſinuoſo volumine decurrat. Hi autem, qui valido

Moribundi qua ratione murmuloſum ſonũ edant.

lido ſunt, vaſtóque corpore, & qui violenta morte pereunt, grauius reſonant, diutiúsque cum morte luctantur, ob humoris copiam, ac denſos craſſoſq; ſpiritus. Ijs verò, qui extenuato ſunt corpore, ac lenta morte contabeſcunt, minus impetuosè lenique ſonitu fertur ſpiritus, ac ſenſim placidéque extinguuntur, ac quodammodo obdormiſcunt. *Qui placide, qui tumultuosè extinguantur.*

Mortem hominis, rerumq; exiſtentium interitum eſſe contra naturam, parumq; appoſitè naturalem dici. Sic tamen olfirmādus animus, vt mors non ſit formidanda, licet non ſine ratione omnes illam exhorreſcant.

C A P. XVI.

QVANQVAM ita natura comparatum ſit, atque hominis præuaricatio hoc ſit conſequuta ac promerita, vt ad interitum ſpectet, mortiq; ſit deſtinara: hac tamen ratione euinci poſſe video, Mortem nón eſſe ſecundum naturam, illique prorſus aduerſam. Principio generi animantium omni hoc eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ illi nocitura videantur, atque omni cura incolumitati ſuæ proſpiciat, ſuæque conſeruationi inſiſtat. Quis eſt enim, qui non obſeruat, quanta cura, quantóque ſtudio homines ductu rationis, brutæque pecudes inſtinctu naturæ, ſe ab interitu vindicare tueriqúe ſtudeant atque enitantur? Omnes ſiquidem illum exhorreſcunt, nemo non ab illo ſe abducere tentat. Quandoquidem inuadente morte, natura extinguitur, eſſéque deſinit. Sic Chriſtus, qui commonſtiare voluit inſitam naturæ hominis imbecillitatem, vt à quo præter morbos & peccatum, humani nihil alienum erat, mortem exhorruit, illāque deprecatus eſt. In Petro quoq; naturæ affectus, carniſq; infirmitas *Cic. lib.1. Offic.* *Nemo nón mortis metu contremiſcit.* *Ioan.21.*

firmitas exprimitur, cùm Chriſtus ter ſtipulatus ab eo erga ſe amorem, erga verò gregem ſummā paſcendi curam ac ſtudium, commonſtrat quid illi impendeat, & quem expectet vitæ exitum. Cùm eſſes, inquit, iunior, ambulabas quocunque libitum erat, & cingebas ipſe te: verùm vbi ſenueris, alius cinget te, & ducturus eſt, quò nolis. Quo indicat naturæ humanæ affectum atq; imbecillitatem, quæ mortis metu ac terrore concutitur; illamque admodum grauatè adire velit; tametſi mēs alacris eſt & prompta. Cùm itaque mors naturæ ſit abolitio ac priuatio, qui ſtatui poſſit, id eſſe naturę conſentaneum ac familiare, quod vim, quod interitum, totiusque naturæ adfert extinctionem? Scio equidem hoc promeruiſſe hominis prauitatem ac delictum; per quæ degenerauit à ſui dignitate & præſtantia, ſuoque opifici fuit inobſequioſus, dictoque minus audiens; vt doloribus, vt cruciatibus, vt morbis, fame, ſiti conflictaretur, ac mentis inquietudine, poſtremò morte pœnas lueret. Verùm has clades ac calamitates non naturæ vitium, ſed peccati labes illi inuexit. A lapſu ſiquidem primi hominis omnia immutata ſunt, verſaque in contrarium: ſic ſidera, morbi, elementa, dęmones; belluæ, homini minantur, illique infeſta ſunt. Quin & vniuerſa creatura, hominis cauſa, vt Paulus ait, vanitati ac corruptioni ſubiecta eſt, Omnisque rerum ordo ac ſeries, menteſque Angelicæ finem laborum ſtatui exoptant. Cæterùm in tanta calamitate ac miſeria conſtitutis, ſolatio eſt, menteſque noſtras erigit, alterius vitæ certiſſima ſpes, ſummaque in Chriſtū fiducia, qui collapſam hominis naturam reſtaurat, priſtinæque integritati reſtituit, ac trepidationem metumque mortis animis noſtris eximit. Stabiliter enim nos fulcit mortis eius ac reſurrectionis recordatio, quæ hoc effecit,

Ioan. 21.

Peccatum morbum et morbos inuexit.

Rom. 8.

Chriſti fiducia mor-

effecit, vt hominem non aboleri, ſed mutari in melius credamus, mortemq; non eſſe interitum, ſed alterius vitæ veſtibulum ac ianuam. Scimus enim, vt Paulus ait, tametſi terrenum noſtrum domicilium huius tabernaculi deſtruendum ſit, vt diſſolui ſolet compages atq; ædium contignatio, quòd ædificium habemus à Deo, domicilium non manufactum, ſed æternum in cœlis, quod in hoc ipſum parauit, vt immortalitatis gloria per reſurrectionem fruamur. Deus autem Spiritum ſuum pignoris loco, atq; arrabonis vice nobis impertitus eſt, ac ſpem ſummamq; fiduciam rerum futurarum præſenti ſuo afflatu confirmat: quo vno certi reddimur, quòd qui ſuſcitauit atq; à morte erexit Dominum Ieſum, nos quoq; ſuſcitabit virtute ipſius, atq; efficiet communi reſurrectionis gloria conſortes.

tis metū homini adimit. *2. Cor. 5.* *Simile ab ædium contextu.* *Galat. 4.* *Coloſ. 2.*

Ebrietatis ac temulentiæ incommoda. Et quæ illi obſiſtant ac medeantur.

CAP. XVII.

INOLEVIT conſuetudo apud Germanos atque Aquiloni expoſitos Belgas, vt neminem propemodum ſibi deuinctum cupiant, fidumq; amicum ac familiarem exoptent, quàm qui ſtrenuum ſe potorem præbeat, atque impigrè (vt Plautus ait) cloacam vino proluat. Quamobrem operæpreciū me facturum ſum arbitratus, ſi nonnulla, quæ ebrietati obſiſtunt, referam: Quo quiſque ſibi proſpicere poſſit in eo certamine, vt aut vino non ſuccumbat, aut quam minimum offendatur. Principio nemo ſe inter initia plus ſatis facilem præbeat, promptumq; in exhauriendis exiccandiſque pocu lis, ſed tergiuerſetur, ac ciuiliter recuſet, morbumq; prætexat, ac valetudinem cauſetur. nonnunquam

In Curgul. *Ebrietas vitanda.*

N exce-

excogitandi ſunt aſtus ac ſtratagemata, quò illos deludas, qui te ſibi ſcopum præfixerunt quem feriant, tibiq; plus ſatis infeſti ſunt. Captanda interim occaſio, qua aut te vt micturientem tacite ſubducas, aut pateram abduci cures, in eaq; re te callidum eſſe decet ac cautum, magnaqué dexteritate id perficere. Nam ſi deprehendi technam contingat, multò cumulatius, ac cum fœnore in te hoc munus refundetur. Cæterùm quiſq; pro inſita naturæ calliditate atque aſtutia, varias cōminiſci poteſt rationes ac modos, quibus poterit eluctari, ac combibones fallere. Interim conſtituat ſibi quiſq; ante oculos huius illaudatæ conſuetudinis, errorisq; inueterati pręmia, perſpiciet luce clarius, quid noxæ, quidue detrimenti, cùm corpori, tum animę mentiq; inferat vini intemperātia. Primum enim Memoriam rem omnium pretioſiſſimam non ſolùm labilem, fluxamq; facit: ſed prorſus obruit ac làbefactat. Oculos caliginoſos efficit, ac cæcutientes. Genas pendulas, artus tremulos ac titubantes. Multaque alia incommoda immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodq; frigidum eſt vitium. Nec enim vinum (vt Galenus teſtatur) ſemper hominem excalefacit: ſed vbi plus bibitur, quàm vinci poſſet, frigidos morbos parit. Extinguitur enim calor natiuus, ac ſuffocatur, nō ſecus, quàm ſi exiguæ imbecillæque flammæ confertim multum olei infundatur. Hæc præfari viſum eſt, ne quis exiſtimaret anſam miniſtrare me, aut feneſtram cuiquam aperire ad nequitiam. Cùm hoc potiſſimum ſit in votis, vt homines aut moderatè bibere conſueſcant, aut ſi occaſio inciderit vt largius ſit bibendum (nam vt habet Prouerbium, ſacra hæc aliter non conſtant) ne deſint adminicula, qui bus ebrietatem propulſare poſſint: inter quæ amara refero, & quotquot humores aquoſos per vrinā expur-

Intemperātia vini memoriæ officit.

De temp. lib. 3.

Prouerbiū conuiuale.

expurgant. Hac enim ratione effici ſolet; vt aliò quàm ad caput ſumi deferantur, ac vinum venas ſubire prohibeatur, exiccante etiam amarore humiditatem Sic amygdala amara id efficaciter præſtãt quina ſenáue ante cœnam aſſumpta. Perſicorum quoque nuclei parem cum ijs effectum obtinent, & foliorum Perſici arboris expreſſus ſuccus ieiuno aſſumptus cyathi menſura, qua facultate pollent, & abſinthij Pontici dilutum, ac nux muſcata. Hæc enim omnia meatus recludunt, ac peruios laxóſq; efficiunt, quemadmodum & olei ex oliuis expreſſi, aut ſeſami ſemine ſextans, hoc eſt vnciæ duæ antelucano hauſtæ, lubricam ſiquidem reddit aluũ meatuſqúe vrinarios dilatat, ſic vt liquor corpori non inhæreat, ſed continenter defluat, modò ne quis eſculentis ventriculum plus ſatis oneret Qui enim potationi inſiſtere cogitur, parcius illum cibo vti conuenit: quòd ſi panis buccellam copioſò melle imbutam deuoret, non inconſultè fecerit: Mel ſiquidem vini vim diluit fumosque acres ac mordaces retundit, atque hebetat. His omnibus præfertur Braſſica Catoni ad faſtidium vſq; nobilitata, quam vulgus Caulis nomine deſignat, quòd nulla ſtirpium cole ſit amplior. Huius cum plures ſint differentiæ, illa ad diſcutiendam crapulam accommodatior, quæ plus cæteris rubeſcit, ſi ex cauliculis dentibus expreſſus ſuccus deglutiatur, aut eadem cocta inter primæ menſæ eduiia manducetur. qua tamen maritima, quæ Alpibus Zelandicis copioſè innaſcitur, multò efficacior, tum Portulaca marina, qua in ijs acetarijs ac condimentis vtimur ad appetentiam acuendam. Potus enim, cibiqúe auiditatem incitat, irritatqúe, atque inſita facultate ac viribus conficit. Quo fit vt nulli vinoſi halitus, vaporeſqúe caput tentare poſſint, vt qui per aluum, ductuſqúe vri-

Amara ebrietati obſiſtunt.

Cibus immodicus potoribus noxius.

Braſſica ebrietati obſiſtit.

Soldanella.

narios expurgentur. Sunt huius generis pleraq; alia, quæ temulentiæ aduerſantur, ac ne quis ebrietati ſuccumbat, muniunt: ſed omnia referre longũ eſſet. Cæterùm ſi quem vino obrutum eſſe contingat, qui ijs præſidijs non eſt inſtructus (nam vinũ, vt Abacuc ait, ſapientem decipit) illi ſuccurrendũ vomitu. Quod Sapiens etiam conſulit: Si fueris ad ingluuiem coactus, ſubduc te, ac vomito. Poſtmodum teſtes, parteſq; genitales aquá gelida macerari debent, madidoq; mantili, aut ſudario inuolui: fœminis verò vbera, mammæque in eundem modum fouenda. Confeſtim enim auerſis vaporibus, omnis vinolentia diſcutitur. Interim exhibenda acida, ac ſubacerbá, pomaque ſucculenta ac vinoſa. Cuius generis ſunt Arancia malaqúe Citria, ceraſia, Perſica, oxiacanthæ baccæ, omphacium, corna, quæque infrigidantis reprimentiſque ſunt naturæ, ac nonnullam incidendi abſtergendiqúe vim obtinent. Tametſi enim ceſſet, ſopitaqúe ſit ebrietas vel vomitione, vel ſomno: caput tamen etiam poſtridie indoleſcit, ac fumis pertunditur. Quem affectum Feſtus Pompeius Helucũ vocat. Quæ vox languidúm ſonat, ſemiſomnum; atque heſterno vino oſcitantem. Tertullianus hanc vocem pro affectione vſurpat, qua procliues in ſomnum reddimur ex pridiana crapula, cum inquit: Hederæ vis ac natura eſt, caput ab Heluco defenſare, vi diſcuſſoria atq; exiccante, qua etiam à crapula tutos præſtare creditur, foris capiti admota, vel præſumptis acinis aliquot, qui coloris crocei ſunt.

Cap. 2. Eccleſi. 31.

Vomitus commoda.

Dolor capitis ex heſterno mero.

Helucus capitis grauedo ex crapula.

Hedera vis in diſcutiẽda ebrietate.

Intemperantia potus, quam cibi nocentior. *CAP. XVIII.*

SVNT qui ſtatuant, potu minus offendi homines, quàm cibo, ſi horum alter immoderatius, ſupraq; naturæ vires ingeſtus ſit. Quod ea Hippo-

cratis

cratis ſententia ſtabilire nituntur: Facilius eſt impleri potu, quàm cibo: Qui toto cælo errare mihi videtur. Hoc ſiquidem ille indicat, Humidum colligendis reſtaurandisqúe viribus potiſſimum remedium. Extenuatos enim citiſſimè reficiunt liquida, quæ licet non ſimiliter nutriant ſolidis alimentis: diſtributionis tamen celeritate illis longius præſtant. Quamobrem veriſſima eſt, nec Hippocrati contraria Cornel. Celſi ſententia, Vbi ad cibum ventum eſt, nunquam vtilis eſt nimia ſatietas, ſępè inutilis nimia abſtinentia. Quod ſiqua intemperātia ſubeſt, Durior eſt in potione, quàm eſca. Quo indicat immodica vini potione plus detrimenti, damniqúe inferri corporibus, quàm cibi ingluuie. Potus ſiquidem omnes meatus cōfeſtim penetrat, atque incoctus venas ſubit, neruosq; ac cerebrum tentat: Cibus verò in ventriculo hæret, dum concoctus eſt, qui ſi oneri eſt, minimo negotio vomitu excutitur, quod non æquè naturæ procliue ac facilè eſt in potu Argumento quòd canes, feles, glires, ſorices, ſi veneno medicatas offas aut buccellas deuoraſſe contingat, irritata ad excretionem naturæ facultate nulla moleſtia euomunt, quòd in liquidis factu difficillimum, quò fit vt venena in potu exhibita magis quàm in eſculentis, ſint noxia. rapitur enim citiſſimè in omnes corporis partes virus, ac vitalia corrumpit, deſtruitq; maximè, ſi ex vino propinetur. Interim cibus immodicus ſuffocationis periculum adfert, eoqúe ventriculus adeò intumeſcit ac diſtenditur, vt diſrumpi videatur, præſertim ijs, qui difficilè ad vomitum incitantur. quocirca moderatio vtrobique laudem meretur. Cæterum potione venenata nihil nocentius, modo nequid pinguedinis ſubſit: Sic enim virus ſegnius in venas dimanat aut diffunditur, nec confeſtim vitalia corripit, citiuſqúe vomitu excutitur.

Libr. 2. aphor. 11.

Humida et liquida citius alunt.

Lib. 1. Celſi locus explicatur.

Venena liquida nocentiſſima.

Pinguia Venenis obſiſtunt.

Ita ſi quando venenatis potionibus obſiſtendum, butyrum, oleum ac pinguia quæque exhibenda, minus enim adhæreſcit venenum aut affigitur corpori, nec venarum conceptacula ſubit vel penetrat, denique incitata vomitione eueſtigio excutitur. Qua ratione etiam ebrietati obſiſtunt. alioqui vbi diutius inhæſerit, partes internas exulcerat ac corroſione vitiat, ſibiquе ad Cor vitæ fontem patefacit aditum. Quocirca ab aſſumpto veneno aut cibo aliquo exitiali ac noxio, euitanda reprimentia, acida, acerba, ſtiptica, quæque meatus occludunt ac conſtipant, præ cæteris autem Somnus. Quemadmodum enim, qui peſte corripiuntur, cùm ſomnolenti ſint, ſi ſe ſomno & quieti dedant, citiùs inficiuntur, ac natura ſegniùs contagioni obſiſtit: ita quoque in morſibus virulentis, ac venenatis potionibus, ſi ſomno opprimuntur homines, grauius affliguntur, ac tum virus promptius vitalia corripit. Quocirca vellicandi, quò vigiles perſiſtant, ne malum intus graſſetur, atque ad partes principes deferatur. Quemadmodum enim hoſtes minimo negotio, nullaquе propemodum moleſtia vrbes ac propugnacula diripiunt ac diruunt, nullo obſiſtente, ac ciuibus ſeu excubitoribus vino ſomnoquе ſepultis: ita corpus humanum in morborum inſultu, vel aſſumptis ebibitiſquе venenatis potionibus, ægrè ſubſiſtere poteſt atque eluctari, quin opprimatur: cùm facultates ac potentiæ naturales, oppreſſo ſopitoquе ſomno corpore, ſegnes ſint atque otioſæ, nec ſe ad expugnandum morbum alacriter accingant Quo efficitur, vt dent manus, accedant ſuccumbantq; valentiori, non valetudinis modo, ſed vitæ etiam iactura ac detrimento.

Somnus noxius à Veneno aſſumpto, & in peſte.

Simile ab hoſtili inſultu elegans.

Alia

Alia vi ac ratione vinum inebriat, aliterq́ homines afficit, quàm Sicera, vel Zythus, nobisq́ vocata Cereuiſia.

CAP. XIX.

CEREBRVM tametſi natura molle ſit atq; vdum, ex eo tamen nerui producuntur, velut ex colo cui lanugo linumque annexum eſt, telæ, filamentaque, quorum coniugationes in omnes corporis partes diſtribuuntur. Ex hoc ſiquidem principio ac fonte nerui in omnia membra deriuantur, velut ex arboris caudice ac trunco ramorũ propago ac ſoboles in multa germina diffunduntur. Corpus aũt vniuerſum per eos ſenſum motumq; percipit, quibus affectis, parteq; principe læſa, illis munerib. priuatur, aut ſuas facultates ac munia lãguidè perficit, eóq; fit, vt ebrij delirent, vacillentq́; ac titubent, quòd cerebrũ craſſis denſisq́; vaporib. obnubiletur. Cùm autem omnes madidi, vinóq; perfuſi ridiculos. Comicoſqúe mores exprimant, tum nulli magis moriones agunt, riſumq; obuijs excitant, cùm vultum atque oculos geſtusq; ſpectamus, quàm qui ex Zytho, quæ nobis biria dicitur, temulenti ſunt. Illi ſiquidem nõ in omnem partẽ corruunt, ſed retrorſum duntaxat, ac ſupini. Qui verò ex vino ebrietatem contraxerunt, antrorſum proruunt, ac proni decumbunt. Sic vt iſti genas, frontem, faciem, nareſqúe mutilent: illi ſcapulas & occipitium, vbi in terram deuoluuntur. Quod ipſum etiam ſpectare licet, vbi inter pocula ſomno corripi ſolent. Ex Cereuiſia enim vuidi, capite in ceruices deuoluto, hiantiq; ore dormiunt. Ex vino autem facie mentoq; in pectus inclinato Ratio eſt, quòd fumi vaporeſqúe ex vino ſinciput, parteſqúe corporis anteriores occupant. Ex Cereuiſia

Quomodo nerui à cerebro producuntur.

Simile à ramoſa arbore.

Ebrij ridiculo vultu.

occiput parteſque poſticas obſident. Quò fit, vt iſti obliuioſi ſint, ac ſomnolenti, minimeq; loquaces ac clamoſi.

Procero craſſoq́; corpore homines aliquando minus vitales, quam graciles, minusq́; animosè morbis obluctari. Exiguæ autem ſtaturæ homunciones plerumq; vini capaciores, quàm obeſi, ac ſerius temulentia tentari.

CAP. XX.

FLACCIDOS eſſe plerunque vaſto obeſoque corpore homines, ac morbis minus fortiter obſiſtere, quotidiana exempla commonſtrant. Oneri enim eſt illis corporis moles, ac ſpiritus minus viuidi, minuſqúe alacres, & erecti. Quò fit, vt ingruente vel leniſſimo morbo, vel quouis incommodo, puſillanimes efficiantur, ac ſuſpirioſi, crebroq; ingemiſcant. Ad primum ſiquidem inſultũ animo deijciuntur, illisq; mens labaſcit. Quòd ſi terra mariq; pericula adeunda ſint, aut ſiniſtri aliquid inciderit, ilico trepidant, ac contremiſcunt, metuq; exalbeſcunt. Id euenit. quòd calorem natiuum languidum habeant, ſpiritusq; exiles, ac ſanguinem minus feruidum. deinde quòd virtus naturalis longè, lateq; diffuſa ſit, quæ in exiguo corpore vnita coactaq;, diſperſa eſt præſtantior. Quò ſpectat illa Hippocratis ſententia: Qui natura ſunt valdè craſſi, breuiore vita fruuntur, quàm qui graciles: tum altera: Statura corporis longa, neq; indecora, nec illiberalis in iuuentute: In ſenecta inutilis moles eſt, & paruitate deterior. Incuruеſcit enim ſeneſcentibus corpus, fitque graue ac geſtatu permoleſtũ. quanquam itaque hi membris moleq; valent: puſilli tamen inſitã vim, naturæqúe facultates validas obtinent, multæq; in ijs ſe proferunt cũ animi

Moles corporis ingenio officit.

Lib. 2. Apho. 44.

Apho. 54.

nimi,tum corporis dotes,atq; ornamẽta, magna- *Proceri corporis incommoda.*
queque mentis agilitas,atq; acumen ingenij: nec ſolũ mentis alacritate cæteris præſtant,vel æquant:ſed viribus ac velocitate,tum edendi, bibendiq; robore. Vidi aliquandò nanos propemodum ac pumiliones,coactæq; breuitatis homunculos(ſed prolixa tamen barba,totoq; corpore hirſuto,quod intẽſi caloris eſt argumentum) cum robuſtiſſimis potandi certamen inijſſe,quibus,tametſi nemo in huiuſmodi factis promeretur memorabile nomen. nec habet victoria laudem, ne tantillum quidem obfuit vini vis:cùm alij ita vino eſſent oppreſſi, vt obſtupefacta mente neque pes,neq; manus aut lingua ſatis ſuo fungeretur officio. Horum cauſſa nõ ſolum conſiſtit in cõceptaculorum, venarumque amplitudine ac capacitate,ſed in calore natiuo,eoque intenſo,qui omnia celerrimè cõficit, abſumitque,tũ in firmo validoq; cerebro, quod non facilè fumos concipit.Simile enim quiddam ijs euenit, quod lateri ignito,aut candenti ferro,quod liquore ſubinde irrigatur, vel deniq; ſolo arido ac ſiticuloſo.Confeſtim enim omnem humorem imbibit, aut in tenuem,minimeq; denſum vaporẽ euaneſcit, ſic vt nihil neceſſe ſit illis lotiũ ſubinde reddere,aut veſicã exonerare,cum calor innatus omnia conſumat. Quod aũt in viris efficit interna inſitaque caliditas, hoc in mulieribus præſtat corporis raritas,laxitasq; ac mollities.Hæ ſiquidem, vbi vino aſſuetæ ſunt,ad prodigium vſque bibaces fiunt, diuq; ſubſiſtunt, antequam temulentia ſuccum bant:ſed propter laxos patentesq; meatus identidẽ micturire coguntur. Quo nomine non immerito infamia notantur à viris,quibus ſuboleſcere ſoleat illarum ſordes atq; ingluuies. Seniculi autem omnium minimè vini copiã perferunt.cũ enim arido ſint corpore atq; exucco,caloreque debili:largiore

Simile ex candenti ferro deſumptum.

Mulier cur vini copiã perferat.

vini potu offenduntur, moderato autem refocillantur, atq; exhilareſcunt. Quamobrem cùm omnibus, tum maximè ſenibus curæ eſſe debet, calorē natiuum, quo & comprehenditur humidum primogenium, caloris vitalis, & ſpiritus ſubiectum ac ſubſtantia à ſemine orta, appoſitis alimentis, victuq́ue moderato ac ſalubri fouere. Illa ſiquidem ſunt ſecundæ, aduerſæq́ue valetudinis præſidia, ac longioris vitæ ſeminaria.

Senes cito ebrietate tentantur.

Qui mane Ientaculum ſumunt, ſi id moderatè fiat, in prandio liberalius edunt, minusq́ vino, etiamſi largius bibant, offenduntur. Obiter an multus panis eſus ſit ſalubris.

CAP. XXI.

MVLTI ſunt, qui indicta ſibi inedia, ad meridiem vſque ieiuni perſiſtunt. Quod vt nō improbo, ita non ſemper expedire cenſeo, aut conſultum arbitror, vt quis abſque cibo in pandium vſq; perduret, is præſertim, qui calido eſt aſtuantiq; ventriculo: vt Cholericus omnis, & qui vel laboris aliquid ſubire, operiq; intentus eſſe cogitur, vel lucubrationi ſtudijſq́ue inſiſtere. Extenuantur ſiquidem illis ſpiritus vitales, corporiſq́ue vires flacceſcunt, ac collabuntur. In hac autem re conſuetudini inhęrendum, ſpectandumq́ue quid ætas cuiuſque, tempus, regio, habitus corporis ac conſuetudo expoſcant. Iuuentus enim anniq́ue tempus frigidum, ac regio Aquiloni expoſita copioſo alimento, eoq́ue frequentius exhibito indigent, alioqui corpus diffluit ac cōſumitur. Senes verò, quiq; in ætatē decrepitam deuenerunt, perſiſtunt quidē diutius ieiuni, nihilq; appetunt, nec ad cibi auiditatē incitantur, ſed tamen alimentis ſubinde refici, foueriq; poſtulant, at paucis. Vt enim flamma in lychnis copioſo aſ-

Studioſi nō perferunt inediam.

Gal. lib. 1. Apho. 14.

affluentíq; oleo extinguitur:ita ſenilis calor aſtim confertimque ingeſtis cibis. Quoniam autē æc ætas dentibus ſe fulcit,ac tuetur, Prouerbio loum fecit,Senibus mādibula ſcipionis loco.Quod nim deterit ſenium, deciditque natiuo corporis ucco,hoc cibi potuſqúe adminiculo ſarciunt. Illis aque,vt omnibus ſedentarijs,quique literis addii ſunt,ac munia publica obeunt, vuæ paſſæ, palnulæ,ficus,paſſulæ Corinthiacæ,nuclei pini, piacia,aranciorum,citriqúe putamina, zaccara inruſtata,myrobolani melligine conditi, antemedianis horis aſſumi poſſunt,vel alia quæq; ſubliuida,quę ventriculum minus fatigant,nec in perìcienda concoctione negotium faceſſunt. Interim uiſq; metiri vires debet,propriæqúe naturæ conlitionem excutere,atque explorare, quid appetat, quidúe reſpuat,ac auerſetur Hoc autem in primis bſeruandum,nequis diluculo vinum bibere conueſcat Eſt enim naturæ aduerſiſſimum. Animi ſiquidem vigorem hebetat,mentemque obnubilat, ic neruos afficit. Quocirca ſibi quiſq; matutinis ho is,vini vſum prorſus interdicat,ſed ſumpto nonnihil edulij,parcius dilutiúsq; bibat. Pauciſſima enim natura mane exigit,tantumqúe foueri pauxil o alimento poſtulat,ne calor naturalis flacceſcat. Illorum itaque exemplum imitari par eſt,qui cùm poſt aliquot horas luculentum ignem excitare meditantur elixandis aſſandiſq; carnib. prius nōnullo fomite, aridiſqúe nutrimentis focū inſtruunt, ne ignis penitus ſopiatur,quo cùm ſit opportunū iuſtum ignem in cocturæ vſum excitent: Sic cum exiguo fomento,ac velut ſuccēdiculo ventriculus paulò ante incaluit,in prandio auidius cibum appetit,ac dilatatis venis validius concoquit digeritqúe. Cum pleriſq; qui in prandiū vſq; ieiuni perſiſtunt, appetentia euaneſcat,calore vel flaccido, vel

Senes cibo ſe fulciunt.

Vinum diluculo hauſtum pernitioſum.

Simile à re culinaria deſumptū.

Non conſultum diu ieiunum perſiſtere.

tantum

tantum non extincto. Adde quod collapſis occluſisq; meatibus, per quos deferri alimentum debet, in medijs ſpatijs hæreat, ſeriúſq; in venas rapiatur. Deinde quòd propter diutinã inediam ſtomachus noxijs humorib. quos ex vicinis partibus allicit, oppletus, cibum reſpuat, citoqúe ſatietur. Quò fit vt in ſympoſijs meridianis celerius temulentia homines corripi contingat, quàm ſi eadem in cœnam differantur. Nam vt alia præteream, Dimidia, vt inquit Plinius, periculi pars eſt, noctu, hoc eſt, ſpe ſomni bibentibus, ſomnus ſiquidem ad deſpumandam diſcutiendamqúe vinolentiã adiumento eſt.

In prandio citius, quã in cœna inebriamur.

Lib.13.c.1.

Panis vſus.

Cæterùm cùm panis maxima hominibus alimenti pars ſit, omniáq; edulia abſq; illo ſint inſipida, parumq; ſalubria, de illius quoq; vſu pauca diſſerere inſtitui. Sunt enim, qui huius repletionem ac ſatietatem noxiam eſſe contendant ventriculo, nec minus, quàm vinum immoderatius hauſtum officere, hoc inducti, vt puto, argumento, quòd diu ventriculo inhæreat, aluumqúe aſtringat. Ego verò diſcrimen delectumqúe ſtatuendum cenſeo. Siquidẽ triticeus fermento accuratè ſubactus, beneqúe elaboratus ac coctus, ſanis robuſtisq; corporibus laudatiſſimus eſt cibus, ac maximè ſalubris. Quapropter cuique perſuaſum eſſe cupio, edulia ac pulpamenta quæque non mediocriter panis admixtu cõdienda. Qui enim parcius pane vtũtur, copioſè autem carnibus aut piſcibus, corpore efficiuntur laxo, carneqúe fluida, denique halitu graueolenti ac vitioſo. Quocirca eſus piſcium, quod ij citiſſimè putreſcant, plus panis exigit. Videmus autem eſculenta promptiſſimè putere ac putredinem concipere, exactoque triduo, aut plus paulò, ni ſale condias, ſubolida fieri, oua, piſces, carnes, & pulpamenta quæqúe: At panis nunquam putredini fit obnoxius, aut aliquid vitioſi odoris contrahit. Diutius enim

Olidis faucibus, qui parcius pane veſcuntur.

enim aſſeruatus muceſcit quidem, areſcitqúe: verū non puteſcit. Quo fit, vt qui eduliorum ingluuie ſe onerant, nulloq; aut perpauco panis eſu vtuntur, mephitim ex imis præcordijs exhalent, grauiqúe ac tetro anhelitu obuios quoſque feriant. Qui itaque valido vegetoqúe corpore eſſe ſtudent, atque habitu firmo, moderatum panis eſum admittant, præſertim vbi exercitia laboreſqúe ſubeundi ſunt. niſi enim foſſores, baiuli, nautæ, vectores, athletæ, ac pugiles copioſius ſe pane alerent, nō poſſent ſubſiſtere, tantiſqúe laboribus ſufficere. Tenellis autē corporib. ac valetudinarijs, quiq; inualido flaccidóq; ventriculo exiſtunt, ac meatus habent exiles, parcius contractiuſqúe panis vſum præſcribo, ſed liquidis illos reficere, viresq; reſtaurare pergo, quæ citò venarum conceptacula ſubeunt. Illorum ſiquidē corpuſcula, vtpote tenera ac delicata, ſolida alimenta reſpuunt. Quæ omnia exactiſſimè mihi perſpexiſſe atq; obſeruaſſe viſus eſt Dauid rex & propheta, cùm inquit, Effecit munificus rerum parens, vt iumentis pabulum, hominibus cùm infirmis, tum ſanis alimenta ſuppetant. Sic vt oleo perfuſum corpus niteſcat, vnguentoqúe delibutum recreetur. Vt vino cor hominis exhilareſcat, ac diſcuſſo mœrore alacre, erectumqúe efficiatur. Et panis vitale robur fulciat, ac confirmet.

Aegroti cur panis eſum reſpuunt.

Pſal. 103.

Nux Myriſtica ſeu Moſchata, & Coralius lapis à viro geſtata melioreſcunt, deteriora verò efficiuntur à fœmina.

CAP. XXII.

QVOD mulieri vir præſtet, huiuſqúe conditio multo, quàm illius ſit excellentior ac generóſior, præter animi & corporis eximias dotes, quib. abunde pollens potensq; & clarus eſt, inanima etiā

Vir muliere præſtantior.

& quæ

& quæ vegetante iam vi deſtituta ſunt, ac creſcere augeriq; deſinunt, teſtantur atq; experimentis cõmõſtrant. Siquidẽ nux myriſtica ſeu moſchata ſi à viro geſtetur, non ſolùm vigorem ſuum conſeruat, ſed etiam turgeſcit, magisque efficitur ſucculenta. Cùm enim inter has illa ſit præſtantior, quæ ponderoſior eſt, ſuccoque pingui madeſcit, atque vel compreſſu, vel aciculæ punctura oleaginem reſudat non ſine eximia odoris ſuauitate: has dotes viri calor conſeruat ac tuetur, & quod mirari ſubeat, illã magis ſpecioſam facit, aſpectuque amabilem, ac ſucco oleoſo magis turgidam præſertim ſi iuuenilis adultæq; ætatis homines circumferant. Tam ſuauis enim, gratuſque halitus emanat ex huiuſmodi corporibus, effluxusq; ac euaporatio, ob caloris natiui temperiem, tam mitis ac blanda, vt nux illã alliciat, eaqúe imbuta vegetior fiat atq; odoratior. Alitur ſiquidem, afficiturque aëreo vapore, auraqúe tepenti ac ſubcalida, quam iuuenile corpus expirat, vt re maximè ſibi familiari ac cognata. Sic memoriæ proditum eſt, Alexandri Macedonum regis veſtes gratiſſimo odore fuiſſe perfuſas, non quidem aſcititio aliquo externoque ſuffitu, ſed à genuino ac naturali caloris natiui effluuio. Mulier verò cùm excrementis abundet, atque inſuaues triſtesque halitus ob menſtrui profluuij decurſum diffundat; omnia deteriora efficit, natiuasq; vires atque inſitas facultates depopulatur. Quò fit vt nux myriſtica, exucca illius contactu efficiatur, leuis, carioſa, coloreque ſquallido ac nigricante, qua vi etiam herbis perniciem, tabemque adfert, ac ſata ſtrangulat, ſpeculiqúe nitorem obfuſcat. De Corallo par eſt ratio: hoc ſiquidem in orbiculos elaboratum ac læuore perpolitum, ſi à viro geſtetur, rubeſcit exuberantius, quàm ſi hoc geſtamine fœmina decoretur. In pallorem enim muliebri conſuetudi-

Nuces muſcatæ vt explorentur.

Comment. lib. 2. apho. 14.

Alexandri Magni veſtes cur odoratæ.

Corallus rubicundior fit viri contactu.

ſuetudine elangueſcit ac colore natiuo deſtituitur, partim ob emanentes ex illa fuliginoſos denſosq; ſpiritus, partim quod languidum calorem habeat, ac frigidæ humentiſqúe ſit naturæ, quæ qualitates aliquid conſeruare tueriqúe nequeunt: cùm vir caloris innati ſubſtantiam vaporoſam, mitem ac ſua uem ſit conſequutus, ac velut aromatis odore imbutam Qua ratione & ſynapi ſemen Corallum rubicundum efficit, ſi illo obruatur, caloris ſcilicet, ratione, quo tanquam ignita re incaleſcit.

Mulier Corallum deterius efficit.
Qua Corallo ruborem concilient.
Sinapi Corallum rubicundum efficit.

Magna ex parte ſteriles eſſe, & infœcundos, quibus ſponte ſemen profluit, ſeſeq́ polluunt, & qua ratione id fiat.

CAP. XXIII.

VITIVM eſt idque tam fœdum, vt à templi aditu, omniq; hominum conſortio apud Hebræos arcerentur illo contaminati, Græcis γονοῤῥοία, Latinis ſeminis profluuium appellatum, quo mulieres, æquè ac viri infeſtantur. Siquidem illis præter voluntatem ſemen effluit nullo propemodum delectamento, nec vlla voluptatis illecebra, aut pudendo rigido erectóue, idq; aqueū dilutumq; ac tenue. Quò fit, vt infœcundū ſit, atq; ad excitandas proles inefficax. Vt enim ſalix frugiperda ſemen ob calloris penuriā ante maturitatem excutit: Sic iſtis humor genitalis plus ſatis frigidus & humidus defluit. Nequeunt enim naturales facultates ſemen perficere, ac vi prolifica fœcundaq; illud imbuere. Quò fit vt excremētitius prorſus ſit humor, inchoati imperfectiq; ſeminis rudimentum, generandi munere deſtitutum. Cæterùm cum hic affectus ex imbecillitate vaſorum ſpermaticorum oriatur, tum aliud quoddam vitium contrahitur ex amplexu

Leuit. 15.
Simile ab infœcundis arboribus.

Venereo

Venereo ac concubitu contagioſo, ſi quando cum infectis ſcortis congreſſum ineunt. Siquidem purulenta quædam fœdaq; illuuies ab inguine diſtillat, colore modò liuido, modò ęruginoſo ac porraceo non ſine teterrimo odore. Quò fit vt vaſa nonnunquàm erodi contingat, parteſq; pudendas mutilari. Iſta autem vligo humoriſque ſordidi ſtillicidium in fœminis virulentior eſt, albóque oui, vbi computruit, aſſimilis, qua interranea pruritu intolerabili infeſtantur, quaſi alumine aut ſalſugine eſſent imbuta. Quò fit, vt omnes morbilloſi, quiq; Venerea lue infecti ſunt, impensè ſint ſalaces ob putridi humoris acrimoniam, quam retundi ac mitigari concubitu ſentiunt, magnaque mali parte ſe leuari. Quocirca cum omnibus ſuam ſcabiem affricare geſtiant, tum maximè illas expetunt ac venantur ganeones iſti puriginoſi, quas ſciunt ſalubri eſſe, beneq; conſtituto corpore. In has enim ſuas ſordes ac ſaniem profundunt, ſuóq; purulento ſemine contaminant, cùm ipſi nihil ab his contagij contrahere poſſent. Cũ enim illi ſeminis profluuio obnoxij ſunt, quod ex lue Venerea contrahitur, ac contactu concubituque fœdo concipitur, non ſeminale ac prolificum excrementum ab ijs profluit. ſed virulenta quædam ac contagioſa eluuies ab inguine diſtillat, odoris tetri, colore non albicante, ſed lutido ac vireſcente, quæ vlcera in pudenda ac primori virgæ parte excitat, ſic vt vrina ijs ægrè prodeat, atque ob purulentam concretionem ſubinde ſupprimatur. Quòd ſi quando prurire occipiant, ac tentigine affici, ac penis ſeu pudenda pars erigi incipiat, acerrimè cruciantur. videtur enim hoc membrum, quaſi fune diſtendi propter neruos, qui humore acri ac mordaci imbuti ſunt, quò fit, vt vrinæ ſtillicidio ſubinde infeſtentur, cũ non confertim & profuſe, ſed lente ac ſenſim lotiũ prodeat

Eenen druyper. Vocatur Belgis hoc fœdum ſtillicidium.

Morbo Gallico infecti ſemper pruriunt.

Acrimonia vrinæ infectis peculiaris.

Vrina quibus ſupprimitur.

prodeat intolerando micturientiū cruciatu. Contrahitur hoc vitium ex ficoſis morbidisque hominibus, atque attritu contactúque ſcortorum, quibus inguina & pudendæ partes bubonibus aliisque inquinamentis ſunt contaminatæ. Qui morbus cùm circa obſcœnas, abditasque partes conſiſtat, atque ex putridorum humorum affluentia fœdos tumores excitet, Pudendagra, nominatur, vulgo Clapooren. Si verò contagio ſe diffundat, vt aſſolet, vbi primum contracta labe corpus non expurgatur, aut vbi foris non maturantia cataplaſmata, ſed diſcuſſoria quæque fluxionem reprimāt ac reſeriant, non eliciant, adhibentur, tota corporis moles vnà cum ſanguine ac ſpiritibus inficitur, totaq; humorum collectio in neruos, panniculos, membranas, muſculos defertur, atque intenſiſſimos dolores excitat, qui morbus vernaculo Belgis idiomate pocken mit de lempten vocatur: quòd omnia membra doloribus pertuſa ſint ac dilaniata, ipſaq; ſymptomata, hoc eſt, quæ ex morbi ſæuitia accedunt ac concomitantur, non minores ipſo morbo dolorum faces admoueant. Neque enim vnius generis cruciatu excarnificantur, ſed multiplices illos diuexant dolorum differentiæ, qui tanquā admotis vncinis, ac ferramentis, neruoſas partes exquiſitiſſima mouendi ſentiendique vi præditas lacerant, ac velut aculeis fodicant, vrgent, ſtimulant. Et cùm nullas non partes interreptent, atque erratica vagaque incurſione inuadāt, à doloris inquietudine, nullaque interpoſita intermiſſione, De mieren noſtrates hunc affectum vocant, à formica deducto nomine animalculo agili atque inquieto, quod nouas ſubinde ſedes perſequitur, à qua medici etiam pulſum deſignant formicantem, ob mobilitatem exilem, exhauſtis ſcilicet deiectisque viribus, adeo vt homini quàm minimum vitæ ſupereſſe

Inguinum tumores nō reprimendi.

Dolores neruorum vnde.

Morbilloſi omnes dolorum differentias percipiunt.

Pulſus formicans.

Pulſus vermiculans. pereſſe poſſit, eò ſe pulſu proferēte: cui affinis vermiculans à vermiculi motu atque ingreſſu, qui nō magnam etiam recuperandæ ſanitatis ſpē decumbenti pollicetur. Et quemadmodum morbus eſt *Verminatio qui morbus.* Verminatio, qua homines infeſtari torqueriq; ſolent, ac velut à vermibus dilaniari: ita quoq; morbus eſt Formicatio, Græcis μυρμηκία, quæ foris corpus *Formicatio qui morb⁹.* fœdis tuberculis ac puſtulis deformat, int⁹ verò mordentis formicæ ſenſum adfert, ac cruciatum, ita vt ſubinde ſcalpturire cogantur, atque attritu aliquod leuamen conquirere: vt aſſolet morbo *Formicatio accedens morbo Gallico.* Venereo infectis, qui nuſquā quietè conſiſtūt, ſed continenter frictionibus inſiſtere coguntur. Quocirca appoſitè noſtrates Formicationē huic morbido cadaueri accōmodant, non quòd eo nomine hic morbus cenſeri debeat, ſed quòd pari modo corpora afficiat. Hinc Plautus, quoniam multi illo ſeculo fœdiſſimis morbis erant contaminati, nempe mentagra, impetigine, lepra, tum pleriſque alijs, qui ſe in honeſtiſſima ferè parte corporis pro- *Formicin⁹ homo.* ferunt, illis vitijs deformatos Formicinos, mucidos, vietos, putridos, vlceroſos vocat, quos, vt noſtrates dictitant, ſi vel leuiſſimè concutias, ab oſſi- *Simile à rancidis piſcibus, eſt populare prouerbiū.* bus diſſiliunt ac diſſoluuntur, populari ioco Van den grat ſchudden: à piſcibus rancidis, ac putri ſalſamento deſumpta ſimilitudine, quòd vel minima conquaſſatione à ſpinarum contextu decidāt. Quocirca qui ficoſos tumores circa inguina parteſq; abditas ac latentes contraxerunt, vel ex con- *Morborum incredibilis cōtagio.* cubitu, vel ſi vlli contaminato ſodali cōuixerint, lectoque cōmuni ſint vſi (nā facilimè hæc labes olim, quæ nunc ſenſim exoleſcit, alijs affricari ſolet, vel eſculento, vel halitu, oriq́ue ac labris admoto *Tumorum in inguine curatio.* poculo) in primis cōſulo, vt acri vel vino vel aceto pudenda, contactaſq; partes abluant, admixto ſalis momento, deinde abſceſſum ſeu apoſtema, ſi res poſcat,

poſcat, ad maturitatem perducant, eruptoq́; pure ac ſanie abſterſorijs vlceris cauitatem eluant, priuſquam cicatrice obducant, atque vt in rabidi canis morſu, qui aliquando, quàm ſcorti, mitior, diutius hiatum apertum ſinant, ne virulento humore intus cohibito, poſtmodũ morbus recrudeſcat, atque exaſperetur: interim antequam manum vomicæ admoueri contingat, corpus purgãtibus medicamentis accuratè inaniri debet: in quem vſum commodè adhibentur, epithimus, fumaria, polypodium, ſena, eaque confectio, quæ ad hamech refertur: aut quoniam ijs lotium molliri debet, benedicta laxatiua ex decocto ligni Indici, quod inter Ebeni ſpecies refero: alioqui niſi huiuſmodi ſubſidijs corpori proſpiciatur, diffuſis vndique humoribus corpus omni ex parte morbidum fit, ac lue Venerea vndiquaque inficitur. Sunt enim duo iſti morbi inter ſe affines & cognati, quemadmodum Cancer & lepra. Quod enim Cancer eſt in parte aliqua corporis, id lepra ſeu elephantiaſis eſt in toto corpore. Sic morbilloſa iſta affectio vbi in toto conſiſtit, atque vndique diffuſa eſt, fœdiſſimum illum morbum excitat, quem alij Gallicum, alij Neapolitanum vocant, vel quò in tam inclytæ nationis gratiam ac fauorem aboleri poſſint, atque obſoleſcere contumelioſa illa nomina, quibus aliquid conuitij ſubeſt, lues aut cõtagio Venerea vnde contrahitur, denominetur. Quæ verò in inguine conſiſtit, ac pudendas partes commaculat, Pudendagra. Cùm verò natura mortalium procax ſit in alienis miſerijs, atque inſolenter huiuſmodi calamitate oppreſſis inſultet, populares paſſim morbum hunc, cùm totum corpus occupat, Matris alterum, qui parti peculiaris eſt, Filiæ nomine deſignãt: & quoniã alter ab altero pullulat, venuſtum illum maritum, ſi dijs placet, aut potius ſordidum

Exemplum à rabidi canis morſu.

Cõpendioſa morbi Gallici curatio.

Cancer & lepra affines morbi.

Prouerbiũ in morbidos.

Iocus popularis in hos qui ex inguine laborant.

ſponſum, matrem ac geminas filias ſibi in matrimonium aſciuiſſe, ioculari licentia dictitant, cùm præter inguinum tumores corpus vndique exulceratum ſit, ac tuberibus ſcateat.

In morbis excreſcere corpora, atq; in longitudinem produci, licet minus edant, in latitudinem verò diminui.

C A P. XXIIII.

Quid officiat proceritati.

IMPVBERES qui plurimo vtuntur alimento, minus ſpecioſè adoleſcere, nec in iuſtā decentemque longitudinem produci, quotidiana experimenta comprobant. Suffocatur enim calor natiuus, atq; immodica humiditate obruitur, quo minus corpora in decoram proprietatem poſſent effingi. Qui verò moderatè ſaginantur, ac cibo vtuntur parcius, ſibique diſcriminata certaq; edendi tempora conſtituunt, non magnopere efficiuntur obeſi, nec adeps illis, aut caro augeſcit: ſed oſſa longitudinem atque incrementa ſuſcipiunt. Sic videmus adoleſcentes ac pueros in longis diutiniſq; morbis gracileſcere, ac macilentos effici, in longitudinem tamen eorum corpora proferri, ac proceritatem capeſſere. Quod ipſum fieri ſiccitatis ratione crediderim. Nam oſſa cùm ſicca ſint, alimento ſibi familiari ac cognato aluntur. Siquidē cùm humores ægrotis atque alimenta aſſumpta, ex calore & corporis ariditate ſicceſcant: oſſa in longitudinem porriguntur, atque alimenti ſubſicci ratione aliquid illis ſtaturæ accedit, præſertim cùm homo in ea ætate conſtitutus eſt, in qua corpus, vt argilla vda ac ſequax produci fingique in longum poſſit. Conſtituta ſunt aūt vnicuique certa creſcendi ſpatia, ac determinatè legitimæ ſtaturæ rationes ac modi, quibus ſēnſim tacitiſq; auctibus conſequimur

Cur alij in longū, alij in latū excreſcunt.

Simile ab argilla ductum.

ſequimur

ſequimur vel liberalem proceritatem, vel indecoram: eaque creſcendi vis, qua in longitudinem augeri corpora contingit, raró vltra quintum & vigeſimum annũ producitur: magna autem ex parte intra vndeuigeſimum conſiſtit. Quo fit, vt dentes etiam excuſſi, ab eo annorum curriculo non renaſcantur, vt nec oſſa fracta, ac cartilagines conſolideſcant, quòd ex progenitorum ſemine illa conſiſtant. Pingueſcere verò atque adipoſum obeſumque fieri, non certis temporum ſpatijs fieri cõtingit, ſed nutrimenti ratione, vbi ea affatim ingeruntur. Quod ipſum etiam in conſiſtente ætate, vel eadem inclinata fieri poteſt. Tametſi enim quis vbertim ſaginetur, non in longum ſurrigitur corpus, ſed in latum ac molem dilatatur. Alia eſt enim facultas, qua alitur corpus: alia qua augeſcit. Illa ſiquidem circa alimenti copiam verſatur: Iſta circa partes corporis ſolidas, nempe oſſa, neruos, cartilagines, &c. quæ ſi creſcunt, atque in longum porriguntur, animal quoque incrementum aſſequitur, tametſi illud macie conficiatur atque extabeſcat. Natura itaque in producẽdis oſſibus, vnde longitudo emergit, vi caloris vtitur, quæ exiccat nonnihil humores atque alimenta alendis oſſibus accommodat. Neque enim auctio ſine nutrimento affluente perfici poteſt. Vbi enim generatio animalis conſtituta eſt, vſque ad ætatis vigorem augeri poſtulat, atque in longum latumque ac profundum ampliari. Deinde quo ſubſiſtat ac perduret in reliquum vitæ tempus, æuique huius decurſum, nutritio ſubit, ſuaſque partes obit, qua reſtaurari poſſent quæ effluunt, quæque ambientis aeris qualitas depopulatur, nulla corpori tamen inducta amplitudine, aut in longitudinẽ progreſſu. Auctrix itaque vis ac facultas eſt, quæ oſſa febricitantium, vt ceram, in longitudinem effingit,

Quàm diu in longum corpora porrigantur.

Alia vis lõgitudinem, alia latitudinẽ parit.

calore ac virtute ſeminalis excrementi, quæ in ætatis vigore ad ea perficienda valida eſt atque efficax. Quòd ſi adoleſcentes ac pueri ab ipſis incunabulis lacti aſſueſcant, atque exercitationi ſint dediti, productiori efficiuntur corpore, ſtaturaque decenti ac ſpecioſa. Siquidem lactis potu atque vſu oſſa aluntur, quod ſemini affine eſt, ac ſanguis elaboratus atq; exactè concoctus: Frugū nerui, Aquæ carnes, quod obſeruare licet in bobus, qui aquis copioſis pingueſcunt, ac pabulo humido ſaginantur. Deinde in Belgis, præſertim Batauis, qui liquore illo gentilitio, quam Cereuiſiam vocant, adeo pingueſcunt, vt mentum pectori incumbat, ac

Quibus rebus corpus incremēta ſuſcipit.

Pinguis aqualiculus propenſa ſeſquipede extet.

Perſ. Sat. 1.

An ieiunis, an pranſis venam incidere expediat. Et an conſultum ſit, ſtatim ab inciſa vena ſomno ſe dedere.

C A P. XXV.

QVID commodi adferat corpori humano venę ſectio, quidúe in ſecunda, aduerſaque valetudine præſidij ex ea homines conſequantur, tum quibus, quóue tempore illam adhibere conueniat, ſuperuacaneum eſt hic referre, cùm ea quiſque ex ſyncero fidoq; Medico diſcere poterit, non ex vulgata ac triuiali conſuetudine, quam nugones quidam inuexerunt, qui nimis rigidè aſtra potius, quàm humores obſeruant. Cùm autem innumerę quæſtiones hac de re agitari ſolent: illam paucis expediam: Ieiunísne an pranſis venam feriri expediat. Equidem cùm pleroſque meticuloſos trepidare videam, ac contremiſcere in adeunda venæ ſectione, ne ſyncopi atque animi deliquio, vt aſſolet, periclitētur, nonnihil cibi, ac meraciſſimi vini pauxillum exhibendum cenſeo. Obſeruaui ſiquidem frequentius animi defectu collapſos diu decu-

decubuiſſe immobiles, atq; ægrè odoramentis crebraque vellicatione refocillatos. adde, quòd ſanguis non confertim nec affluenter, ſed languidè ac ſenſim ieiunis profluat, nõnunquam prorſus non erumpat. quòd natura auidè vitæ theſaurum amplectatur, nec ſinat illum temerè elabi, vt cui maximam vitalis ſpiritus vim ineſſe ſentiat, qua exhauſta tota corporis moles langueſcit, operaque naturæ perficiuntur deterius. Vbi verò aliquid alimenti exhiberi contingit, ac moderata corporis agitatione ſanguis ad fluxionem excitatur, promptius emanare ac ſcaturire incipit. Alacres enim atq; erecti efficiuntur ſpiritus cibo, potuq; atque exercitio moderatè adhibito, corpusque ſanguine vndiq; perfuſum effloreſcit, ac fit coloratius. Cæterùm, An inciſa vena ſomno ſe dedere expediat, diſcutiendũ eſt. Ego ſanè, niſi quis aſſueuit, aut ex æſtu atq; itineris moleſtia laſſitudinẽ contraxerit, non ſemper valetudini cõmodum cenſeo vernis æſtiuisq; mẽſibus meridiari, nec conſultũ arbitror, ſtatim ab inciſa vena ſomno indulgere, præſertim ſi quis vel oppleto ventriculo, vel obeſo corpore exiſtat. Sunt enim inter hos, qui pertuſa vena, ad emptoque ſanguine vires inſtaurandas ſibi perſuadeant, eoq; affatim Genio indulgẽt. qui cùm ſomnolenti efficiantur atque oſcitãtes, non ſine graui noxa iacturaque valetudinis ſe quieti dedunt. impletur ſiquidem denſis craſſisque vaporibus cerebrum, ac venæ ita plerumque turgeſcunt, vt cæſura dehiſcat, ac ſanguis denuo magno valetudinis detrimento profluat. Quod apud nos eueniſſe memini viro cuidam primario, qui cùm Idibus Maij, quibus feriæ ac ſupplicationes triduanæ indicuntur, inciſa eo die vena, in prandio allio virenti, vt mos eſt, vinoque ſe affatim impleuit: à meridie oppleto fumis capite, primũ ſomno, poſtea morte ſo-

Cibus & potus ſpiritus alimenta.

Cibus offerendus ante vena ſectionem.

An dormiendũ, inciſa vena.

Ab inciſa vena temperãtia exigitur.

Exemplum eius, qui à ſomno morte ſopitus eſt.

pitus oppreſſusque eſt. Quamobrem qui optimè valetudini conſultum velit, quo die inciſa eſt vena, frugaliter victus rationem inſtituat, & quoad eius fieri poteſt, à ſomno ſe cohibeat. qui ſi vel inuitis obrepat, oculique nictare incipiant, ac ſopor omnino excuti nequeat: tantiſper tamen differatur, dum ſanguinis impetus atque agitatio reſederit: quod poſt ſeſquihoræ ſpatium fieri ſolet, tũc placidè obdormiſcere licet, explicitaque corporis parte, cui inciſio illata eſt, ſemiſupino decubitu, ſi id ſedẽdo perficere permoleſtum eſt, caput in puluinum reclinare. Quod ſi duabus horis ſomnus ſit productior, vellicari debent, quo ſe erigant, atque expergiſcantur, ne ſpiritus ingraueſcant, ac corpus caliginoſo vndique fumo opprimatur. Quò fit, vt nauſeabundi exiſtant, atque oſcitantiam ægrè excutiant.

Phyſiognomonia, hoc eſt, naturæ, morumq; inſpiciendorum ratio, qua ex notis ſignisq; corporis, animorum motum ac propenſionem elicimus ac diiudicamus, non improbanda. Cæterum quid ex hac potiſſimè obſeruare conueniat, ſcripturæ teſtimonijs comprobatur.

CAP. XXVI.

Vultus & oculi animi indices.

PLERAEQVE artes illiberales cenſeri ſolent, minusque ingenuæ, quod vanitati atque impoſturę affines ſint, quodque obſeruationes anxias habeant ac curioſas. At Phyſiognomia, quæ ex facie, oculis, vultu, lineamentis, totoque habitu, corporis animique propenſionem perſpicit, nulla ſui parte inter has referenda, vt quam à laudatiſſimis viris ſtudioſè obſeruatam excultamque perſpicio. Cùm autem nulla ſit corporis pars, quamlibet minuta atque exilis, quantumuis abiecta atque ignobilis,

bilis, quæ non aliquod argumẽtum inſitæ naturæ, & quò animus inclinet, exhibeat, tum omnium ſignorum notarumque ſunt præcipua, quæ in facie vultuque elucent, & qui certiſſimus eſt mentis index, in oculorum aſpectu ac volubilitate ſe profert. In ijs enim odium, ira, indignatio, pauor, metus, formido, ſpes, lætitia, modeſtia, arrogantia, Zelotypia, auaritia, æmulatio, omnesque affectus animi interni, in externo corporis habitu relucẽt. Sic Deus conſpicatus Eſeu ſubtriſtem, animoque deiecto ac demiſſo: Quare, inquit, mœſtus es, & cõcidit vultus tuus? Ioſephus quoq; cùm videret captiuitatis collegas triſtes, ſciſcitatus eſt: Cur ſolito triſtior eſt facies veſtra? Obſeruabat enim aliquid ſiniſtri ominis reſidere in mentibus illorum, cuius ſe certa indicia in externa ſpecie proferebãt. Quò ſpectat illud Iſaiæ: Agnitio vultus illorum reſpondet illis. Quo deſignat homines ſceleratos ex habitu corporis poſſe deprehendi. Vultus ſiquidẽ indicat, qua ſint malitia imbuti, quid meditẽtur, quid moliri geſtiant, quò ſpectet improbus illorũ conatus. Plurima eius generis obuia ſunt apud Dauidẽ & Solomonem, quibus nonnullorum nequitiam atque improbitatẽ coarguit, exprimitque, ex fronte, ſupercilijs, oculis vltro citroque contortis, demorſis labris, naribus corrugatis, inflatis buccis, inceſſu ſuperbo, geſtu indecoro, vultu nutuque minaci. Vnde ſapiens: Vir improbus & nequam graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, peruerſitate mentis machinatur malum, atque omni tempore diſſidia ſerit. In ijs verò, qui placido ſunt mitique ingenio, omnia formæ dignitatem exprimunt. Status, inceſſus, accubatio, vultus, oculi, manuũ motus, omnia honeſtati decoroque inſeruiunt, ſic vt in facie ac vultu ſapientia, decus ac probitas, cæteræque virtutes reluceãt.

Geneſ. 4.
Geneſ. 40.
Capit. 3.
Eſaiæ locus explicatus.
Pſal. 34.
Prouerb. 6.

CAETERVM licet non omnia exactè huius artis præſagijs reſpondent, multaque aliter, quàm membrorum notæ præ ſe ferunt, eueniant, idque vel educationis munere, vel parentum induſtria, aut denique diuino quodam afflatu: magna tamen ex parte vero ſunt cōſentanea, euentumque certum conſequuntur. Siquidem in his qui viſenda aliqua nota inſigniti ſunt, ars veritatem aſſequitur. Vbi enim error circa principem aliquam partem conſiſtit, mens quoque aliquid incommodi percipit, ſuaque munia inculpatè obire nequit. Sic qui gibbo deformati ſunt, modò naturale ſit id vitium, non aſcititium, nec ex accidente caſuque illatum, improbi ferè ſunt, ac malitioſi: quod cordi totius vitæ fonti ac principio deprauatio communicetur. His proximi ſunt ſtrabi, cæci, luſcioſi, pæti, quique in obliquum detorquent oculorum aciem: quod circa cerebrum natura deliquerit. Surdi verò, muti, balbi, blæſique, & qui ob muſculorum, neruorumque imbecillitatem, linguæ hæſitantiæ obnoxij ſunt, non penitus à vitijs immunes exiſtunt, ſed ea non magnopere culpari merētur. Quo enim quodque membrum, cui error ſubeſt, minus nobile ac generoſum, hoc partes primariæ minus afficiuntur. Quod ſi aliquod corporis vitium, vel cerebro, vel cordi affine ſit, horumq; alteri proximè aſſiſtat: menti quoque ac rationi aliquid erroris infertur, ſic vt illa omnibus ſuis numeris non ſatis conſtent, ac plerumque iudicij amuſſis deliret, atque in obliquum rapiatur. Quo fit, vt facultates animales ſuas functiones ac munia inoffensè perficere nequeant. Atqui non ſemper eſt neceſſe, nec conſequitur, vt naturæ hominis conditio, mores, ſtudia, inſtituta, animorū propenſiones, mentisq; agitatio ad notas externas ſit accōmodanda, atque ad lineamēta ſignaq; corporis metien-

Nota corporis animi conditionē indicant.

Cerebrū et Cor à remotis partib. afficiūtur.

metienda. Cùm multa plerumque agant ac meditentur homines, multaque mente concipiãt, atque opere perficiant, cuius ne vllum quidem veſtigiũ, aut minima indicij nota foris ſe offert, aut diuinandi argumentum exhibet. Poteſt enim eſſe aliquis enormi corpore, membrisque diſtortis, ſed tamen frugi, atque ad præclaras artes appoſitus. Rurſus fieri poteſt, vt quis ſit habitu corporis decenti ac liberali, at improbis moribus, vitaque vndique contaminata. Quapropter nemini ob vlla vitia inſultandum, nec gibboſi, luſci, claudi, varis repandiſque cruribus homines, conuitijs onerandi. cùm hæc naturæ vitia erroreſque immutatos cupiant, ac corpus decentius conſtitutum exoptent. Sunt tamen inter hos, qui hominum dicacitatem in ſe concitent; quòd horum nõnullos impoſtores ſint experti, verſipelles, ſubdolos, doloſos, ac nõ ſolùm obſcœnis facetijs, ſed etiam dicterijs ſalibusq; dentatis abundè inſtructos: vt omnes propemodum ſunt, quibus vitiatæ ſunt muſculoſæ neruoſæque partes: ſic vt cerebrum mouendi ſentiendiq; principium, Cor deniq; vitalis animæ ac ſpiritus fons, ex conſenſu variè afficiantur, adeo vt externa vitia internas facultates immutent, atque ad diuerſas actiones inſtruant incitentque. Ex his itaque, qui nota aliqua inſigniti ſunt, manauit prouerbium, CAVETO A SIGNATIS. Quòd deſignãt rerum humanarum periti declinandam conſuetudinem, commerciumq; improborum. Quod quotidiano vſu, atque experientia compertum habeant, fallaces eſſe huiuſmodi homines, ac technis dolisque eſſe imbutos. Quod autem Claudi impenſe ſalaces ſint, abditasque atque obſcœnas partes inuſitatæ magnitudinis habeant, Prouerbium inde natum indicat, Claudus optimè virum agit. Omne ſiquidem alimentum, quod inualido pedi deſtinan-

Errori naturæ nõ inſultandũ.

Signati Sycophantæ.

A ſignatis cauèdum.

In claudos prouerbiũ.

ſtinandum erat, circa partes genitales conſiſtit, atque in ſemen elaboratur, cuius vis & copia rentiginem mouet, atque obſcœnis partibus pruritum excitat.

An aperto hiantiq́; ore dormire, an clauſo, cohibitisq́; labris ſalubrius.

CAP. XXVII.

NON deſunt plerique, qui ſalubre exiſtimant, patulo apertoque ore ſomnum capere. ſic enim melius expirare fumos, ac diſcuti fuligines, animamque hominis liberius commeare, ac minus grauęolentiæ concipere. ſubolido enim eſſe ore, putidoque anhelitu, qui compreſſis labris noctem ſomno tranſigunt. Ego verò aliud perſuaſum habeo. Vt enim decubitus in dorſum pulmoni ſeptoque tranſuerſo noxius, vt quæ affuſis humoribus turgeſcant: Sic hianti ore dormire valetudini incommodum. Pulmo ſiquidem, cùm fiſtuloſus ſit, per vocalem arteriam, aerem obuium, qui ſub noctem ferè impurus ac turbidus eſt, copioſè allicit, quo ſpirandi meatus imbuti vel raucam efficiunt vocem, vel obtuſam. Occluſo autem ore, ſpiritus externusque aer non confertim, ſed ſenſim per nares anfractuoſas, ſinuoſo volumine vltrò citroque commeat, atque in pulmonem delabitur, cordisq́; calorem temperat. Quò fit, vt minus ſiticuloſi efficiantur, qui commiſſis labijs dormiunt. Qui enim faucibus dilatatis ſomnum capiunt, ijs ob aerem halitumque hinc inde æſtuantem, lingua ac palatum areſcunt, potuque noctu irrigari cupiunt. Ceterùm cùm multis ſolidisq́; rationibus fulciri hæc perſuaſio poſſit, tum nulla ſtabilius, quàm quod longè melius concoctio in ventriculo perficiatur, ſi quis occluſo ore dormiat: fouetur ſiquidem calor naturalis, ac validius cibo incumbit. Vt enim ollæ

Occluſo ore ſomnum ſalubrior.

Vnde ſitis nocturna.

Simile à re culinaria deſumptum.

ollæ ac lebetes elixandis carnibus deſtinati, maturius concoctionem perficiunt, operculis obducti, quod nihil caloris, nullusque halitus emanet: Sic etiam calor in corpore humano coactus cohibitusq;, celerius cibū concoquit. Itaq; his, qui flaccido ſunt fluctuantique ſtomacho, ſubinde halitum cohibere conſulo, tum ijs, qui tuſſi ſingultuq; identidem infeſtantur. Hac enim ratione calorem excitari contingit, ac noxam diſcuti Porrò vbi occluſo ore noctem tranſegerunt, cibiq; cōcoctio peracta eſt, tum demum conſulo, vt popiſmate, ſonituque bomboſo fumi ac fuligines expurgentur, quæ medijs ſpatijs inhæreſcunt. *Anhelitus cohibitus concoctionē adiuuat.*

Imprecationes parentum, quibus ex ſe genitos execrantur, ac maledictis inceſſunt, aliquando in euentum effectumq; rapi. Bonas quoque ominationes, quibus illis fœlicia ac ſalutaria quæque exoptant, ad lætum exitum eſſe adiumento, atque ex progenitorum voto omnia conſequi.

CAP. XXVIII.

IN tantam delapſa eſt natura mortalium, exuta humanitate, feritatem, vt non ſolùm in extraneos, ſed in ſua etiam pignora, quibus optimè conſultum oportuit, ſint crudeles. Quis enim per compita paſſim ac vicos execrandas voces non audit? quibus ſuos immaniter diris deuouent, atque horrenda quæque ijs imprecantur: quorum pleraque effectum ſortita memini, atque in calamitoſum funeſtumque exitum deueniſſe. Quamobrem Plato nihil parentis imprecatione filijs cenſet periculoſius. Pueri ſiquidem cùm ita incandeſcere progenitores vident, tamque atroces execrationes in ſe congeri, obſtupeſcunt, trepidant, perturbantur, ac terrore metuque concuſſi, vel in ſpaſmum aut *Lib. 6. de leg.* *Infantes nō exaſperandi ſæuis verbis*

epilep-

epilepſiam incidunt, vel furore ac rabie corripiuntur, menteq; atque animo alienantur. Tanta enim fit in huiuſmodi corporibus ſpirituum, humorũq; concurſus atque agitatio, ea intemperies, vt ſenſuum inſtrumenta conuelli contingat, omnesque animæ facultates inuerti. Quo fit, vt non ſolùm ętas tenera, ſed etiam adultior, quæ reuerẽtia ac pudore erga parentes ducitur, repentino terrore, ſubitaque animi conſternatione, tanquam fulmine concuſſa, magnã rationis mentisque iacturam patiatur, nec minorem in corpore cladem percipiat. Quo mihi optimè inſtitutam habuiſſe adoleſcentiam viſi ſunt veteres Hebræi, qui liberis ſalutaria quæque precari ſolent, beneque ominari, ac domi forisque non fortunæ, ſed Dei munere proſperum ſucceſſum exoptare. Quin & filij officiosè magnaque religione ac pietate parentes colere atque obſeruare conſueuerunt, ſummisque votis, blandimentis, obſequijs, boni ominis voces ac benedicendi formulas extorquere. Hac enim ratione immunes ſe fore à malis ingruentibus confidebant, ac ſupremi numinis beneficio, cui cùm hi, tum progenitores ſua vota nuncupabant, aduerſus rerum humanarum caſus atque incommoda, ſumma ſecuritate ac fiduciá poſſe ſubſiſtere.

Gen. c. 49.

Liberi à patribus inſtituendi.

Qui fiat, vt iuxta vulgare prouerbium: Nemo propemodum ex morbo, aut longa peregrinatione melior euadat, vitamq; emendatiorem aſſumat.

C A P. X X I X.

A morbo nemo emẽdatior.

INOLEVIT opinio quædam ac perſuaſio in Belgica, quæ obijci ſolet ex morbo conualeſcentibus: Neminem ab ancipiti morbo diutinoq;, aut periculoſa peregrinatione meliorem effici: quod

plerumque

plerumque ita vſuuenire palam eſt. Ea ſiquidē eſt natura mortalium, vt quamlibet ſæuis morbis diuexata fuerit, quantumuis anxia terra mariq; peregrinatione, atque erroribus fuerit agitata, vbi eluctari contingit, profunda ſubeat obliuio, atque inſiſtant homines viuere laxius licentiuſque adeo, vt poſteriora illis ſint prioribus deteriora, atque inſequens tempus, antecedente deploratius. Id eò mihi euenire videtur, quòd magnus ſit mentis neglectus, nulluſque cultus interno homini adhibeatur, qui inſitos errores affectusq; vitioſos eximat, nempe Dei amor ac fiducia, eiuſque doctrinæ cognitio, cui ſe ratio ac voluntas ſubijcit, omneſque actiones ad illius amuſſim exigit. Hæc enim efficiunt ac præſtant, vt ſubducamus nos ab ijs vitijs, quæ in morbis & periculis ſumus deteſtati: alioqui ſpecioſæ illæ pollicitationes, atq; emendatioris vitæ propoſitum, multaque alia, quibus nos aſtringimus, irrita ſunt, nulliuſque momenti. Nam vbi priſtino vigori ſumus redditi, ad mores natura recurrit damnatos, fixa ac mutari neſcia. Proba ergo vitæ ratio, rectumque viuendi inſtitutum, quod animo concipimus, nulla re niſi doctrina cœleſti, ac diuino ſpiritu perfici poteſt, qui niſi diſcuſſo morbo menti noſtræ inſederit, non facilè reſiliemus à concepto emendatioris vitæ propoſito, quod non ſine latenti afflatu dolor extorſit: ſed conſtanter illi adhærebimus, quamlibet multa ad defectionem ſolicitent. Extat præclara Plinij iunioris epiſtola, qua ex amici cuiuſdam ægrotatione admonitum ſe teſtatur: Optimos eſſe nos, dum lecto ſumus affixi: quem enim infirmum aut libido incitat, aut auaritia ſolicitat, non eſt amori deditus, non appetit honores, opes negligit, animoſque demittit, ac ferocire deſinit, poſtremò vitam prorſus innoxiam, beatamque deſtinat, ſi contingat euadere.

Matth. 12.

Doctrina diuinitus inſpirata optimos mores effingit.

Doctrina cæleſtis mētis pabulū.

Libro 7.

Vt animi propoſitum fœlicem ſucceſſum obtineat.

euadere. Itaque arrepta hinc monēdi occaſionē; cùm ſibi, tum amico præcipit, Vt tales eſſe perſeuerent ſani, quales ſe futuros profitentur infirmi. Quæ quidem exhortatio ſalubris eſt ac frugifera. At ignorabat is, nec commonſtrare potuit, quo duce, cuiuſque afflatu, atque adminiculo hæc eſſent perficienda. Niſi enim virtute Dei, eiusque doctrina fulciri nos contingat, oblata leuiſſima quaque occaſione, in priſtinos errores labimur, atque æſtus rerum humanarum aliò nos deuehit, quàm ad integritatem, ac vitæ innocentiam, moresq; probos atque inculpatos. Siquidem affectus humanus vitæ correctioris promiſſa extorſit, non fides, nō ſolida vlla doctrina verbo Dei fulta ac ſtabilita. Cæterùm ſi quis rationem naturalem exigat, nulla mihi videtur magis probabilis, quàm quod ad morbo defunctos certatim confluant congerrones lepidi ac feſtiui, illosque ad iocos, luxum, laſciuiam, delicias, omnesque voluptatis illecebras inuitēt, incitentque. hinc comeſſationes ac ſoteria in orbem reducta, quibus adeptam ſanitatem illis gratulantur. quæ plærunque obſcœnis canticis perſtrepunt, dictuque pudenda ſpectantur. Hæc & pleraque alia facilè ægrotum ac nutantem animum, ſuique oblitum in deteriorem partem applicant. His adde cibos delicatos ac delectabiles, qui adauctis humoribus lumbos ſtimulant, obſcœnaſque partes ſcalpturiunt, ac tentigine afficiunt. Hinc ad luxum atque ingluuiem, ad profuſas libidines, ad fœdos concubitus, ad enormes atque effrenes cupiditates reditus: Sic

Qua re quiſq; fiat emēdatior.

Cibi delicati libidinis fomenta.

Iuuenalis Satyr. 14.

> ———*Ad mores natura recurrit*
> *Damnatos, fixa ac mutari neſcia.*

Tanta eſt enim naturæ humanæ ad deteriora propenſio ac procliuitas, vt niſi Deus ſalutis noſtræ auidus, cōtinenter aures vellicet, ac calamitate ſubindè

inde nos exerceat, omnia in profundam obliuionem deuergant. Sic iuxta Eſaiam, Tantùm ſola vexatio intellectū dat auditui, hoc eſt, Nemo niſi ingruentibus periculis, obortaque calamitate expergiſcitur, atq; aures arrigit: nec vnquam frugalis ac moderati victus ratio in mentem venit, aut vlla ſubit, aut concipitur emendatioris vitæ cogitatio, niſi illata clade, aut cùm febribus morbiſque oppreſſos, ſæuiſſimis doloribus excruciari nos contingat. Nihil eſt aūt, quod hominē à Deo magis auertit, atq; alienum efficit, quàm rerum omnium affluentia ac proſperi ſucceſſus: Afflictio vna eſt, quæ ad gemitus ac ſuſpiria, ad ſanioris vitæ propoſitum nos reuocat. Nec cuiquam perſuaderi poteſt diſplicere Deo vitam ſuam, mores, ſtudia, inſtituta, niſi animus mœrore aliquo atque ægritudine, corpus morbis identidem affligatur. Ita enim ad ſalutaria quæq; monita ac vellicationes obſurdeſcit animus, ſic mens peccandi aſſuetudine occalluit, vt mitiores caſtigationes vel reſpuat, vel non magnopere ijs commoueatur, nec vlla reſipiſcendi ſpes ſe proferat, niſi acerbiora remedia admoueātur. Hinc illa Dei per Eſaiam comminatio: Quoniam populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe, ideò nō eſt auerſus furor eius, ſed manus illius adhuc extenta, ac denuò ad feriendum exporrecta. Similis eſt apud Hieremiam querimonia: Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam nō receperunt. Rurſus, Percuſſi eos, & non doluerunt, attriui eos, & renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti, magnificati ſunt, ditati, incraſſati, impinguati, & prætererunt ſermones meos peſſimè. Quocirca Deus aliquando nos premit acerbius, quò ad frugem, mentemque ſaniorem reuocet. Sic Alexander Macedonum Rex, qui ſibi diuinos honores decerni paſſus

Cap. 29.

Prouerb.

Affluentia ſocordes & acedioſos facit.

Cap. 5. & 9.

Cap. 2.

Hier. 5.

Alexander ſauciatus

fragilitatẽ ſuam agnouit. eſt, ſagitta percuſſus, conſpectóque effuſè promanante ſanguine, hominem eſſe ſe meminit, ac confeſtim ferociam faſtumque remiſit. Quò ſpectat illud Pſalmographi: Humiliaſti tanquam vulneratũ, ſuperbum: omne illius robur contriuiſti. Quamobrem cum res maximè ſecundæ exiſtunt, omniaq; ex voto atque animi ſententia ſuccedunt: ne quis proſperitate ſucceſſuque nimio elatus ſe iactet inſolentius, aut immoderatè exultet, ſed quiſq; ſecum ipſe expẽdat, ac meditetur res aduerſas, damna, clades, pericula, calamitates, morbos, infortunia ſingulis momentis cuique impendêre, eáque Deum homini nonnunquam inferre ad emendationem ac medelam, ad erratorum caſtigationem, & quò reſipiſcat, certamque ſalutis fiduciam, erecta in Deum mente concipiat. Quod cuique teſtatum eſſe vult, ac nullos non attente obſeruare, cùm inquit: Si dereliquerint filij eius legem meam, ac mandatis meis non fuerint obſequuti, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata illorũ: miſericordiam autem meam non auferam ab eis, neque nocebo in veritate mea. Quibus palam facit, caſtigari nos ad emendationem, non ad interitum: quò domitis cupiditatibus, cohibitáque peccandi licentia, ad probitatem ac vitę innocentiam, ad integros atque incorruptos mores quiſque ſe cõferat. Eſt ſiquidem Dei in nos animaduerſio, quoniam à paterno affectu proficiſcitur, ſummi amoris argumentum, ac beneuolentiæ teſtificatio. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem hominem quem recipit. Quos verò Deus patitur vagari licentius, ac viuere laxius omnibuſque corruptelis inuolui; nec tacito afflatu ab errore reuocat, quoniam pro deſertis habet ac deſtitutis. Non viſitabo, inquit, nec animaduertam in filios ac filias veſtras, cùm fornicati fuerint, nec in ſpon-

Pſal. 88. *Pſal. 88.* *Deus caſtigat vt emẽdet.* *Prou. 3.* *Hebr. 12.* *Oſea 4.*

in ſponſas, cum adulterio ſe contaminant: vt ſunt nonnullæ, quarum etiam noſtra ætate edita ſunt exempla, quæ ſe alijs ſubiecerunt, antequam cum ſponſo cui paulò ante ſolenniter ſe addixerant, congrederentur, ita vt illarum pudicitia à riuali ac competitore expugnata ſit, aut alius quiſpiam illam delibarit, vulgò aiunt, *gheproeſt*, antequam peracta nuptiali pompa ac celebritate, in torũ Genialem ſe collocarent, ſponſum amplexuræ. Ita Deus irritatus ſcelerum continuatione, ac peccãdi aſſuetudine, manum à percutiendo ſuſpendit, ac ſuſtinet illos labi ac corruere in omne dedecus, probrum, ignomiam, ſuisque deſiderijs obſequi, quo viuendi errore primùm conſequuntur turbulentam atque inquietam mentem, qua nihil homini obtingere poteſt, aut calamitoſius aut afflictius: deinde præter infelicem exitum ac mortem acerbã in qua nihil habent, quo ſe fulciant, ſempiternã pœnam atque intolerandos cruciatus. *Adulteria notantur.*

Siquando itaq; homini affluant res domeſticæ, opes, facultates, diuitiæ, auri argentique immenſa pondera, ædes ſplendidæ, ſumptuoſa ſupellex, veſtes exquiſitæ, quibus omnibus cumulatè fruitur; nunquam illi excidat illius memoria ac recordatio, cuius munificentia hæc tam affluenter obtigerunt, atque oblata ſunt. Nihil enim vitij habet ædiũ ac villarum magnificentia, pecuniarum, prædiorũ latifundiorum, iugerum poſſeſſio: modò vſus ſpectetur & commoditas: deniq; quod præcipuũ eſt, & potiſſimum exigitur, ſi erga Deum adſit gratitudo, atq; in tenuiores beneficẽtia. Commonuit talè quiddam, ac ſedulo inculcauit Moſes Iudæorum ex Dei præcepto ac traditione legiſlator, nequis vnquam admittat, vt in obliuionem is deueniat cui nos noſtraque debemus. Cùm comederis, inquit, & ſatiatus fueris, ciboque expletus, denique *Gratitudo erga Deum exigitur.* *Diuitiæ nõ malæ ſed earum abuſus.* *Deut. 8.*

ædificia ſplendida extruxeris, atq; accumularis tibi auri argentiq́; vim, pecudes atq; armēta, omnibuſq́ue rebus auctus fueris: obſeruato ne eleuetur aut extumeſcat cor tuum, & excidat menti tuæ Dominus Deus tuus, omnium iſtarum rerum largitor. Ne quoque id exprobretur atq; obijciatur ingratis atq; obliuioſis, Butyrum de armento, lac de ouibus cum adipe agnorum & arietum, medullam tritici, & ſanguinem vuæ maraciſſimum affatim illis Dominus attribuit: verùm vbi incraſſatus eſt delectus, recalcitrauit, impinguatus, ſatiatus, obeſus factus, obliuioni dedit Deum conditorem ſuum, & ingratus fuit erga auctorem ſalutis ſuæ. Quapropter huiuſmodi deſertoribus atroces minas ac terrores Moſes proponit, multaſq́ue clades atq; horrendas calamitates illis obuenturas denunciat: quò ex his poſteri documenta capiant, ac perſpiciant, vt apud Hieremiam Deus pronunciat, qui in eodem argumento verſatur, quàm malum ſit, quamq́ue acerbū atque amarum reliquiſſe Dominum Deum ſuum, nec vllum eſſe timorem, aut reuerentiam erga ipſum, dicit Dominus Deus exercituum.

Deut. 32.

Cap. 2.

Lapides ſeu gemmæ terrâ mariq́; erutæ, vel animātium corporibus exemptæ, qua vi ac facultate polleant, quáue ratione aliquid efficiant.

CAP. XXX.

Gemmis ac lapidibus non deeſſe ſuos effectus, modò ne adulterini ſint, ac factitij, cum ratio, tum experientia comprobat. Itaque annuli geſtamen, aut monile non minus decenti quàm efficaci gemma decoratum & oculos oblectat, aſpectuq́ue gratum eſt, & vim ſalubrem in corpus exerit, idq; non abdita ſolum occultaq́ue proprietate, quam ab aſtris, vt Marſilius cenſet, conſequitur, ſed ab emanante

nante virtute, effluxuq́ue latenti, qua ſpiritus vitales afficit ac recreat. Vt enim gemmæ ex ambiente aëre obnubilantur, denſamq́ue auram concipiunt, atq; halitus copioſos imbibunt: Sic etiam ex ſe inuiſibilem tenuemq; vim eiaculantur ac vibrant. Quanquam enim res ſolida ſit, calor tamen natiuus, deniq; contactus, attritus, confricatio vim qua imbutæ ſunt, elicit, cordique ac cerebro illam communicat. Eranon ſiquidem gemmam, quæ vulgò Turcoſa dicitur, ſæpius mutari conſpexi, atque expalleſcere natiuoque colore deſtitui, vbi qui hanc geſtat, langueſcit, aut valetudinarius exiſtit, eandẽ rurſus cum corpore reuiuiſcere, ac colorem amabilem nempè qualis eſt sereniſſimi cæli, cæruleum exhibere, ex natiui caloris temperamento. Nec eſt vlla propemodum gemma, quæ non mutationem ſuſtineat, ſi homo vel intemperans eſt, vel non ſatis pro dignitate continentiam ſeruet ac tueatur. Deperit enim illi vis inſita, omniſq; nitor ſordeſcit, atque obſcuratur. Quo fit, vt qui ſe adulterio cõtaminant, thorumq; legitimum ac Genialem commaculant, tum qui vago ſordidoq́ue concubitu ſe polluunt, nunquam ſpecioſas nitidaſq; gemmas circumferant, ſed fuliginoſas & nubilas, tum, quæ inquinamenta contrahant ex fœdo halitu, quæ cũ ab illis tum ſcortis emanant. Contrahunt enim aliquid vitij ex putidis corporibus, quæ virus exhalant, illaſq; venenato halitu inficiunt: Vt mulieres menſtruo inquinatæ ſpeculi nitorem obfuſcant. Cæterùm ſi inefficaces eſſent gemmæ, nulliuſq́ue effectus, non tam accuratè, tantoq́ue ſtudio Moſes indumentum Pontificis, quod rationale vocant, duodecim gemmis decorari præcepiſſet, quarum Ezechiel quoque ac Ioannes in Apocalypſi meminerunt: in quibus non ſolùm ſpectari voluit ornatum ac colorum blandimenta, ſed etiam vim mirificam,

Simile à gemmis.

Turcoſa.

Impuri gemmas contaminant.

Exod. 28.

ſicam, effectusq́ue varios atq; admirandos, de quibus cum abunde multa alij, de lapillis nobis inſtituetur ſermo, qui animantium, alitumq; ac piſciũ corporibus eximuntur, quorum plerique ventriculo, nonnulli capiti inhærent. Eruitur autem ineunte autumno creſcenteq; Luna ex hirundinis ventre lapillus ab ea auicula Chelidonius dictus, qui præſentanea vi pollet aduerſus morbum comitialem. valde enim exiccat, abſumitq; humorem tenacem ac glutinoſum, qui huic morbo præbet ſeminariũ. Eſt ſiquidem hirundo, cuius excrementa Tobiæ ademerant oculos, calidæ ſiccæq́; naturæ, quò fit vt in fornicibus ac cõcamerata teſtudine ex vdo molliq́ue limo tam artificioſe nidos ſuſpendant & affigant. Contactu enim ſuo humorem abſumunt, coguntq; lutum indureſcere. Hinc Medici cataplaſmata ex ijs conficiunt, atq; hirundinum combuſtarum puluerem in diſcutiendis gutturis anginæq; tumoribus efficaciſſimum experiuntur. Limaces quoq; ac grandiores cochleæ lapillos nobis exhibẽt candidos, ſublongos, ſcabros, ima ſui parte concauos, quos è capite expreſſos, in multos vſus reſeruare ſoleo. Vrinam ſiquidem ſtrangurioſis moliuntur, meatusq́; virinarios lubricos efficiunt ac leniunt comminuti, atque ex vino exhibiti. Concreſcit id genus lapidis ex liquore muccoſo, atq; humore lubrico, qui humoribus facilem tranſitum perficit. Qua ratione & partui auxiliantur hi lapilli: dilatãt enim laxantq́; locos, atque vterum cogunt dehiſcere. Linguæ autem ſubditus vnus aut alter, mirã vim obtinet in cienda ſaliua. Quapropter aridis ac ſiticuloſis in ore volutandum præcipio. Vdam enim efficit linguam, atque humore fluitantem, ſitimq́; ac calorem comprimit. Qua vi & Chryſtallus pollet, ſi ſubinde aqua gelida maceratus ori immittatur. Ex herbis eadem præſtant Portulaca, cucumis

Chelidonius vel hirũdinarius.

Tobia. 2.

Limacius lapis quo effectu polleat.

umis, ſemperuiuū, quę vulgo barba Iouis dicitur. Proferunt & Rubetæ ſeu bufones lapidem, qui nō nunquam eius animantis imaginem repræſentat, verùm annoſæ ſunt, diuq; in arundinetis vel inter rubos ſentesq; ac vepres delituerunt, antequam lapis in capite concreſcat, aut aliquam magnitudinē aſſequatur. Hæret atque aſſeruatur in familia Lemniana Bufonius lapis, qui magnitudine nucem auellanam ſuperat, quem multoties expertus ſum tumores atq; inflationes à venenatis beſtijs illatas diſcutere crebro attritu contactuquè. Habet ſiquidem eam naturam, qua etiam beſtia imbuta eſt, vt omne virus eliciat conſumatquè. Si enim ſorex, aranea, veſpæ, ſcarabi, glires vlli parti inſederint, dānumquè intulerint, confeſtim à noſtratibus ad hoc remedium concurritur, admotoquè parti affectę lapillo, dolor miteſcit, tumorquè ſubſidit. Multa ſunt præterea piſciū genera, quorū capiti lapides duriſſimi inhærent, vt lupo marino, Coracino, Vmbræ, lucio fluuiatili, mugili, & quorū magna hibernis menſib. copia, Callarijs, quos Belgæ Schelviſch nomine indigetant, à ſcabra cute ac ſquamata. Nā qui à colore cinericio, & corporis figura Aſelli dicuntur, vulgo Cabbeliau/lapillis magna ex parte carere compertum eſt, præſertim qui in fœmineum ſexum referuntur. nam ex maſculorum capite exemi lapidem candidum ima partę carinatū. Omnium genera contrita, vinoquè exhibita, dolorem colicum compeſcunt, ac calculum qui renibus infixus eſt, terunt ac comminuunt non ſolum grauitate, & pondere, vt quidam exiſtimant, ſed inſita quadam vi, qua humorum collectionem diſſipāt, ac diſcutiunt. Carpionis triangularis lapis tritus, ſanguinis è naribus profluuium ſiſtit ac cohibet, aſtringendi ratione, quod etiam guſtu percipis.

Lapis Bufonius.

Zeewolff. Snoeck. Schelviſch. Cabbeliau.

Carpioni è capite lapis eximitur.

De ſomniorum euentibus, & quatenus obſeruanda, ijsq́; adhibenda fides.

CAP. XXXI.

CVM olim incredibili ſuperſtitione ac vanitate, ſomnia obſeruare, ijsq; fidere atq; aſſenſum adhibere ſoleant homines: Deus opt. max. qui neminem torqueri voluit anxijs dubijsq; rebus ac fallacibus, quæ animæ tranquillitatem perturbant, vetuit nequis in his obſeruandis eſſet curioſus, ac temerarias interpretationes confingeret, euentusq́; ambiguos cōminiſceretur. Huiuſmodi enim imposturis nonnullos deſciſcere à Deo, atque ad impios cultus deuolui. Quod ſi Deus in ſomno mentes noſtras in exquirenda illius voluntate oſcitantes vellicat, animisq; noſtris ſalutaria, quæqúe illius verbis ac doctrinæ conſentiunt, inſerit: magni ea momenti eſſe conuenit, ſummaq; veneratione amplectenda: ijs enim indicat, quid exigat, quídue à nobis præſtari velit eorum, quæ vel illius ſplendorem illuſtrant, vel quę ad noſtrum commodum, proximiq́; emolumentum ſpectant. Cæterùm illa etiam excutere atque obſeruare fas eſt, nullaq; lex vetat, quæ in naturalium rerum ratione conſiſtunt, ſic tamen vt non fixè ac ſtabiliter illis inſiſtamus: cū plerumque coniecturę optatum euentum non cōſequantur. Imaginationes ſiquidem, & quæ per quietem ſimulachra menti obijciuntur, ex ſpirituū vaporumq; concurſu atq; agitatione excitantur, qui ſi craſſi ſint denſiq; ac copioſi: aut nulla inſomnia animo obuerſantur, aut confusè & obſcurè ea mens diſcernit ac dijudicat. Quod in temulētis fit, aut quos arctus ſomnus ex laſſitudine opprimit. Quo fit vt ſomnia plerunque turbulenta ſint, atq; obſcura. Cū enim, vt Cicero ex Platonis ſententia diſſerit, ea pars animi, quæ rationis eſt particeps,

Leuit. 19. *Deut.* 13.

Somnia à Deo aliquādo immitti

Naturalia ſomnia obſeruanda.

1. Diuin.

ſomno ſopita langueat, atque altera pars immoderato potu ac paſtu ſit obſtupefacta: viſa quædam obijciuntur tetra atque immania, vt cum aliquo miſceri videatur, feras homineſq; trucidare, atque impiè cruentari, multaq; facere impurè cũ temeritate atq; impudentia. At qui moderato victu quieti ſe tradidere, ea parte animi, in qua ratio & conſilium conſiſtit, alacri atq; erecta, corpore verò nec inopia defecto, nec ſatietate affluenti oppreſſo, tũc eueniet, vt mens eluceat, & ſe vegetam acremq; ad ſomniandum præbeat, ac viſa tranquilla & veracia occurrant. Cuicunque enim operi interdiu homo intentus eſt, & occupatur, reſoluto in ſomnum corpore retractat, ſecumq; verſat atq; agitat. Quod cuique pro ſuo vitæ inſtituto euenire, hoc venuſto carmine commonſtrat Claudianus. *Lib. 2. præfationis.*

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diuino,
Tempore nocturo reddit amica quies.
Venator defeſſa thoro dum membra reponit,
Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, auriga ſomnia currus,
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.
Gaudet amans furto: permutat nauita merces:
Et vigil elapſas quærit auarus opes.
Blandaq; largitur fruſtra ſitientibus ægris,
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus innumeris ſollicitare ſolet.

Nec ſanè aliæ obuerſantur animo cogitationes, aut ſimulachra, vbi corpus optimè cõſtitutum eſt, quàm diurnę actiones ac quotidiana munia. Quòd ſi quando ſomnus nec perpetuus fuerit, nec placidus, ſed inæqualis & interruptus, quem & inſomnia à memoratis diuerſa comitantur, ac minus cõſuetæ viſiones occurrant: vel craſſis, vt Plutarchus ait, humoribus abundare corpus, vel ſpiritus intus *De tuenda vale.*

 turba-

turbatos eſſe declarat. Sic temulēti ac febricitantes abſurdis in ſomnijs inquietari ſolent adeò, vt pleriquehorrenda ſpectra ſe videre imaginentur, Lemures, ſtriges, harpyas, & quod melancholicis peculiare, cadauerosas facies vultusq; tetricos, ac ſubtriſtes. Quibus verò bilis flaua redundat, faces, cædes, incendia, pugnas, rixas, iurgia mente concipiunt. Vt ſanguinei tripudia, cantilenas, iocos, riſus, ac laſciuia quæque. Pituoſi largam aquæ copiam. Quapropter Medici non prorſus operam luſerint, ſi ſubinde ab ægrotis ac valetudinarijs ſciſcitentur, qua ratione ijs nox tranſacta ſit, quibus inſomnijs mens fuerit exagitata Illa ſiquidem morbos, affectuſqúe corporis indicant, atq; humorum redundantiam commonſtrant. Siquis enim ſordibus cœnoq; volutari ſe ſomniat, fœtidos putridosq; humores in corpore coaceruatos, indicium eſt. Si verò inter odoratos fragrātesq; floſculos verſari: ſynceros, purosq; ſuccos dominari argumento eſt.

Somnia ægrorum & ebriorum.

Somnia varia pro humorum redundantia

De anno κλιμακτηρικῷ, hoc eſt, ſcalari & gradario, ſeptimo & nono, quibus annis corpora hominum manifeſtam mutationem ſuſtinent: Senum potiſſimè tertio & ſexageſimo. Similiter de dierum criticorum ratione, hoc eſt, iudicijs morborū, quibus Medici indubitanter ſalutem vel mortem ægrotis denunciant.

CAP. XXXII.

Lib. 15. c. 7.

AVGVSTVS Cæſar, teſte Gellio, ſibi gratulatus dicitur, ſuæq; incolumitati abundè proſpectū exiſtimabat, quòd ætatis annum tertium & ſexageſimum euaſiſſet. Is ſiquidem annus rarò abſque vitæ periculo tranſigi ſenibus ſolet, cuius in Belgica innumera exempla obſeruaui. Sunt autem duo annorum numeri, ſeptimus & nonus, qui plerunque

que rerum, vitæq; immutationem ac grauia pericula inuehunt. Quo fit vt ſexageſimus tertius, qui vtriuſq; numeri multiplicatam atque inuicem ſibi connexam ſummam continet, non ſine periculorum aceruo ingruat, nouies enim ſeptem, & ſepties nouem, ſexaginta tres conſtituunt, atque ob id Climactericus is annus appellatur, quia à ſeptimo orſus, vitam hominis, velut per gradus quoſdā peragat. Itaq; omnes qui per ſeptē, aut nouē annos cōſurgunt, decretorij dicuntur, in quibus magnam mutationem ſubeunt homines. nam vel calumnijs impeti ſolent, vel grauiſſimis morbis diuexari, vel periculis obijci, vel deniq; aliquod perperi detrimentum, ac iacturam vel facultatum, vel valetudinis. Hos ergo annorum decurſus ac volumina in omnibus etiam ætatibus obſeruare ſoleo, ſic vt impuberes atque infantes periclitari expertus ſim circa annum quartum, ſeptimum, nonum, ac quattum decimum. Omnis enim pueritia C. Celſo teſte, circa quadrageſimum diem periclitatur, deinde ſeptimo anno, poſtmodum circa pubertatem. Plurimos autem noui, qui ætatis anno primo & vigeſimo ſint periclitati, deinde vigeſimo octauo, nec vnquam poſt reuolutum annum vel ſeptimū vel nonum ab ancipiti morbo fuiſſe immunes, qui annorum decurſus, tametſi non nimis anxiè ac ſuperſtitiosè obſeruandus, metuendusque ſit viris Chriſtianis: nihil tamē vetat circa ea tempora moderatè, ac circumſpectè vitam victusq; rationē inſtituere, nequa humorū copia coaceruetur, quæ his annis fomitem miniſtret, morborumq; ſeminaria prębeat. Qua aūt ratione per illos annorū circuitus morbi plerunq; incrudeſcant, à nemine hactenus explicatum eſt. Ego eò id euenire coniicio, quòd certis annorū periodis corpus humanū magnā humorum collectionem & redundantiā congeſſerit, quorum

Annus ſexageſimus tertius ſenibus ſuſpectus.

Lib. 2. c. 1.

Anni nō ſuperſtitiosè obſeruandi

Cur anni Climacterici periculoſi.

quorum motu atq; agitatione morbi excitantur. Cùm enim natura ad immodicam repletionē deuenerit, ac conceptacula humorum plenitudinem perferre nequāt, in morbum erumpere neceſſe eſt. Quamobrem omne ſtudium operamque conferre expedit ad materię exuperantis euacuationē, quod ſemper vere & autumno, vel inciſione venæ, vel purgantibus medicamentis moliendum eſt. hac enim ratione effeceris vt poſt ſeptennale curriculū, aut in quem alium annus Climactericus inciderit, morbum non metuas, aut aliquam corporis immutationem pertimeſcas. Ex hac autem annorum obſeruatione mos inoleuit apud pleraſque gentes, vt herus fundiq; dominus nouos contractus ineat cū colonis ſeptimo quoque anno. Eadem rationē ſyluæ ex ſalice, betula, alno, populo alba & nigra, omnibusq; arbuſtis quæ vdo molliq; ligno conſtant, quarto quoq; anno cædi ſolent: quæ verò ex dura materia conſiſtunt, vt ſunt quercus, ilex, robur, vlmus, fraxinus, ſeptimo aut nono mutilari truncariq; poſtulant.

Quomodo euitanda pericula anni Climacterici.

Simile ab arborum putatione.

NON diſſimili ratione dies criticos obſeruant medici, quos ſiquis ex Hippocratis præſcripto exactè ad calculum reuocet, rarò illum fruſtrari cōtinget, aut in prædicendis euentibus à ſcopo aberrare. Eſt autem Criſis ſubita in morbo ad ſalutem aut mortem mutatio, quæ vel quarto, vel ſeptimo, nono denique, atque vndecimo, decimoq; quarto ſolet terminari. Non deſunt, qui ad Lunæ effectum dies decretorios referant: Sic Aſtrologi morborum iudicia decernunt, cùm Luna cōſiſtit in gradibus, qui vel quadrante, vel diametro mundi à ſigniferi parte diſtant, in qua hærebat in morbi initio. Cæterum ad hos radios nunc ſegnius, nunc maturius peruenit ob velociorem tardioremq; curſum. Criſis autem non omnibus eadem ob diuerſas naturas

Decretorij dies.

Criſis, ſeu iudiciū de morbis.

hominum,

hominum,atq; ætatum, corporumque diſcrimen, ac radiorum,qui à Planetis alijs ad Lunam deferũtur. Si decretorio die luna ſit in domo ſua ſeu exaltatione cum Ioue aut Venere,qui benigni ſunt planetæ ac ſalutares,bonam fore Criſim portendit. Si morbus in humorum plenitudine conſiſtit: bonũ eſt ipſam in radijs tetragonis ſeu oppoſitis decreſcere. Quod ſi temporibus ijſdem Luna Soli iungitur,vel Saturno:inominoſum eſt,morbiq́;vel periculũ,vel longitudinẽ denunciat. Quod ſi Luna decreſcẽs Saturnũ comitetur incipiente iã morbo,aut illum diuturnu indicat, aut læthalem. Sin decreſcente ſidere idipſum eueniat:citò diſcuſſum iri ægritudinem indicat,minimeque periculoſam. Cæterùm cùm ſalutaria noxiaque aſtrorum ſigna negligi nolim,tum non nimis ſuperſtitiosè iis inhærendum cenſeo,ſed Hippocrat potius obſeruationibus inſiſtendum, vt quæ mihi ſemper viſæ ſint magis fidæ,minusque dubioſæ ac fallaces, modò quis exactè omnia expendat. Itaq; ego hanc dierũ criticorum rationem non tam in aſtra,quam in naturam morborũ corporumq́; atq; humorum qualitatem ac copiã refero. Natura ſiquidem cũ morbo luctatur,eũmq; excuſſiſſe laborat. quæ ſi in retundenda morbi ſæuitia torpeſcat,aut ſit inualida, primo quoq; tempore,nempè vel ſeptimo,vel nono, ad ſummũ decimoquarto die conflictus terminatur. Simile enim quiddam ijs corporibus euenit; quod vrbi arctiſſima obſidione oppreſſæ,quæ cùm non ſatis inſtructa ſit commeatu,alijſq; ad propulſandos hoſtes præſidijs,ne minimũ quidem inſultum perferre poteſt,ſed poſt vnam aut alterã oppugnationem labaſcit,atq; in hoſtium poteſtatẽ deuenit. Et quemadmodũ nonnunquam intermittitur aſſultus,impetrato aliquo reſpirandi ſpatio,ac rurſus redintegratis virib. acrius pugna incrudeſcit atque

Aſtra ad morborum indicia conferunt.

Simile ab Vrbe obſeſſa.

que intenditur: Ita in acutis morbis vſuuenit, in quibus obſeruamus morbi impetum, vt tempeſtates ac ſæuiores ventos conſileſcere, ſed denuò tanta violentia renouari, vt natura ægrè ſubſiſtat, nec vita in ſeptimum diem producenda videatur.

Simile à tẽpeſtatibus.

CAETERVM cùm ſeptenarij numeri vis & facultas in multis naturæ rebus ſit animaduerſa, ac viri etiam Eccleſiaſtici magnam virtutem illi ſubeſſe perſuadeant: Medicorum præcipuè intereſt accuratè illum obſeruare. In ſecunda ſiquidem aduerſaq; valetudine, in dierum, menſium, annorumque decurſu, ac morborum iudicijs magnum obtinere momentum quotidiana experimenta cõmonſtrant, ſic vt etiam, qui inedia mori ſoleant, ſeptimo demum die mortem oppetant, aut ægrè, ſi aliquid lambant ac deglutiant, in nonum vitam prorogare poſſint, ſopitis extinctiſq; ſpiritibus ac calore humoreque vitali conſumptis.

Septenarius numerus ſacratus.

Qua ratione ſpeculum obiecta referat: Et quid ſtudioſis, quiq; continenti intuitu oculos fatigant, nitidus ſpeculi læuor commodi præſtet, tum qua ratione hebeſcentem viſum reſtauret.

CAP. XXXIII.

SPECVLA quibus in luxum noſtra abutitur ætas, formæque venuſtatem venantur mulierculæ, cum ex aduerſo ſe ijs comunt ac poliunt genasque atque oculos ſtibio, fuciſq; depingunt, in meliorem vſum excogitauit ſolertis naturæ induſtria, nempe vt contemplemur aſſiduè formæ humanę dignitatẽ, diuiniq; opificij præſtantiã. Quãobrem Plato ſalubri conſilio temulentos adhortatus eſt, atq; iratos, vt ſeſe in ſpeculo identidem ſpectarent, cõfeſtim à tanta fœditate receſſuros. Quod ipſum Socrates adoleſcentib. conſulere ſolitus eſt, quo

Mulieres comẽdi ſtudioſæ.

Ebrijs & iratis ſpecula obijcienda.

quo ſi eſſent egregia corporis forma, ac facie liberali, ne vitijs illam contaminarent: ſi verò deformi eſſent ſpecie, ac ſtatura minus decora, illam ingenij cultu, morumq; honeſtate penſarent. Inuenta itaq; ſunt ſpecula, teſte Seneca, vt homo ſe ipſe noſceret. Multi enim ex his conſequuti ſunt ſui notitiam, atque optimam vitæ inſtituendæ rationem: Formoſus, vt vitet infamiam: Deformis, vt cognoſcat vitia corporis redimenda virtutibus: Iuuenis vt admoneatur defluxuram ætate formam, eoque paranda viatica, quæ auget, non depopulatur ſenectus: Senex ac rugoſa anus, vt neglectis carnis illecebris, mortem imminentem meminerit. Ex ſpeculo itaq; natura facultatem nacta eſt, vt ſeipſam videat ac contempletur, inſpectoq; vultu, fronteq; ac facie, quæ multarum rerum ſunt indices, in ſui conſideratione verſetur, naturęque propenſionem exploret. Ita enim futuri ſumus proprij corporis phyſiognomoni atque inſpectores, noſtraq; vitia, ſiquæ externus habitus cōmonſtrat, poterimus obſeruare, atq; ijs mederi. Sic ſcitè Plautus in Epidico:

Natur. quæſt. lib. 1.

Speculi præcipuus vſus

Ex ſpeculo noſtram cōditionem exploram⁹.

Non oris cauſa modò homines æquum fuit
Sibi habere ſpeculum vbi os contemplarent ſuum:
Sed qui perſpicere poſſint cor ſapientia.
Igitur perſpicere vt poſſint cordis copiam,
Vbi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea
Vitam vt vixiſſent olim in adoleſcentia.

Hoc itaq; commodi præſtat ſpeculi vſus, vt oculorum aciem ex continenti intuitu retuſam exacuat, oculoſq; laſſos reſtauret. colliguntur ſiquidē ſpiritus viſorij, nouiſq; à cerebro reſilientibus, recreantur. Qua autem ratione ſpeculum ex aduerſo imaginem referat, à pleriſq; dubitatū eſt. Alij enim in hoc ſimulacra eſſe opinantur, hoc eſt, corporum noſtrorum figuras à noſtris corporibus emiſſas: alij imagines non eſſe in ſpeculo, ſed ipſa aſpici corpo-

Speculum quid oculis conferat.

corpora retorta oculorum acie,& in ſe rurſus deflexa. Itaq; ſpecula res oſtendunt per reflexos radios. Reflexio enim à denſo eſt, ideoq; ſpecula poſtica parte plumbo obducta ſunt, ne lumen per vitrum directè tranſmittatur. Res verò oppoſita apparet, quod pars radij mouens oculum, dirigitur in oppoſitum, igitur totus radius velut in partem illam quaſi exporrectus accipitur, quo conſequitur, vt res oculis exhibeatur. Aduerſa autem parte corporis, non auerſa imagines referunt, quod ſpecies, quæ à corpore ſolido per âërem manat ad ſpeculi ſuperficiem, ſimplex puraq; eſt. Imagines itaq; in ſpeculo colluceant, cũ ex eo radij luminoſi regenerantur; repercuſſi enim ad oculũ reſultant, in quo ſe cõſpicit & figuram graphicè expreſſam quiſq; intuetur. Non enim per ſpeculum videmus, nec imago formatur in ſpeculo, ſed in oculo: ſpeculum tamẽ adiuuat, cum viſum referiat. Atque hæc eſt cauſa, cur experrecti nocte lumen primo intuitu videamus, radijs retrocedentibus, ſeſequé intuentibus; atque in ſe retortis. Hinc collige cur partes corporis dextræ efficiantur in ſpeculo læuæ, & è diuerſo Simile enim quiddam accidit, quod tabulæ, maſſæque cereę aut argillaceę, in quam ſi ſigillum imprimas, illidaſqué, in reflexu, contrario modo ſe partes exhibent. Quod ipſum etiam in Typographicis formulis perſpicimus; tum laminis affabrè cælatis, quibus artificioſa monocromata, hoc eſt, effigies nullo pigmento, aut colorum fuco delineatas exprimi videmus, quorũ ſemper partes dextræ ſiniſtris correſpondent Cæterũ qua ratione contingat Solem in ſpeculo aquis ſubdito geminatum conſpici, quod etiã in nubib fieri ſolet, portentoſo omine, vt imperiti quidã exiſtimãt, à pleriſq; nõ animaduerſum eſt. Sunt enim qui exiſtimant caniculã, aut ſidus aliud in confinio conſtitutum ſpectari, cum

Speculum cur ex aduerſo imaginem referat.

Simile à ſigillis.

Simile ex typis librarijs.

cùm Solis ſplendor omnia aſtra, ſtellasque ita obſcuret, vt interdiu conſpici nequeant. Verùm duplex exhibetur Solis imago, primò aquæ, deinde ſpeculi ratione. Aquam ſiquidem ſpeculi naturam exprimere, omniaque auctiora efficere, præter experientiam Virgilianus ille Corydon teſtatur,

Sol gemin⁹ in ſpeculo aqua ſubdito.

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Eclog. 2.

Primò itaque ſpeculi fulgor Solis formam reflexu oſtentat, deinde aqua, à cuius ſuperficie retorqueri Solis radios contingit. Par eſt ratio de face, candela, aut Luna ſpeculo aquæ immerſo, oppoſita, quæ duplicem rei obiectæ imaginem per reflexionem exhibet. Sunt & in alium vſum excogitata ſpecula concaua, quæ Soli oppoſita per reflexionem ignem flammasque eliciunt, ac ſtipulas, feſtucas, aliosque fomites ac nutrimenta arida ſuccendunt. Sic Archimedes hoſtium triremes vrentibus ſpeculis incendiſſe legitur. In illis ſiquidem reflectuntur omnes radij Solares extra locum incidentem, atque in vnum punctum concurrentes obuia quæque inflammant.

Vrentia ſpecula.

Archimedis memorabile factum.

Qua vi & facultate polleat aqua vitæ, ſeu Vinum ardens & cauſticum, vulgò Brandevvijn, *& quibus id tutò exhiberi poſſit: Obiter admirandi aliquot factitij huius liquoris effectus.*

C A P. XXXIIII.

EXCOGITATA eſt ſuperioris ætatis memoria in vſum ac commoditatem tuendæ valetudinis ſecundæ, propulſandæque aduerſæ, Ars ſtillatitia, qua ex herbis liquores ac medicatos ſuccos elicimus. quos tametſi non omnino pares cum his effectus obtinere certum eſt, nec tam efficaces, vt herbarum dilutum, aut decoctum, vel denique ex-

preſſus ſuccus, non tamen prorſus reijciendi, v nonnulli factitant, nec cenſendi omninò inefficaces atq; euanidi, cùm illorum vis & qualitas non penitus intercidat atq; aboleatur, quod ipſum cū plurima, tum aqua vitæ, ſeu vt vocant, ardens ac ſublimata, quod ex generoſo nonnunquam vino plerumq; ex fece cuiuſq; vini vapeſcentis per turbinem ſeu metam furnariam prunis moderatè excalefactam exprimitur, explorari poteſt. Illius ſiquidem vim mirificam in multis rebus ſum expertus. Quamlibet enim aſperum intenſumque gelu exiſtat, liquor is nunquam congelaſcit, nec in glaciem concreſcit aut cogitur, adeò vt atramentum ſcriptorium, tum pleraque alia, quibus guttas aliquot admiſceri contingit, nunquam frigore conſtringantur, idq; ob extremam caliditatem ac tenuitatem, qua eſt imbuta. Quod ſi experiri velis, ſyncerâne ſit, an adulterina hæc quinta eſſentia: mantile aut linteū liquore illo madefacito ac flāmę admoueto, ſi cōfeſtim inardeſcat illęſo intactoque linteo, efficaciſſima eſt. Inflāmeſcunt ſiquidē ſudariola aqua hac macerata, at non conſumuntur. Flamma enim leniter modò peplo incumbit, nec penetrat: ſed lambendo abſorbet cognatum ſibi, ac familiarem, igneæq; naturæ liquorem. Quod ſi volæ manus nonnihil imponas, admota ex ardenti papyro flamma: ardeſcit quidem palma, at manus non vritur Si verò ſucco maluæ aut mercurialis manus oblinas, inoffensè citraq; læſionem plumbum liquefactum tractare poteris, modò celeri motu id perficias. Non eſt aūt in rerum natura plumbo liquido, aut oleo feruido quid vrentius, adeò vt ſi cochlear ſtanneum aut plumbeum oleo feruenti aut plumbo liquefacto immergas, confeſtim liqueſcat ac diſſoluatur, quod in feruentiſſima aqua nunquam effeceris. Oleum enim, & pinguia

Alembicū vulgo.

Aqua vitæ vis.

Aqua vitæ vt exploretur.

Plumbum liquefactū vt nō vrat.

Plumbū liquefactū & oleū feruidum vrētiſſima.

guia quæque feruidiſſima fiunt, caloremq; maximum concipiunt, ſic vt plumbum citiſſimè fluxile fiat, ac liqueſcat pinguedinis admixtu, cùm aqua prohibeat, quò minus calor in plumbum penetret, eoq; fit vt anguillæ in craticula toſtæ, vehementer digitos adurant, ſi incircumſpectè verſare pergas: adhæret enim pingue digitis, ac cutem exhulcerat, ardoreque veſicas ac bullas excitat. Cùm autem quatuor ſint, quæ leuitatis ac grauitatis ratione inter ſe certent, Vinum, Aqua, Mel, & Oleum: horum omnium leuiſſimum, minimique ponderis eſt Vinum ardens, quod oleo admixtum fluitat, ſummasque partes ſubit, oleo in imas ſubſidente. Eſt enim illi prorſus excocta terrea omnis concretio, totaque illius ſubſtantia ignea, aereaque effecta eſt. Proximum huic leuitate eſt oleum præſertim, ex lini & ſeſami ſemine expreſſum, quod nũquam præter cæterorum oleorum naturam, frigore indureſcit propter mollitiem atque inſitam caliditatem. Huic liquor ſuccedit ex virentibus herbis ignis vi extractus, & vinum defecatũ, quod minimum dulcedinis admixtum habet. Nam vinum exoticum illud, quod Baſtardum, & quem nos Seropon, aut Zerapium vocamus, omnem liquorem grauitate ſuperat, ita vt dolia illo liquore oppleta demergantur. Aqua cœleſtis, modò ne ſit turbida, eiuſdem ferè cum vino ponderis eſt, nempè ea, quæ menſe Maio cælitus delapſa in multos annos reſeruatur. Mel verò ijs tertia parte ponderoſius eſt. Nullus itaque liquor, qui in aliquem vſum corpori humano adhibetur, aqua vitæ, quæ ſic appellatur, quòd vitam fulciat, ſeniumque remoretur, aut leuior, aut penetrantior, aut quæ omnia à putredine, aut corruptione magis præſeruet ac tueatur. Cuius vſus ſic inoleuit apud Belgas, vt liberalius, quàm valetudini

Quatuor leuiſs. inter liquores.

Oleum lini & ſeſami non congelaſcit.

commodum eſt, aſſumant. Neque enim omnibus, aut quouis tempore eius potus æquè ſalubris eſt, macilentis ſiquidem, ſiccæque naturæ hominibus: deniq; æſtate vſus eius admodum perniciofus eſt, adurit enim corpora, atque humorẽ natiuum depopulatur. Obeſis autem corporibus atq; humidis, quique pituitoſis humoribus redundant; nihil incommodat: nam & humores excrementoſos concoquit, & corpora à lethargo, atq; apoplexia, morbiſque frigidis vindicat ac tuetur: quapropter hibernis menſibus moderatum illius vſum concedo, nempe ſeſquidrachmam quæ cochlearis menſuram implet, exquiſitè zaccaro edulcatam, adiectoque exiguo panis primarij bolo, quò minus vi adurenti cerebrum naresque feriat, aut hepati noxæ aliquid, penetrabili, feruentique calore inferat. Foris verò admotum neruis ac muſculis; membriſq; algore oppreſſis auxiliatur, omneſque affectus dolorificos, qui in frigidis humoribus cõſiſtunt, compeſcit ac diſcutit vi calorifica, ac celeritate penetrandi. Quin & apoplecticis loquelam reſtituit, ſi ſeminis erucæ & aceti ſcillitici momentũ illi commiſceatur. Quod ſi id genus factitij vini bis aut ter in alueum ſtillatitium immiſſum ignis vi extrahatur, incredibilem vim penetrandi conſequitur.

Vinum ardẽs quibus vſui.

Argenti viui prodigioſa vis & natura, quod Belgis à mobilitate Quickſilüer *dicitur.*

CAP. XXXV.

DVO conſtituta ſunt in natura rerum principia, ex quibus conflantur ex imis terræ viſceribus omnia metallorum genera, quorum Sulphur, vt pater omnia efficit ac molitur. Argentum viuum vt matris vice fungẽs, ea ex ſe elaborari patitur, ac produci: primùm Aurum, mox Argentum, deinde ignobile quodq; metalli genus, vt ſtannum, plumbum,

Sulphur & argentũ viuum metallorũ principia.

plumbum, æs, cuprum, ferrum, omniaque cũ ſuis primordijs affinitatem ac naturæ cognationẽ habent. Singula enim igni liqueſcunt, atque ad opus quodque ductile accommodari poſſunt. Hydragyros autem, hoc eſt, aqueum iſtud argentum ac fuſile, qua vi & facultate polleat, cuiúſue qualitatis eſt particeps, frigidæne, an calidæ: variè inter ſe diſceptant Medici. Sunt qui frigidum & humidum eſſe contendunt, argumento quòd tactu miram frigiditatem membris inferat, eaque in ſtuporem, ac paralyſim adducat: Alij calido ſiccoque effectu eſſe ſtatuunt, quod penetrabili vi conſpiciatur, adeò vt inciſa vena eorum qui ſemel atque iterum ex morbo Venereo inuncti fuerunt, argentum viuum emanaſſe conſpectum ſit. quod ego fieri crediderim, non ex inſita aut genuina caliditate, ſed quòd rebus quibuſdam vrentibus vel extinguatur, vel admiſceatur, quibus retundi ſolet, atque hebetari frigida humidaque qualitas, atque ignea quędam induci. Eſt ſiquidem puluis quidam in vſum Chirurgis circũforaneis, Præcipitatus dictus, quòd opus ſuum celeriter ac præcipitanter peragat, non ſine grauiſſimo corporis incommodo: ardentem enim vim ac deleteriam huiuſmodi præparãdi ratione aſciſcit ex Chalcanti, aluminis & ſalis nitri mixtura. Ceterùm quum argenteus hic liquor diſſipatus ac diuulſus, ita rurſus coëat, ſibique cohæreat, atque in ſe conglobetur, vt non ſit tractabilis, fingique poſſit, nec vllis medicamentis miſceri, niſi illius mobilitas cohibeatur, excogitauit induſtria humana aliquot rationes ac modos, quibus id effici poſſit, eiusque agilitas domari. Inter quos ille ſecurior eſt magisque innoxius, qui ſaliua hominis perficitur, cui momẽtum cineris, aut puſillum trituræ oſſis Sepiæ admixtum eſt. Eſt autem Sepia felis marina, cuius oſſe candido & friabili vtuntur

Puluis præcipitatus.

Felis marina.

aurifices, carne lubrica, ſanguine qui atramenti vſum præbeat. Cæterùm hoc admiratione dignum eſt, quod quũ omnia, quæ ex terra eruũtur, quamlibet ponderoſa ſint, huic metallo innatent Chalybs, ferrum, plũbũ, atque ænea quæque, ſolum aurum ſubſidit, ab eoque abſorbetur, atque argenteo colore imbuitur, qui niſi igne elui poteſt: ſic enim in fumum reſoluitur, atque in auras euaneſcit, teterrima odoris fœditate, non ſine graui aſtantium noxa, vt quibus membra obſtupeſcant, neruique emolliantur: quod ferè in his ſpectamus, qui deaurandis vaſis argenteis occupati ſunt. neque enim argentum auro obduci, incruſtarique poteſt, niſi argẽti viui miniſterio, quo vno obſequioſum fit ac tractabile. nã quum omnia metalla reſpuat, ſolo auro afficitur, eoque ſe commiſcet, fingique patitur. Sic ſæpe experimentum feci in argenti viui ſeſquilibra, duas plumbi libras innatare, auri verò denarium, vel etiam ſcrupulũ, quæ tertia drachmæ pars eſt, demergi. Ex omnibus autem metallis ægerrimè adhæreſcit argento, ægrè admodũ plumbo, difficillimè ferro, æri mediocriter. Huius argentei, viuaciſſimique liquoris conditionem aliqua ex parte æmulatur plumbum liquefactum. Omnia ſiquidem illi innatant ferrum, ſilices, teſtæ, ac pleraque alia, quæ igni non liquefiunt, naturaque ſunt fluxili ac fluida. nam cùm plumbo liquido nihil ſit magis feruidum, aurum, argentum, ſtannũ illi innatant quidem, ſed confeſtim, vt cera, diffluunt ac diſſoluuntur. In eo quoque argẽto viuo affine eſt, quod in planam tabulam effuſum, guttis hinc inde diſperſis, illã lubrica humiditate nõ imbuit, nec tabellis inhæret, ſed incredibili agilitate, motuque inſtabili ruiſus coit, ac globuli in ſeſe confluunt ac conglomerãtur, eò quòd materia illis denſa ſit, coacta, ſolida ac continuata, eaq; denſitate, vt nihil aeris

Nihil abſq; argento viuo inauratur.

eris in ſe contineat. Quò fit, vt non ſolùm ponderis ratione, ſed quòd nihil aëreæ ſubſtantiæ in ſe contineat, in imum deuoluitur. Sic Agallochum ſeu lignum aloës licet leue ſit, nec vllius ponderis, ſubſidit, atque aqua immerſum in profundum labitur, quòd compactum ſit; nec illi quidquam inanæ inſit. *Lignū aloes licet leue, demergitur.*

Qua ratione in ſalis inopia carnes, aliaq; edulia à putredine conſeruari poſſint. Obiter Salis, acetiq; vis mirifica.

CAP. XXXVI.

SALIS conditura quantopere nobis vſui ſit, & neceſſaria, nemo eſt qui neſciat. Nam præter id, quod Sal eſculēta quæque ſapida efficiat, guſtuiq; ac palato gratiſſima, cibique auiditatē incitat, tum omnia à putrilagine vindicat ac tuetur, præſertim cui omnes limoſæ ſordes excoctæ ademptæq; ſunt. Sic enim micanti colore ſplendeſcit, illoque tutò condiri quæque poſſunt, atque in multā æſtatem aſſeruari. abſorbet enim conſumitque excrementitium omnem humorem, ac cogit denſatq; carnes ac ſalſamenta quæque, ne quid ex ambiente aere putredinis ſubire poſſit. Cæterùm mirum cuique non immeritò videri poteſt, fœcunditatis atq; expugnandæ ſterilitatis quandā vim ineſſe ſali, denique agros quoſdam feraces illius conſperſu effici, quòd à vero nō eſſe alienū experimento cōpertum habeo. Obeſæ ſiquidē mulieres, quæ magna ex parte effœtæ ſunt, moderato illius in cōdimentis vſu fœcundæ fiunt, ac cōceptui idoneæ. abſtergit enim omnem vliginem, vuluamq; plus ſatis vdā ac madidam exiccat, efficitque, vt genitale ſemen facilius vtero minus lubrico adhæreſcat, aridis autem mulierculis, & quibus vterus torridus eſt, *Quod ſalis genus optimum.* *Sal fœcunditatē confert.*

vt fundus & terra ſiticuloſa, humectantia exhibenda. nam ſalſa & acria reſpuunt. Viris quoque lumbos incitare, mouereque tentiginẽ Belgæ cõmonſtrant, qui cùm ſalitis affatim vtantur, impensè ſalaces exiſtunt. Sic frequens marinorum piſcium eſus, omniaque teſtacea, oſtrea, gammari, locuſtæ, cancri, cochleæ, conchæq; marinæ libidinem concitãt, caliditatis, mordacisq; naturæ ratione. Qua de cauſa Aegyptij, Plutarcho teſte, à ſale, omnibusque ſalitis abſtinuerunt, quòd ſalem Venerem irritare perſuaſum haberent. itaque inſipida potius ſumenda exiſtimabant, quàm condimento omnium ſuauiſſimo vti, qui mihi nimis ſuperſtitiosè id obſeruaſſe viſi ſunt, nec ſatis valetudini conſuluiſſe, cùm à corporibus hominũ putrefactionem Sal arceat, humoremque alienũ atque aſcititium conſumat, adde quòd fœcunditatis progignendæque ſobolis genuinam quandam vim inſitam habeat, qua coniugalis fœderis ſocietas ſtabilitur. Expergefacit enim animi vigorem moderatus eius vſus, ac non ſolùm in amplexu, figendisque oſculis, ſed in omnibus negotijs obeundis reddit alacriores & erectiores. Fœcunditati autem auxiliari vel illud argumento eſt, quòd immẽſa vis murium ſoricumque in marinis nauibus enaſci ſoleat, & quòd mulieres ſalinariæ cõtinenter pruriant, multarumque prolium ſint feraces: vt quibus nautæ ac piſcatores in portũ delati, ſunt adiumento, qui ſtrenuè rerum ſuarum ſatagunt. Hac inducti ratione in nonnullis regionibus coloni, iumentorũ pabulo nonnihil ſalis inſpergunt, quò ſint ad cibum auidiores, atq; ad ſubeundos labores, gignendumque magis alacres & erecti. Agris quoque ſterilitatem eo expugnant, vbi plus ſatis paluſtres ſunt atq; vliginoſi. Cæterùm ſi oppida, arcesque obſidione oppreſſas huius penuria laborare cõtingat, ſalſugo ex aqua

In ſympoſ.

Sal agros et iumẽta fœcunda præſtat.

Salſugo.

aqua marina conficienda, quam tum demum
ficacem experieris, quũ ouum aut ſuccinũ quod
ulgo ambra dicitur, in illa fluitet. Huic in cõſer- *Aceti vis.*
andis edulijs viribus proximum eſt Acetum, at vi
on tam diuturna. niſi enim poſt aliquot menſes
riori effuſo, recens condititijs rebus infundatur,
ucore, limoque obducuntur. Qua autem vi &
acultate polleat, quum ex multis, tum maximè ex
o experiri licet, quòd ouũ in acerrimo aceto tri-
uo maceratum, aut plus paulò, in eam tenerita-
em teſta molleſcat, vt velut tenuis membrana, per *Acetum o-*
nnuli anguſtiam adigatur. Coticula quoque, aut *uum conſu-*
ilex aceto ſeptem dierum ſpatio domitus, digiti *mit, ac cotẽ*
ttritu in puluerem reſoluitur. Hinc Hannibal *diſſoluit.*
quum Alpes ſibi peruias faceret, atque Italiæ inhi-
aret, feruenti aceto ſaxa diſſoluere ac diſſilire coe-
git alterius oculi iactura. tanta eſt enim ac tam pe-
netrabilis aceti vis, vt ſaxa corrodat, ac cõminuat,
cuius aliquando experimentũ feci in gemma atq;
vnione ſeu margarita, ſed non admodũ ſumptuo-
ſa, vt erat Cleopatræ Aegyptij reginæ, quam illa a- *Margarita*
ceto immerſam ac liquefactam (nam eius vis aſpe- *aceto mace*
ra in tabem margaritas reſoluit) abſorbuit. Simili *rata lique-*
ratione venenis reſiſtit, ac peſtilentis morbi con- *ſcunt.*
tagia repellit, ſic vt conſultè mihi facere videãtur,
qui graſſante morbo populari moderatum aceti
vſum ſibi familiarem reddunt. Diſſipat enim ac
diſcutit vitioſum aerem, & ſi quid in corpus hau-
ſtum eſt, prohibet humores infici ac putreſcere. Sic
qui venena ore emungunt, ac ſordida vulnera exu-
gunt, aceto acri os colluunt. Verùm illud ſtudioſè
obſeruandum eſt, ne nimius eius ſit vſus atque im-
modicus. nam cerebro ſiccitatem infert, ac ſom-
num excutit, quapropter aquę roſaceæ nõnihil ad-
miſceri iubeo, ac pauxillum vini Rhenenſis, croci-
que momentum: ſic enim minus incommodi ca-

put accipit. Eiuſdem ferè naturæ ſunt, parique effectu, quæ impenſè acida ſunt atque acerba, vt mala citrea, ſeu Medica, tum quæ vulgo Aurengia, & id genus pomi, quod ouali forma Limonis nomine paſſim innoteſcit, cui tam acidus ineſt, atq; exedentis naturæ ſuccus, vt ſi huic malo per horas aliquot aureum nomiſma inſeras, imminuto, acciſoque pondere illud eximi deprehendes. Vt autem iſta perfici contingit vi algifica, ac frigore penetrabili, quod æquè, ac calor, adurit: Sic Aqua ardens in præſeruandis rebus eſt efficaciſſima. Siquidem carnes ac piſculenta quæq; illa imbuta, à putredine tuta ſunt, ac vermiculis intacta. Cyminum verò, modò ne deſit illius copia, & Caros, vulgo Carui, poſt ſalem præſentanea ſunt in præſeruandis edulijs, ſi illis confricata recondantur, exiccandi ratione, adeò, vt illi, qui crebrò ijs vtuntur, palleſcant, atque exangues efficiantur, quòd humorem omnem natiuum depopulentur. Mel quoque, & quæ Syrupus dicitur ſapore melleo, licet nonnihil ad atrum deuergat, vt Paſſum quæ Aroba Hiſpanis dicitur, nonnullam etiam vim obtinēt præſeruandi, præſertim Ceraſa, pruna, perſica, vuas, omneſque fructus arbuteos: quod ipſum etiam in Omphacio, quæ Agreſta vulgo dicitur, expertus ſum. Omnium autem efficaciſſimè, ſi cuiuſque generis fructus in olla ſeriatim collocatos, eaque accuratè operculo obducta, ac pice ita oblita, vt nihil vel aeris, vel aquæ ſubingredi poſſit, in putei profundum demergas: elapſo anno omnia recentiſſima inuenies, ſaporiſque eximij. Cùm enim ab ambiente aere, omnique vitioſo halitu ſint remotiſſima, non eſt quî corrumpi poſſint. Humiditas ſiquidem omnia putredini obnoxia efficit, qua ſublata, inductaque ſiccitate, non facilè quid tabeſcit. Sic Merlucæ, quæ nobis Stockfiſch vocātur (nam

Limonis ſuccus corroſiuus.

Aqua ardens.

Cyminum.
Caros.

Mel.
Syrupus.
Paſſum.
Aroba.

Omphaciū
Veriugt.

Fructus puteis immerſi, atque in olla reconditi, diu cōſeruantur

Merlucæ
Stockfiſch.

Salpa

Salpa alius eſt ab illo piſcis) tum alij plerique vento indurati in aliquot annos aſſeruari poſſunt, quemadmodum & panis biſcoctus, qui nunquam muceſcit, quòd omnis humiditas excocta ſit: Intenſus itaq; calor atque frigus, quoniam ex æquo qualitatem ſiccam inducant, corpora ſeruant imputria. Hinc elice, quî fiat, vt hibernis menſibus, geluque rigido atque aſpero, minimo offenſaculo crus frangi ſoleat. Siquidem ex ambientis aeris ſiccitate os fragile efficitur ac rigeſcit, quum id flatu cœli humido, lenteſcat, ac flexile fiat. Quod ipſum etiam obſeruamus in candelis ex cera ſeuoque confectis. *Gelu opportunum ad crurum fractionē.*

Pallidæ mulieres rubicundis, macilentæ, obeſis magis ſalaces, magisq́; viri deſiderio pruriunt.

CAP. XXXVII.

MVLIERES illæ magis feruidæ ſunt, acreſque in Venerem, magisque auidæ explendæ voluptatis, quibus plus caloris inſitum eſt, quòd ferè vſuuenire ſolet pallidis ac macilentis, quæque ſubfuſco colore exiſtunt, habent enim illę partes genitales acri mordaciq́ue ſalſugine imbutas, quocirca irrigari humectariq; poſtulāt, atque hinc eſt, quòd æſtate fœminæ magis pruriāt, ac concubitū appetant auidius, cùm eo tēpore ijs calor augeſcat, flaccidus aūt fiat viris ac langueſcat. Qua ratione ruta, thimus, & pleraq; impensè calida libidinem in viris extinguūt, acuunt autem in fœminis. In illis ſiquidem humorem ſeminalem depopulantur ac deſiccant: in iſtis conſumpta ſuperuacua humiditate atque vligine, incaleſcit vterus, atq; ad libidinē incitatur. Quæ res efficit, vt vino, quod calorificū eſt, affatim impleri is ſexus cupiat. Obeſæ aūt & rubicundæ mulieres, quia affluenti humore perfuſæ *Fœminæ æſtate ſalaciores.*

perfuſæ ſunt, ſemenque genitiuũ dilutum habent, cupidine languida, magisque ſedata exiſtunt. Itaque delectum viros habere conuenit, nec cuiuis temerè ac præcipitanter dexteram inijcere. Quiſquis enim gracili atque extenuato corpore, vergentiq́; ætate ac deuexa, eam nactus eſt, quæ aſſidua prurigine vritur, quæque laſſata non ſatietur, carnificinam ſibi paratam meminerit, quę identidem incrudeſcit, ac magis magisque exaſperatur: Quum viro tanquam hirudo & ſanguiſuga continenter adhæreat atque affixa ſit, nec patiatur defeſſo atq; exhauſto vllas inducias conſtitui, aut tantiſper intermitti congreſſum maritalem dum vires collegerit, ac robur virile inſtauratum ſit.

An affluenter atq; auidè, an ſenſim ac parcius, nonnullisq́; interuallis vrgente ſiti, vel in menſæ accubitu bibendum ſit.

CAP. XXXVIII.

PRAECIPVA tuendæ conſeruandæq́; valetudinis ratio in cibi potusque temperantia ac moderatione conſiſtit. Quum autem aliâs de ſicco alimento ac panis eſu abundè à nobis tractatũ eſt, de potione, & quo cuique modo ac menſura eam adhibere conueniat, dicendum putaui. Principio ſanis non poteſt certò aliquid ac determinatè pręſcribi. Quandoquidem plerique diuerſæ potandi conſuetudini aſſueti ſunt, quam citra valetudinis iacturam ac detrimentum mutare nemini procliue eſt. Optimus ac ſecuriſſimus bibendi modus pro ſua cuique ætate, pro temporum ratione, pro inueterata inolitaq; conſuetudine, pro vini vehementia ac viribus decernitur. Sic potus vel vini, vel alterius liquoris ſitienti præſcribatur ad deſiderium redimendum, & vt cibus in ſicco ne ſit, nec fluitet,

ſed

ſed moderatè potu madeſcat. Subinde itaque, modicisque interuallis corpus potione refocillari debet, ac cibus ſuperinfuſo liquore identidem macerari, quo cõmodius peracta concoctione venas ſubeat, atque in corpus digeratur. Omnis ebrietas pręſertim iugis ac continuata Dioſco. teſte, pernicioſa, quoniam nerui copioſo vino diebus ſingulis obſeſſi dant manus, totiusque corporis compago ſoluitur. Quapropter moderatam eſſe decet omnis liquoris qui temulentiam infert, potationem, in eaque ſalſamentarios ac lanios nos imitari par eſt, qui vbi recondunt in fruſta conciſas carnium piſciumque partes ac ſegmenta, ſalſuginem per ſingulos ordines ac ſeries infundunt, digeſtaq; ſale condiunt. Sic nos quoque, modò valetudini conſultum cupimus, cibum decenti ordine ac quantitate ingeſtum, potu vbi res poſcat, irrigabimus. Inchoata autem cœptaq; concoctione ventriculum potu fatigare noxium eſt: interpellat enim ac remoratur naturæ facultates ac functiones, quibus operi inſiſtit, cibumque cõcoqui atque elixari prohibet. Vt enim ollæ ac lebetes deferueſcunt, atque ebullire deſinunt offuſa aqua gelida: ſic ventriculus affluenti potione turbatus ab incepta concoctione deſiſtit, ſeriusque munia ſua exequitur, ac minus exactè cibum concoquit, vt qui ante legitimum tempus inconcoctus, vel in venarum anguſtias, vel inteſtinorum laxitatem propellatur, quò fit, vt cibi vſus fructusque homini pereat, atque ex viſcerum obſtructione, quæ humorum putredinem inducit, morborumque ac febrium ſeminaria acciri contingat. Quod ipſum ijs quoque euenit, qui inter initia, primoque menſæ accubitu auidè ſe potu ingurgitant. Prolui enim confeſtim alimenta contingit, nec diu ſtomacho inhærere. Quamobrem conſultum arbitror inter edendum

Ebrietas Dioſcoridi deteſtata. lib. 5. c. 7.

Simile à lanijs.

Incepta cõcoctione potu abſtinẽdum.

Simile à re culinaria.

Senſim nõ auidè bibẽdum.

non

non confertim nec auidè, ſed ſenſim ac paulatim bibendum, quo commodè vtraque miſceri queant, pariq; concoctione perfici, illis præſertim, qui meatus amplos habent, venarumque conceptacula laxa. Qui verò ea vtuntur edendi conſuetudine, vt ad prandij medium à potu ſibi temperent, affatim bibere debent, quo potus penetret, ac per cibum vndiq; diffundatur. His quoque, qui ex febri æſtuant, potuq; refocillari geſtiunt, affluenter bibendum, verùm non impigrè, nec raptim: ſed ſenſim longoque ac productiore hauſtu. Sic enim ventriculum vbertim humectat, nec potus confeſtim in veſicam delabitur. Modicus ſiquidem potus nec ſitim reſtinguit, nec calorem reprimit, ſed magis adauget. Vt enim carbones foſſiles in fabrorum vaporario humentibus ſcopis ſubinde irrigati inflammeſcunt ardentius: Sic parciori potu accenditur, non ſopitur febrilis calor, maiorq; excitatur bibendi auiditas. Qui verò ex laſſitudine æſtuque ſiticuloſi ſunt, ijs ſenſim ac placidè ſedanda ſitis. Sic enim liquor magis adhæreſcit, omneſque partes aridas humore imbuit. Cæterùm huic argumento annectere viſum eſt, Illos qui vel ex febri hectica, vel phthiſi tabeſcunt, atque ex morbis extremè macilenti ſunt, cibum ſolidum magis cōmodè deglutire, quàm vllum liquorem. Pondus ſiquidem, cibique grauitas vias iugulares dilatat, meatuſque gulæ peruios facit, ſic vt minori negotio delabatur, quod potus efficere nequit. Cùm enim partes, ductuſque gutturis, qui huiuſmodi officijs ſunt deſtinati, collapſi ſint, ac ſubſederint, ſic vt latera vtrinque ſe premant, Potus propter tenuitatem, & quod nihil adferat ponderis, illos ægrè dilatare poteſt, atque inoffensè permeare, niſi bibant affluentius, hac ſiquidem ratione dehiſcunt fauces, ac potus defluit. Simile quiddam euenit,

Quibus affatim bibēdum.

Ab officina fabrili ſimile.

Cibum aliquando cōmodius, quam potū deglutiri.

uenit paralyticis, & qui apoplexia feriuntur. Spiritus enim cùm tenues ſint ac ſubtiles, non facile à cerebro ad neruos penetrant Quo fit vt motus ſenſusque illis eripiantur, humores verò, qui membra nutriunt, pondere ac grauitate viam ſibi ſternunt, aditumque ſibi ad partes corporis patefaciunt. Sic radij Solares caliginoſam denſamq; nubem diſſecare nequeunt, cùm grando facillimè id efficiat. Quocirca non eſt, quòd quiſquam miretur, qui fiat vt paralytica membra nutriantur, cùm ſentiendi mouendiq; facultate ſint deſtituta, per latas ſiquidem vias membra alimenta ſuſcipiunt, ſuaque craſſitie ſibi viam faciunt, quod ipſum ſpiritus, tenuitatis ratione, facere non poſſunt, nerui itaque orbati ſpiritu animali, membris motum ſenſumque adimunt, ſed ij per alias vias, quàm per neruos nutriuntur, nempe per venarum riuos ac ſanguinis conceptacula.

Spiritus nō æquè ac cibus, ad neruos penetrat.

Simile à Sole & grãdine.

Nerui motu & ſenſu prædíti.

Quæcunq; propere ac feſtinanter matureſcunt, vel iuſtam longitudinem aſſequuntur, celerius intercidunt, nec diutinam ætatem perferunt, quod infantes ac ſtirpium aliquot genera commonſtrãt.

CAP. XXXIX.

Vt in arboribus, omniſque generis ſtirpibus, quæ ſpectatiſſimè adoleſcunt, atque ante legitimum tempus, conſuetumque morem maturitatem aſſequuntur, citò intercidunt ac confeſtim elangueſcunt: ita quoque in humanis ingenijs & corporibus, ſi quæ naturæ dotes ac munera ſpecioſius maturiusque ſe proferunt, minus diuturna eſſe ſolent, ac feſtinantius dilabi. Nō ſubeſt enim ſolida vis, nec penitus firmis radicibus nituntur, eoq; non temerè ad frugem deueniũt. Sic infantes, qui

Ab arboribus ſimile.

citius

citius dentire incipiunt, vt ſunt, qui ex vteri latebris dentati prodeunt, celerrimè dentes excutiunt. Prima enim illa dentium ſeries ob neruorum, quibus deuinciuntur, molliciem minus ſtabilis eſt, minusque firmiter infixa. Similiter qui citius ingrediuntur, ac pedibus inſiſtunt, inualidis minusque firmis cruribus eſſe ſolēt. Contrà verò, qui tardius ſeriusque incedunt, ingreſſu vtuntur firmiori, minusque lapſanti. Quod ipſum etiam obſeruatū eſt in his, qui pręmaturè loqui, vocemque formare incipiunt; poſtmodum hæſitantius loqui, minusque articulatè ac ſignificanter proferre verba. Itaque melius eſt omnia cunctantius procedere, tardaque incrementa ſuſcipere. Siquidem cùm natura ſuas vires ac facultates cumulatius, quàm par eſt, in mēbra profūdat, efficitur, vt ætatis acceſſu deſit, quod illis impertiat. Quo fit, vt illæ partes deterius ſua munia ac functiones exequantur: vt quas nullis viribus aut alimenti confluuio fulciri contingat. In omni quoque ſtirpium genere ac fructibus obſeruamus ſerotina quæque diutius aſſeruari: quæ verò feſtinantius matureſcunt, flaccida vietaque fieri, ac putredini obnoxia. Celerius ſiquidem occidit feſtinata maturitas. Quocirca minus nobis probari ſolet in adoleſcentibus præcox & præmaturū ingenium, tum pleraque naturæ munia, aut corporis animique dotes, quæ præter vulgatam conſuetudinem, aut quàm ea fert ætas, præſtantius ſe proferunt. Tales enim minus vitales conſpici ſolent, morteque properata confici. Qua dę re exorta eſt Prouerbialis ſententia apud Belgas, Omnia feſtinantius procedunt, Het ghater al voor zijn taer alleene. Quo deſignant præter ſolitum, contraque communem temporis curſum, rerumq; ordinem ac rationem pleraque euenire aut perfici, deſumpta tranſlatione ab infantibus, qui necdum exacto anni

Præcocia citò euaneſcunt.

Serotini fructus diuturni.

Properata minus ſolida.

Prouerbiū triuiale in pueros præmaturè agiles.

anni curriculo pedibus inſiſtunt, nulliusque fulti adminiculo hinc inde diſcurſitant, quod poſtmodum languidè perficiunt, atque ab incepta incedendi conſuetudine deſiſtunt.

Alimenta aliquando vitiari, ac venenati aliquid contrahere ex beſtiolarum inſeſſu incubituq́ꝫ. Denique humanis corporibus ex diffuſis in illa ſordibus ſimile quiddam innaſci, nempe mures, ſorices, glires, ranas, rubetas, eiusq́ꝫ rei exemplum.

CAP. XL.

NON ſolùm vitioſi virulentique humores ex corruptis alimentis corporibus innaſcuntur: ſed præter aliquot lumbricorũ differentias varij quoque generis animalcula in viſcerum latibulis pullulant. Obſeruatum eſt enim noſtra memoria diſſecto mulieris cuiuſdam corpore, beſtiolas exemptas ſoricibus muribusque non abſimiles, quas natura ex ſordido aliquo excremento, quo alimenta erant imbuta, produxiſſe videtur. Calor ſiquidem natiuus in materiam illam elaborandam occupatus, non aliam ſpeciem, quàm pro ſubiectæ materiæ ratione effingere poteſt. itaque inſita vis naturæ ſui generis animalculum efformat, ac molitur: humida illa ſubſtantia opifici obſequẽte ac ſequaci. Compertum eſt enim animalcula domeſtica catellos, feles, mures, ſorices, qui nobis glires dicuntur, atque id ranarum genus, quod bufones vocant & rubetas, quum paſſim oberrant, cellasq; promptuarias depopulantur, aliquando excremento ſeminali commaculaſſe eſculenta, quæ quum homines à ſordibus non abluant, vel fructibus arbuteis putamina, membranasq; ambientes non adimãt, ex illa vligine, quæ cibarijs incumbit, dapesq; polluit,

Animalculorũ in corporibus origo.

Beſtiolæ ex ſordibus generatæ.

luit, ac fœdauit, tale quiddã progeneratur. Quod ſi ex putredine limaces, cochleæ, mures: ex fimo bubulo ſcarabei, fuci, veſpæ, ex aereo madore, humoreque roſſido erucæ, papiliones, formicæ, locuſtæ, cicadæ progerminant: cui abſurdum videri poterit, in corporibus hominum ex ſimili cauſa tale quiddã generari? præſertim quum efficacior hic ratio ſubſit, quæ huic rei cauſam prębet ac ſeminarium: Illa ſiquidē iam memorata ex putrilagine, non ſemine, licet illi facultate & viribus reſpondeat, cognataq́; ſit atque affinis, pullulaſcunt. Iſta verò, quæ in humani corporis latebris animantur, ex vitali humore, viuoq; animante profluxerunt Nõ itaque alienũ à ratione, aut anile videri debet hoc, quod tractamus paradoxũ, quum tam multa conſpiciamus αὐτόματα, hoc eſt, ſpontè, nulloq́; animãtis congreſſu ac concubitu enata, idq́; ex humore, quem circumfuſus aeris calor ſpiritu vitaque imbuit. Quàm numeroſa enim præter immenſos terrarum tractus ſpatioſiſſimi altiſſimiq; Oceani gurgites piſcium genera profundũt, atq; in hominum cõmoditatem vſumq́; proferunt? Nihil enim mari fœcundius, quod craſſioris ſit ſubſtantiæ, ac ſpiritu calorifico vndique ſuffuſum. In quo cùm multa ex ſemine, tum pleraque nullius paris complexu atque adminiculo propagantur. Sic teſtacea omnia primũ ex limoſa vdaque vligine naſcuntur, tum omnes lubrici piſces, præſertim anguillæ, quæ poſtmodum mutuo complexu multa ſui generis examina procreant. Aphiæ minutiſſimi piſces ex ſpuma maris apud Batauos copioſè generantur, vbi poſt diuturnas ſiccitates copioſi imbres ingruunt. Siquidē cùm oſtia Moſæ ac Rheni aſſiduo Oceani influxu ſalſeſcunt æſtiuis præſertim menſibus, flumina illa affluenti pluuia diluta atque irrigata piſciculis huiuſmodi vndique ſcatent, qui vbi gran-

Animalia ſponte, nulloq́; ſemine nata.

Quare mare piſcibus fœcũdum.

Aphiæ vulgo Spierinck.

grandeſcere incipiunt, inito complexu poſteritati inſiſtunt. Cùm itaque multa atque admiranda natura rerum, cuius vis Dei munere vndique diffuſa eſt, moliatur: nemo anile deliramẽtum exiſtimet, prodigioſa quædam in corporibus effigiari, cùm ligno vermiculanti ac carioſo, multisq; rebus inanimis teredines agilesque vermiculi innaſcantur, quod æſtate in caſeis, multisque edulijs perſpicimus, quæ vermibus vndiq; ſcaturiunt. Adde, quòd ex ſordidis hulceribus ac vomicis, vnguium, pilorum, teſtarum, oſſiculorũ, lapidum fragmenta exinantur, ex humorum putridorum concretu coacta. quin & vermiculos caudatos, atque inſolita forma beſtiolas vomitu eiectas nouimus, præſertim in his, qui morbis contagioſis oppreſſi erant, in quorum lotijs multoties innatare conſpexi minuta animalcula formicis affinia, aut ijs præſertim, qui æſtiuis menſibus in aqua cœleſti volutari conſpiciuntur, quorum nemo non morbo Neapolitano, lueque Venerea fœdè erat contaminatus. Huc itaq; ſpectat narrationis noſtræ ſeries, nequis incircũſpectè, nulloque delectu cibos ingerat ſordidos, nec ab ijs, quę foris accidunt, expurgatos, abluitosque. Quod cùm plebeij negligant, ſcabie & pruriginoſis puſtulis infici ſolent, multisque vitijs cutis affectibus deformari. Neque enim eo cõpiciuntur corporis habitu & conſtitutione, ea formæ dignitate, ijs naturæ dotibus, ea ingenij dexteritate, nec denique valetudine tam inculpata, qua patricij ac generoſi plerique, qui nihil menſę inferi patiũtur, ne panem quidem primarium, niſi extima cruſta accuratè deputata, ac deraſa reliquoq; eduliorũ apparatu exquiſitè decentique mundicie inſtructo. Quod ipſum non improbo, modò excluſo luxu omnia ad frugalitatem, victusque temperantiam referãtur. Ita enim inſtitutã habere decet

Apoſtemata rudera ac pilos profundunt.

Sorte wormen aqua cœleſti æſtate innaſcuntur.

In victu mundicies ſalubritatĩ deuincta.

vitæ victusque rationem Proceres aulicos, vt omnia ad ſalubritatem, ad decus, ad honeſtatem moresque inculpatos ſpectent ſic, vt fortunæ ſplēdor rerumque ſucceſſus, atque affluentia, quæ Dei opt max. munere obtigit, non luxui ac profuſioni, ſed moderationi ac temperantię ſubſeruiat. Quale exemplar ijs exprimit Inuictiſſ. Hiſpaniarum atqu Angliæ Rex totiusque Belgicæ illuſtriſſimus Princeps Philippus, qui propter ampliſſimas naturę dotes, diuinum quoddam virtutis ſimulachrum mortalibus exhibet. Cuius maieſtati ac magnificentia adiumento ſunt tot prǽſtantiſſimi heroes, quorum auctoritate & conſilio florentiſſima regna, vltroq oblatæ à parente optimo Carolo Cæſare latiſſima ditiones ſtabiliuntur.

Philippi regis laus.

Solis lunæq; vis & natura in conſtituendis excitandisq; tempeſtatibus. Quid denique auræ, aerisq mutatio in corporibus animisq; hominum ac ſpiritibus efficiat. Obiter vnde Oceani fluxus refluxusq; ac reciprocatio, quæ diei naturalis ſpatio bis conficitur.

CAP. XLI.

Solis & lunæ effectus in inferiora.

CERTA minimeque ambigua ſerenitatis, vel pluuiæ, ventorumque ſigna exhibent Solis Lunæque radij, qui varios ſubinde colores ſibi adſciſcūt vel ex ſitu loci, cœliq; ambitu, quem permeare ſolent, vel ex obiecti natura, vel re quapiam illis offuſa: quos ſi accuratè obſeruarent, qui imperitæ rudique plebi atque aniculis prognoſtica obtrudūt non ita hallucinari illos ac cæcutire contingeret nec credulam turbam vana ſpe ludificari. Ex his enim indubitanter prænūciari poſſunt imminentes tempeſtates ac turbines, & quis futurus ſit cœl ſtatus, ex quo vel vberem rerum copiam & prouentum,

rum, vel penuriam cōſequimur, multaq; alia, quæ eleganti carmine cōplexus eſt Virgilius: qui quum fuerit in rerum cognitione verſatiſſimus, omniaque naturæ opera exactè ſit perſequutus: animos quoque hominum aliqua ex parte illorū viribus effectibusque ſubijcit. Siquidem pro temporis ratione, pro occaſu ſiderum, pro aeris ambiētis qualitate ac quadripartita anni viciſſitudine homines aliter afficiuntur, alioque modo cōſtituti ſunt. Sic cœlo nubilo, auraque denſa ac caliginoſa tetrici homines exiſtunt, ac ſubtriſtes, ſomnoque dediti. Sereno verò cœli ſtatu, verniſque menſibus, quum omnia frondeſcunt, alacres ſunt atque erecti, rebusque iocoſis intenti. Diſcutit enim humorum fuliginem, craſſosque ſpiritus, qui mentes noſtras obnubilant, aeris amœnitas, ſpiritusque exhilarat, atque animo lætitiam inſerit. Quod venuſto hoc carmine expreſſit Virgilius:

Virgilij laus ob rerum cognitionem.

Status cœli animos immutat.

Li. 1. Geor.

Verùm vbi tempeſtas, & cœli mobilis humor
Mutauère vias, & Iupiter humidus Auſtris
Denſat, erant quæ rara modò & quæ tarda relaxat:
Vertuntur ſpecies animorum, & pectore motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt, hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Exiliūt enim paulò antè cohibiti ſpiritus aura placida ac ſuaui, ſpiranteque Fauonio recreantur. Vt enim fumi ac vapores reſeratis ædibus, oſtijsq; patefactis, immiſſo vndique aere, atque externis flatibus diſſipari ſolent, omnesque porticus ac veſtibula ſitu pedoreque obducta perſpirari: Ita in corporibus humanis omnes graues halitus, & ſiqua corpori mephitis inhæret, aut mœror animi, diſcuti contingit atque euentilari. Itaque non internæ modò cauſæ, inſitique humores ad ſanitatem vel morbum ſunt adiumento, ſed externi quoque ſi-

Simile ab ædibus ſituoſis.

derum concurſus, atque aeris auræque cõſtitutio, ac ventorũ qualitas, varias ſubitaſque mutationes hominũ corporibus inferunt, quod ſingulis momentis in ſe quiſq; experiri poteſt.

Corpus aeris conſtitutioni obnoxium.

Quis eſt enim, vt animorum affectus præteream, qui imminente tempeſtate aliqua, aeriſque intẽperie, triduo etiam antequam ingruat, puncturas in mẽbris non percipiat, ac dolores pulſatiles, neruorum cõtractiones, palpitationes, affectusq; alios dolorificos, non perſentiſcat? Claui ſiquidem, calli, verrucæ, cicatrices, glandulæ, nodi, denique ſiquid luxatum, ruptum fractum, conuulſum, ſolutumque fuerit in aliqua corporis parte, omnia futuram tempeſtatem præſagiunt, quod non ſine acerbiſſimo cruciatu ijs potiſſimè vſuuenire ſolet, qui aliquid latentis occultiorisque morbi ex ſcortorum contagio contraxerunt. hi enim vbi venti rigidi ſpirare incipiunt, doloribus promptius infeſtantur. intenduntur enim nerui, ac rigeſcunt muſculi, agitatiſque vitioſis humoribus, qui membris infixi ſunt, acerrimè cruciantur.

Valetudinarij auræ mutationẽ percipiunt.

Subeſt enim illis partibus intemperies quædam tempeſtati externę cognata ac familiaris, quæ carnificinam quandam in intimo membrorum receſſu exercet. Qui verò inculpato ſunt corporis habitu, firmaque valetudine ac ſtabili, nihil incommodi, nulloſque affectus ſentiunt.

A nauibus quaſſatis ſimile.

Vt enim ſutiles quaſſæque naues ac rimoſæ, citius tempeſtati ſuccumbunt, ita morboſa corpora, quique vacillanti ſunt ac dubia valetudine, omnibus expoſiti ſunt iniurijs, omnibuſque obnoxij incommodis. Siquidem oborta vel leuiſſima aeris intemperie, dolores illis intenſos inferri contingit, aut vbi Sol ac Luna inferioribus aliquam mutationem inducunt. Hę enim ſidera præ cæteris vires ſuas non in humana modò corpora, ſed in terrena quæque exerũt, quorum vis tanta eſt, adeoque ſe in immenſum porri-

git, v

git, vt quæcunque cœli ambitu continentur, ſuum ordinem, ornatumque ac decus ex ijs capeſſant ac conſequantur, omniſque rerum ſeries, atque anni tempora horum arbitrio decurrant. Et quanquam ſuperiorum aſtrorũ potentia non ſit inefficax, Solis tamen beneficio maxima quæque perficiũtur. Is enim hunc orbem præcipuè exornat, omniaque cõcinnè diſponit ac moderatur. Huius opera propagantur ſata, ac fruges matureſcunt, cunctaq; incrementa ac progreſſus ſuſcipiunt. *Solis & lunæ vis in res inferiores.*

Atq; in ſe ſua per veſtigia voluitur annus. *Georg. 2.*

magna ſanè & Lunæ opera in rerum natura apparent: verùm Solis effectibus poſteriora. Solis enim beneficio illa fruitur, lucemque ab illo ſortitur, ſic vt tanta illius pars illuſtretur, quantam Sol ſuo ſplendore irradiat: deficit autem lucisque expers redditur, vbi terræ interuentu lux illi intercipitur. Tunc autem potiſſimè in terrena vires ſuas explicat, cùm vel Soli ex aduerſo oppoſita impletur, atque orbiculata efficitur, vel vbi primum illi coniungitur. his enim dierum ſpatijs augeſcunt ſegetes, conchilia turgeſcunt, venæ ſanguine, oſſaque medullis implẽtur. Quo fit, vt concubitus ijs temporibus minus officiat. Et quoniam omnia humore imbuit, fit vt carnes radijs illius expoſitæ tabeſcant, atque homines ſomno vinoque ſopiti, pallorẽ capitisq; grauedinem contrahant, ac morbo comitiali afficiãtur. relaxat enim neruos, ac cerebrũ plus ſatis humectat, mentique vi algifica ſtuporem infert. Oceani quoque æſtus excitare, cauſamque reciprocandi illi præbere, non eſt, quod quis ambigat. Siquidem cùm perſpicimus ſilenti atque obſcura Luna, eaque vel medio orbe diſſecta, vel in cornua falcata, ſiue augeſcat aut minuatur, nullos propemodum fieri aquarum concurſus, nec in vllam altitudinem attolli Oceanum, quæcunque *Oppoſitio pleniluniũ, cõiunctio nouilunium facit.* *Aeſtus Oceani cauſa.* *Luna mare concitat.*

etiam littora alluit: Rurſum vbi cum Sole congreditur, atq; innouari incipit, aut in orbem circumducta plenè conſpicitur, maximos excitari æſtus, fluctusque attolli in immenſum: quis aliò, quàm in Lunæ motum fluxum refluxumque Oceani referat? Vt enim magnes ferrum allicit: Sic ſidus hoc terræ proximum, mare attrahit, concitatque. Nam cùm Luna oritur, Oceanus circa illas plagas deuoluitur, nempè Orientales, parteſque Occidentales deſerit: quando verò ad occaſum vergit, in illis partibus crebreſcunt fluctus, in ijs verò, quæ ad ortum ſpectant, detumeſcunt, idque affluentius vel parcius pro incremento defectuque lucis, quam lunares radij exhibent. Quòd ſi cui libeat in Oceano Gallico, noſtroque mari, quod ſe ad Septētrionem porrigit, locorum tractus ac ſpatia oraſq; regionum metiri, & quos æſtus littora perferant obſeruare, luce clarius perſpiciet, omnia Lunæ motu aſpectuque perfici. Vbi enim hoc ſidus exoriens diuerſas plagas ac climata colluſtrat, curſumq; ſuum per cœli meatus proſequitur, eò æſtũ fluxumque edirecto deferri contingit, quò radios dirigit, & quas terræ partes ac littora ex aduerſo ſibi oppoſitas reſpectat. Vt enim Sol ex humenti gramine humorem elicit, multamque aquæ vim ex mari, ſtagnis, paludibuſque abſorbet, vnde pluuiarũ origo exiſtit: Vt denique multæ herbæ, quæ hinc Helitropia dicuntur, Solis vi ac calore, qui humorem allicit, circumaguntur, eiuſque iter ab ortu in occaſum expanſis patuliſque floſculis comitantur: Ita Lunæ vi Oceanus modò in hoc, modò in illud littus impellitur, eoque ſe inclinat, atque in illam oram decũbit, quò ſidus feratur. Cuius rei aliquod dabo ſpecimen, ac quorundam locorũ, vrbiumq; ac littorum, quæ mare alluit, exempla proferam. Principio quò omnia exactè percipi queant, hoc

Simile à Magnetis Vi.

Simile à Solis Vi attractoria.

axioma ſeu pronunciatum ſubijciendum putaui: Lunam ſemper auerſis à Sole cornibus, ſi creſcat, ortum ſpectare: ſi decreſcat, occaſum, quæ triduo plerumq; in coitu morata demum luceſcit, ac falcata emicat. Singulis verò diebus ab incremento à Sole remotior ad ſeptimum vſque augeſcens medio orbe diuiſa ſpectatur, eaq; pars illuſtratur, quæ ſoli in Occidentem delato opponitur, illa opaca, quæ Orienti obuerſa eſt. Semper enim Luna creſcens Solem occidentem ſequitur, ſupraq; noſtrum horizonta conſpicitur. Vbi verò decreſcit, Solem præcedit, illique præuia eſt, ac ſupra horizonta antelucano conſpicitur, ea ſemper parte illuminata, quæ Solem reſpicit: eoque efficitur, vt pars incurua atque in cornua falcata, ſemper à Sole auerſa ſit, globoſa verò atque in gibbum ſinuata, aduerſa, ſoliq; expoſita. Quarto autem & decimo die, cùm ex diametro Soli oppoſita eſt, plena perficitur, ipſaque oritur, vbi Sol in Occidentem declinat. Quò fit, vt vndique illuſtretur, ſolisque ſplendorē quaquauerſum recipiat. Decimoſeptimo die cùm Sol oritur, Luna in occidentem depreſſa conſpicitur. Altero & vigeſimo die Sole emerſo Luna medias ferè cœli regiones peruagatur, eaque pars, quæ ad Solem fertur, lucida eſt obſcuratis reliquis. Deinceps cùm ſingulis diebus curſum ſuum proſequitur, octauo & viceſimo demū die & tertia eius parte, ſeu horis octo, totum ſigniferi circulum abſoluit: atque vt annum Sol, ita Luna menſem cōficit immutatione per ſeptimanas illi accedente. nam vtrumque tempus & poſt primam apparitionem in dimidium orbem accreſcit, & quo inde plenum efficit, atque in rotundum circinatur, ſeptem diebus abſoluitur, qui geminati quatuordecim conſtituunt. Simili modo ſi inde cum æquali portione diuiſa eſt, ad ſecundam diuiſionem eiuſmodi

Luna decurſus.

rationem ſubduxeris, & hos dies reliquoſque cùm planè ob oculos Luna declinata eſt, ſeptē inuenies. Quare menſem à Luna immutari perſpicuum eſt, quā vim illa à Solis aſpectu conſequitur, ex ſe nullis facultatibus ac viribus imbuta. Vbi verò cū Sole congreſſum init, aut vndique ex oppoſita face illuſtratur, vehementes mutationes terræ marique inferuntur, argumento, quòd ventos impetuoſos excitet, crebriſque fluctibus littora pulſet. Obſeruatum eſt autem noſtra memoria minimo annorum interuallo iam quartum excreuiſſe in immenſam altitudinem Oceanum, totamque Belgicam diſſipatis diuulſiſque aggerum molibus miſeranda clade oppreſſam, idque hibernis menſibus, quibus vis Lunæ in concitandis fluctibus, ciendiſque tempeſtatibus, quàm æſtiuis acrior, ſic vt ſemper aquarum concurſus ac redundantia vel in nouilunium, vel plenilunium inciderit, illæque regiones, ac climata omnium primo dāno oppreſſa ſunt, in quæ aſpectus influxuſque ſideris proximè ferebatur: mox cùm alijs littorib⁹ ſe obuerteret, illis quoque aquarum violentia atque inundatio illata eſt. Hinc Flandri Oceani ſæuientis incommoda primùm ſentiunt, ac periclitari incipiunt, proximò Mattiaci, qui Zelandiæ inſulas occupant, mox Brabanti, ac modò hi, modò illi portus, fidæq; alioqui ac tutæ nauium ſtationes vndarum vi premi ſolēt, ſideris motu in certos regionum tractus conuerſo. Exaſperāt quoque maris ſæuitiam Cori ac Circij, qui ex ſolſtitiali occaſu impetuoſiſſimè in terras decumbunt, marinaſque aquas longè lateque in continentem prouehunt, ſic tamen, vt modò in hanc, modò in illā terræ partem volui fluctus contingat, ac ſubeunte quaque regione ſuas vices pro locorum diſtantia atque interſtitio, celerius tardiuſque æſtum concurſumque maris perpeti. Quę vt cui-

Menſis à Luna Belgis nomen accipit.

Luna quādo tempeſtates concitat.

Inundationes ineūte hieme incrudeſcūt.

Circius. Noordweſt.

vt cuique exactè innoteſcāt, rem paulò altius repe tam. Quo die Luna noua conſpicitur, quæ ſemper Occidenti incumbit, quòd eò Sol inclinet, cuius fulgore ſplēdeſcere incipit: & quo plena efficitur, eodem æſtus excitari diffundiq; obſeruamus, portuſque primū vicinos ad certam altitudinē impleri, ac deinceps verſus Orientem ad obuia quæque loca deferri, ſic vt ſubſequentibus diebus hora vna tardius ſegniusq; Oceanus moueri incipiat, quòd ſidus indies ab illo fiat remotius, ac verſus meridiē ortumque elatū à Sole longius recedat. Verbi gratia, Portum Ictium ſiue Caletum, tum Sluſas, quæ vrbecula eſt in Flandriæ confinibus ſita, Brugis cōtermina, noua plenaque Luna ſummo æſtu implet hora plus minus vndecima, ea parte illuſtrata, quæ in Auſtrum reflexa eſt, Arnemudæ ac Mettellibürgi tractus hora ſecunda ſeu noctis ſeu diei, Ziriżeæ hora tertia, Luna in occaſum brumalem ſeu hibernum conuerſa, à quo Africus flat, & Sol Capricornum ſubit, Bergis ſeſquihora aut duabus ſerius, Antuerpiæ ac Dordraci Luna inclinata in Aequinoctialem occidentem, à quo Fauonij ſeu Zephyri ſpirant hora propemodum ſexta, Mechliniæ octaua, ſic tamen, vt modò tardius, modò properantius mare influat, aere vel tranquillo, vel ventis incitato. Et cùm ſex horarum ſpatio verſus occaſum fertur, totidem horis refluit ac ſubſidit, vſque dum ſidus noſtrum cōſpectum egreſſum ijs oriatur, qui aduerſum nos vrgent veſtigia: tunc ſiquidem denuo exæſtuat. Cùm verò Luna mediæ noctis lineam attigerit, indeque ad noſtrū hemiſphæriū deuenerit, rurſus in ſe fluctus reſidūt. Itaque obſeruandi locorū ſitus, & ad quā cœli plagam ſpectent, metiendique regionum tractus, atque ijs aſſurgentis labentiſque ſideris curſus accōmodandus. hac enim ratione procliue admodū erit, cuiq; regioni

Oriens Occidenti obuertitur.

Africus. Zuydtweſt.

regioni fluxum refluxumque aſſignare. Cæterùm nequis cornua ſpectanda ſibi perſuadeat, cùm ab illa parte nullos affectus obtineat, ſed gibbam deuexamque, quã Sol illuſtrat, ea ſiquidem pars, quę ſoli terræque obuerſa eſt, aquam allicit, illosq; portus ac ſtationes maris affluxu implere ſatagit, quos e directo ſplẽdore ſuo irradiat. Eò ſiquidem Oceanus confluit, quo Lunares radij impellunt. Interim hæc meminerint, qui nauigio iter aliquo inſtituunt, cùm Luna oritur, ac ſe primùm in noſtro hemiſphærio conſpiciendam exhibet, ſi pars, quæ à Sole illuſtratur, in ortum radios reflectat, in his terrarum partibus, quæ in Ortum vergunt, fluctus in ſummum excreuiſſe: rurſus ſi Auſtro, vel Occidenti ſe obuertat, illæ partes æſtum perferunt, exhauſtis exiccatisque Orientis. Itaque ſi quis ab ortu vel æquinoctiali vel Brumali, à quo Euronotus & Subſolanus ſpirant, in occidẽtales regiones properat, alto mari, ſummoque æſtu in tractus inferiores deuehi tempeſtiuum erit. Verbi cauſa, A Mechlinia, Antuerpia, Dordraco, Bergis, Breda, Boſcoducis, Delphis, Gouda, & ſi quę loca vlterius ſita ſint, pleno iam iamq; refluxum minitante mari, nauem conſcendere expedit. Econtra ſi quis ab Occidente verſus Auſtrinos ſinus tractusque Orientales curſum inſtituit, portu vacuo, æſtuque aduentante, ac remeantibus fluctibus in altum deferri debet, ſic vt pro locorum ratione obſeruet Lunæ decurſum, & in quas cœli plagas ſe reflectat, quasque oras ac portuum ſtationes reſpectet.

Aſpectus Lunæ portus æſtu implet.

De Lactucæ natura ac viribus, & quibus illa proſit vel officiat.

C A P. XLII.

Quibus retũditur lactucæ frigiditas.

LACTVCA in acetarijs frequentius aſſumpta, niſi erucam ac naſturtium, tum quæ Ptarmicę

prorſus

prorſus affinis, Dragon vulgo dicitur, admiſceas, oculis officit, ac caliginem infert. incraſſat enim denſatque ſpiritus viſorios, atque humorem Cryſtallinum turbidum efficit, niſi vino eius vis retundatur. Veteres hanc non initio cœnæ, nec primis menſis inferebant, ſed poſtremò: quod Martialis indicat:

Lactuca ante aut poſt cænam ſumenda.

Claudere quæ cænas Lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Quod ipſos non citra rationem factitaſſe cenſeo: cùm enim frigidæ humentisque ſit naturæ, à cœna aſſumpta efficacius ſomnum conciliat, viniq́ue feruorem reprimit, atque ebrietati obſiſtit inducta cerebro humiditate. Nóſtra verò ætas ſalubrius exiſtimat ab eius eſu cœnam auſpicari. Siquidem cùm ex prolixiori prandio exigua ferè eſſe ſoleat ad cibum auiditas, mos inoleuit, vt in ipſo ſtatim accubitu faſtidienti ſtomacho lactucis oleo acetoque conditis appetentia excitetur. quin & illum vſum lactuca præbet, vt ante omnem cibum in venas delata ſanguinis feruorem reprimat, atque hepatis cordisque calidam intemperiem mitiget, adeò, vt immodicus eius vſus Venerem coërceat, ac concumbendi deſiderium extinguat, vt cucumeres, pepones, portulaca, caphura. Quamobrem affluentius ijs præſcribenda, qui cœlibatui addicti ſunt, ac pudicitiam illæſam tueri cupiunt, quo prurire vtique deſinant: ijs verò, qui matrimonij capiſtris ſunt alligati, non prorſus reſpuendus eſt eius vſus: cùm cerebrum illorum aliquando ex immoderata Venere contingat ſicceſcere. Verùm calorificis herbis retundi debet eius frigiditas, ne ſemen genitale plus ſatis diluatur, atque ad progignendos liberos fiat inefficax, parumque idoneum.

Lactuca quibus ſ[?]ui.

De

De Hippolapatho herba, vulgo patientia.

CAP. XLIII.

Oxalis. **zurckel.** *Hippolapathi deſcriptio.*

CVM multa ſint Rumicis ſeu Lapathi genera; duo potiſſimè in eſum expeti ſolent, Oxalis, vulgò Acedula vel Acetoſa dicta, quæ in acetarijs appetentiam acuit, ac nauſeam diſcutit, tum à magnitudine Hippolapathon. Eſt autem olus culmoſum, folijs amplis ac prælõgis, caule vbi maturuit, rubicundo, radice flaueſcenti. Eius eſſe facultatis hanc herbam experior, vt carnes atq; edulia quæque quamlibet annoſa ac peruetuſta hac elixata tenereſcant, atque eſui reddantur apta. Cùm enim lubricæ ſit humentisque naturæ, duriſſimã etiam vel bubulam, vel gallinaceam mollit ac macerat. Quocirca apud veteres frequẽs eius vſus erat, quòd cibos concoctu faciles præſtet, aluumque molliat. Eiuſdem cum hac facultatis eſt Atriplex, & quæ à ſpinoſo ſemine Spinacia dicitur, Lampſanæ Dioſcoridis affinis, quam deſignaſſe puto Martialem, cùm inquit:

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis.

Epod. lib. od. 3.

Denique Horatium,

——— Lecta de pinguiſsimis,
Oliua ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluæ ſalubres corpori.

De Saliuæ hominis effectu.

CAP. XLIIII.

Saliua vis & effect⁹.

SALIVA ieiuni præſertim hominis nulla cibi potusq; qualitate diluta qua vi polleat, quibuſq; viribus imbuta ſit, varia experimenta commonſtrant. Nam lichenas, mentagram, impetiginem, variolas, ſerpiginem, omnisque generis puſtulas abſtergit. Et ſi cui parti corporis virulentæ beſtiolæ inſe-

læ inſederint, crabrones, ſcarabei, bufones, araneæ, tum aliæ pleræque, quæ ſuo contactu tumores dolorificos, atque inflãmationes inferunt, illius confricatione omnes affectus ſubſidunt ac diſcutiuntur. Inſuper & ſcorpios interimit, aliasque venenatas beſtias conficit, aut ſaltem inſigniter lædit. Inſitum eſt enim illi latens quoddam virus ac venenoſa qualitas, quã partim à dentiũ ſordibus atq; vligine, partim ex humoribus vitioſis cõſequitur. Ad os ſiquidem ac fauces fumi ex his emanant, ac ſputum aliena qualitate imbuunt, quò fit, vt non nunquã ſaporem amarũ, vel acidum, vel ſubdulcem ſaliuæ ineſſe percipiamus, quemadmodum & ſudori. Atque hinc eſt, quòd ieiunis os impensè olidum exiſtat, atque halitus graueolentia obuios quoſque feriant inficiantque. Reſtagnant enim euaporantque è corpore, tanquam ex palude quadam limoſa vapores tetri atque inſuaues, qui cùm veneni naturam obtineant, ſaliuæ fontes vitiãt. Eſt aũt liquor hic, qui ori innatat, linguamque humectat, ac cibũ irrigat, nihil aliud, quàm pituitoſum quoddam excrementum, quod in ventriculo ex alimentorũ ſucco conceptum, ad cerebrũ defertur, atq; hinc ad linguã faucesq; corriuatur. Quò fit, vt quibus ſtomachus pituita redundat, os quoq; ſaliuoſum ſit, atque humore immodico perfundatur: quibus verò præcordia æſtuant, ac febrili calore torreſcunt, lingua omni prorſus humore deſtituta eſt, atque vt terra nimijs ſolis ardoribus adusta, finditur. Cùm itaque ſaliuæ qualitas effectuſque ex humoribus emergat (ex illis ſiquidẽ illã naturæ facultas elicit, vt ignis ex herbis ſtillatitiũ liquorẽ) facilè iniri ratio poteſt, quare tã prodigioſa efficiat, rebusque nonnullis perniciem adferat. Quod ſi ſani hominis ſaliua ad multa percipitur efficax, adeò, vt non modò animalcula quædã, ſed argen-

Sudor & ſaliua ex humoribus vim ſortiũtur.

Saliua quid.

Quibus os ſiccum vel vdum.

Simile ab herbis diſtillatis.

argentum viuum extinguat, atque mobilitatem illi eripiat: quid de ijs ſtatui debet, qui elephantiaſi ſeu lepra, ac morbo Neapolitano, alijsque contagioſis morbis ſunt contaminati? Equidem noui complures, qui puſtulas atque exanthemata contraxerunt, admotis ori cyathis, quibus infectorum ſaliua adhæſerat propter lentorem & venenatum limum, qui dentibus adhæreſcit, ſic vt ea ratione omnis animalium morſus pernicioſus ſit, licet nerui aut muſculi illæſi ſint, ob ſaliuæ contagionem.

Leproſorũ ſaliua noxia.

De vſu lactis, de coloſtro ac cremore, illud Belgæ bieſt, *hunc* room, *indigetant: Tum quæ hæc coagulari in ſtomacho prohibent.*

C A P. XLV.

VSVS lactis non omnibus æquè ſalubris: ſiquidem qui frigidiore ſunt ventriculo, ijs aceſcit, ac præcordia flatibus diſtendit: qui verò calidiore corporis temperamento exiſtunt, ijs aduritur, atque in nidoroſos halitus effumat, capitiq́; grauedinem adfert. Et cùm lac eius ſit naturæ, vt calore denſeſcat ac ſpiſſetur, frigore liqueſcat: fit vt in æſtuanti ſtomacho promptius coaguletur, quod ipſum nulla re inhibetur efficacius, quàm melle vel zaccaro, ſalisque momento. Cæterùm cùm pleroſque nouerim ex coagulato lacte, eoque in grumos concreto, ſtrangulatos, ſpirandi meatu, oborto vomitu, intercluſo, inconſultè mihi facere videntur laſciuæ aliquot adoleſcentulæ, prociq́; petulci, qui in pomeridianis ſympoſijs coloſtris ac cremore, alijsque lactarijs ſe infarciunt, nec ea vino affatim perfundere verentur maximo valetudinis detrimento. Vinum ſiquidem coaleſcere facit lac, atque in caſei conſiſtentiam conglobari, quo cùm offendatur ſtomachus, ac repugnantia elabo-

Lac quibus vtile.

Lac calore inſpiſſatur, liqueſcit frigore.

Vinum & lac cõmixta vitioſa.

elaborare ac concoquere nequeat, omnia ad putredinem deuergunt, magnarumq; ægritudinum ſeminaria miniſtrant. Sic piſces ac lac, omniaque acida lacti admixta, vinoque perfuſa, ſcabiem ac lepram conciliant. Omnia enim impromiſcuè ſic ingeſta, computreſcunt, ac corruptioni efficiuntur obnoxia. Coloſtris, quæ fœtante enixaque boue in delicijs habent ganeones, nihil homini nocentius, adeò, vt infantibus etiam triduo à partu lac maternum deguſtaſſe pernicioſum ſit, ac tantum non lethale. Coit enim ac craſſeſcit in corpore, venaſq; ac ſanguinis riuos obſtruit, quò minus commodè atque inoffensè poſſent alimenta permeare. Lac autem tum ſanguinem concretum diſſoluit, cyminum, oximel & acetum ſcilliticum, angelica, oſtrucium. *Lac piſces corrumpit. Coloſtrum. Bieſt.*

Podagrici cur ſalaces, atque in Venerem proni, & quotquot in dorſum decumbunt, duroq; cubili innituntur.

CAP. XLVI.

QVI articulari morbo obnoxij ſunt, magna ex parte ſalaces eſſe ſolent, atque impenſius prurire, partim quòd ex diutina aſſuetudine illi rei aſſueuerint, cuius immoderato vſu is morbus contractus eſt: partim quòd identidem ijs nerui rigeſcãt atque intendãtur, crebróque in dorſum decubitu humores ad partes genitales confluant. Pari ratione qui frequentius equitant, tum qui nauium tabulatis incumbunt, atque in dorſum proiecti durius cubant, in rem Veneream proni ſunt ac procliues: incaleſcunt enim nerui, qui ad partes generando homini deſtinatas porriguntur, ſic vt ex agitatione, influxuque humorum lumbos incitari contingat, ac tentiginem ſuboriri. Eadem ratione euenit, vt ſi quis offendat collidatque pedis polli- *Plus nimium ſalaces podagrici.*

cem, confeſtim ex huiuſmodi affectu inguen intumeſcat, ac ſcrotum, hoc eſt, rugoſum illud teſtium inuolucrum condoleſcat conſenſus ratione, atque ob neruorum venarumque implexam ſeriem. Vt enim ſi quis forcipem aut ferramentum aliud calenti ignitoque foco immittat, non ſolùm pars igni inſerta igneſcit, ſed etiam ab igne remotior ita plerunque incaleſcit, vt contrectari nequeat: ita membris edirecto conſtitutis dolor infertur, affectusque morbidus vicinis partibus communicatur. Sic à ventriculo, inteſtinis, vtero, ſplene, hepate caput afficitur, atque ediuerſo cerebro læſo, aut intemperie aliqua affecto, in ſubiectas ſubditasq; partes malum deriuatur. Atque hinc eſt, quòd obſtetrices, licet huius cauſam ignorent, explorare ſoleant in puerorum morbis genitale, illiq; affixos teſtes, ex quorum obſeruatione etiam adulti cõcipere poſſunt, indubitata vel ſalutis, vel interitus, deniq; aduerſæ ſecundæq; valetudinis indicia. Si enim teſtium loculi flaccidi ſint ac langueſcãt, eorumque appẽdix deprimitur, facultates naturales concidiſſe, omnesque vitales ſpiritus, qui vitã fulciunt, collapſos eſſe argumento eſt: Sin corrugatę erectæq; ſint abditæ illæ partes, ac mẽtula rigeſcat, omnia fore ſalua denuntiant. Cæterùm quò euentus exactè pręſagio reſpondeat, obſeruandũ, in qua corporis parte morbus conſiſtat. Si enim in morbis cerebri, & qui ſupra diaphragma ſeptumque tranſuerſum conſtituti ſunt, propendẽt, ac flacceſcant genitalia, ſalutare eſt, vt econtra cõtracta eſſe ominoſum. intermoritur enim facultas vitalis, ac nerui ad ſuam originem conuelluntur. Obſeruaui autem in multis conſtante etiam mente, vigenteque ratione ita contractos teſtes, ac penẽ virilemq; peſſulum reſilijſſe, vt lotium redditurí illius adminiculo eſſent deſtituti. In omnibus autem affectibus,

A re fabrili ſimile.

Partes genitales vel ſecũdæ vel aduerſæ valetudinis ſunt indices.

Teſtes flaccidi vel erecti, quæ valetudinis argumẽta præbeant.

Cerebri & hepatis affecti præſagium ex teſtibus.

bus, qui infernas partes occupant, auſpicatum eſt, teſtes eſſe corrugatos, pudendumque ſubrigidum. Genitalia reualeſcere enim hæc indicant illas partes, quę naturalibus facultatibus ſubſeruiunt, atque ad obeundas functiones ac munia denuò accingi, nullæ ſiquidem corporis partes citius reuiuiſcunt, diſcuſſoque morbo vegetas ſe præbent, atque erectas, quàm quæ naturæ parens in occulto conſtituit.

Genitalia ex morbo primũ reuiuiſcunt.

An exanthemata ac pueriles variolæ, quæ vulgò Maſelen *dicuntur, vino rubro exigi expugnariq́ʒ poßint, deniqʒ lacte bubulo, quæ à mulierculis exhiberi ſolent, cùm huiuſmodi puſtulæ effloreſcant.* C A P. XLVII.

IN morbis, qui in ſanguinis ebullitione atque inflammatione conſiſtunt, diaphoretica ſeu diſcuſſoria exhibẽda, quæq; humores attenuent, quò commodius per corporis meatus ac ſpiracula queant expugnari, non eſt, quod quiſquam ambigat. Itaque mirari ſubit, qua ratione matronæ noſtræ, cùm hæ puſtulæ eruptionem moliuntur, vinũ rubicundum exhibeant, quod plerũque aſtringentis eſt naturæ, atq; humorẽ cogit ac denſat. Quocirca ego decoctum cõfici iubeo ex Calthæ floribus crocatis, quæ vulgò Calendula dicitur, meliſſophillo, anetho, hyſopo, ſatureia, ficubus, aniſo & feniculo, quod cutem relaxat, humorumq; collectionem diſſipat. Iniri tamen rationem poſſe video, qua inoffenſè citraq; incõmodum præſcribi poſſit, modò tempeſtiuè id fiat, cùm ſcilicet omnis humorũ impetus ad cutem delatus eſt. tunc enim eadẽ ratione propellit, qua illa, quæ comprimendo aluum laxãt, vt myrobolani, & radix Pontica, vulgò Rhabarbarum dicta, quibus manifeſtè aſtringens vis aliqua ineſſe percipitur. Itaq; aſtringendi ratione

Caltha. Goudbloemen.

Vinum rubrũ an ſudorem & Vrinã moliatur,

rubellum fuliginem propellit, atque humores fumidos, qui medijs ſpatijs inhęreſcunt, ad extimam cutem deuehit. Sic experior in nonnullis vinū nigrum Hiſpanicū, quod à tingendo Tinctoer noſtri vocant, aluum ducere, quod tamen dyſſentericis exhiberi ſolet, quo aluum ſiſtat. Id efficit partim, quòd ob craſſitiem venas ſubire nequeat, partim aſtringendi premendiq; facultate, qua ea, quæ inteſtinis inhærent, proluit. Pari ratione rubrum vinum, quod calorificum ſit, diſcutiendi vi pollet, ac ſudorem elicit. Lac autem nullá ratione exhibendum cenſeo, cùm febricitantibus ſit noxium prompteq́ue corrumpatur, ac contagia concipiat. Experimento enim comprobatum habeo, moriente aliquo lac liueſcere ac corrumpi, omnesq́ue halitus peſtiferos in illud deferri.

Lac corruptelæ obnoxium.

Tonitru ac fulmine vitiari vinum, eumq́; liquorem, quæ Belgis Cereuiſia dicitur: & quibus id prohibeatur, eorumq́; vires reſtaurentur.

CAP. XLVIII.

TONITRV & fulmen noxam inferre rei penuariæ, cellisq́ue vinarijs, nemo non patrumfamilias luculento ſuo damno experitur. Siquidem fulmine vapeſcit vinum, coloremq́ue ruffum aſciſcit, ac genuinus illi ſapor aboletur calore igneo, ac vi penetrabili vrentiq́ue. Ceruiſia horrendo illo ſonitu, motuq́ue violento ac concuſſione acore vitiatur, potuiq́ue efficitur inidonea. Et quanquam æſtiuus calor præcipua cauſa ſit, vt liquores aceſcant, fulmen tamen ac tonitru ſubitam mutationem huiuſmodi rebus inferunt etiā hibernis menſibus, cùm æſtus pedetentim id efficiat. Quod ſi penora ſubterranea ſint ac concamerata, fornicibusq́; ac teſtudine conſtructa, minus detrimenti poculen-

Tonitrua & fulmen liquores vitiant.

poculenta accipiunt, quàm ſi tabulatis conſtrata ſint. Celerius enim in hæc penetrat aeris auræque intemperies, ac violentius in dolia cadosque vinarios decumbit. Quocirca ego iſtos præmunire ſoleo, antequam tempeſtas ingruat, ſuperpoſita vaſis ferri lamina cum ſale, aut ſilicibus. fulmē enim cum duriſſimis cōflictatur, in eaque potiſſimè vim ſuam exerit. Nam rara & tenera intacta relinquit, quòd per ea tranſitus pateat, nec illis inhæreſcat, eoque fieri videmus, vt quercus atque ilex duriſſimæ celſiſſimæque arbores fulminis iniuriæ maximè ſint expoſitæ, cùm Laurus, quæ illi cedit, nec renititur, intacta conſpiciatur. Sic experimēto potius, quàm ratione comprobatum eſt Phocę ſeu vituli marini tegmen, ob id opinor, quòd contextu raro ſit, minusque ſolido, fulmine inuictum eſſe, ſimiliter & Aquilam, eiusque exuuias. Ceterū hoc omnium ſcire intereſt, ac meminiſſe expedit, vt valetudini conſulant: Alimenta fulmine vitiata, noxia eſſe, ac perniciosa adeo, vt ne canes quidē contacta deguſtent. Ineſt enim illi vis peſtifera, ex qua ſpiritus venenatus in contacta diffunditur, eoque fit, vt à fulmine aduſtis teterrimus odor emanet, quod in ariſtis confricatis percipimus, quæ tactu fulminis rubigine vitiata ſulphureum odorē naribus offundunt. Atqui cùm indicauimus, quid efficiant tempeſtates hæ naturales, & quid damni rebus inferant: reſtat, vt quibus ea reſtaurari poſſint, ac priſtino vigori reſtitui, commonſtremus. quod ipſum non facilè effeceris, niſi liquorem in aliud dolium transfundas, quod tamen prius defricari debet, deinde decocto foliorum ſatureiæ, thimbræ, lauri, iuglandis, myrti cùm hortēſis, tum ſylueſtris, quæ Gagel Brabantis dicitur, feniculi, baccarum Iuniperi, Orminij, quæ triuiali voce Gallitricū dicitur, vulgò Scerley/ macerari, ex-

Ferrū qua ratione fulmē a liquoribꝰ arceat.

Phoca. Zeehont.

Rubigo Brandt *vulgò.*

ſiccatoque dolio recōdi, poſtmodum vbi in vſum depromi continget, colorem odoremque ac ſaporem exhibebit gratiſſimum. Ceruiſiam quoq; vbi à genuino ſapore degenerauit, aut vbi langueſcit, medicatis odoratisq; rebus reſtituimus, ac ſaporis gratiam conciliamus, nempe Iridis radice, zinzibere, nuce myriſtica, ſeu moſcata, gariophyllis, lauri baccis, eiusque aridis folijs, Calamo odorato, origano, beta. Cùm enim Braſſica vulgò Caulis, vini naturam corrumpat, tum Beta reſtaurat, quòd nitroſa facultate prædita ſit, qua efficit, ne vinum in mellis lentorem denſeſcat ac cogatur, quod ipſum & Erucæ ſemen præſtat, ſed non ſine graui valetudinis diſpendio: neruos ſiquidem vi cauſtica atq; adurenti afficit, morbosq; articulares inducit, vt reſinata quædam vina, atque exoticis quibuſdā rebus condita. Noſtri enim caupones ſulphure cados ſuffiūt, atq; aquam marinā melle coctam infundūt, non deſunt, qui lac bubulū illi immiſceant, alij calcem, arenā tritosq; lapides candidos ex Bentimargo in has oras aduectos dolijs inſternunt, adiectis aliquot ſalis manipulis, aut ſex ſeptémve ouis, quibus omnia vitia vini emendari ſolent, ac ſapor & color in priſtinum vigorem reſtitui, quorū nonnulla, tametſi minus noxia ſunt, ſemper tamen factitia natiuis ac genuinis deteriora, minusque ſalubria exiſtunt.

Vt vitiati liquores inſtaurentur.

Braſsica vinum corrūpit, beta inſtaurat.

Quibus vina condiri ſoleant.

Tempeſtates & marinæ aquæ contactu præſagia, tum quid portendant hiberna tonitrua.

C A P. XLIX.

OBSERVAVI ſæpius ſcapha in vlteriora littora deuectus, manu ſalo immerſa, aquas marinas prorſus egelidas ac tepore imbutas, quod ipſum tempeſtates ante triduum imminere portendit, ventosq; impetuoſos, ac fluctus validos. Cùm

enim

enim in alto remotoque mari, vnde ad nos æſtus deuehitur, tempeſtas incubuit, aqua marina concuſſa atque agitata ferueſcit, vtque manus cõploſæ, calore perfunditur, mox ad nos turbines ac tẽpeſtates deuoluuntur, fluctusque in ſummam altitudinem intumeſcunt. Sic ineunte vere tempeſtates auſtrinæ herbas & gramina eliciunt cõcuſſu & agitatione aeris concalefacta. Similiter ſiquando hibernis menſibus tonitru ingruat, ac cœlum fulmine coruſcat, crebrisque ignibus ęthera micat: ſubſequuturam tempeſtatem ventosque Typhonicos exorituros, ac ſæuiſſimos in Oceano æſtus indicat. Cùm enim præter temporis rationem, contraque naturæ ordinem excitatur aeris illa intemperies, neceſſe eſt, validam ſubeſſe cauſam, quæ illos turbines cõmoueat: nunquam enim tale quiddam obſeruaui, quin poſtridie horrendę tempeſtates ſint exortę, magnæque aquarum eluuies. Fulmen enim & tonitru æſtati familiaria ſunt, quemadmodum & ardentes febres, quæ ſi hiberno tempore inuadant ac concitentur, ex vehementi id fieri cauſa oportet, quã prohibere ac reprimere temporis contrarietas non potuit. Quo ſpectat illud Hippocratis: Minus periculosè ægrotant ij, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quàm quibus horum nulli affinis cognatusque exiſtit.

Hiberna tonitrua tempeſtates præſagiũt.

Lib. 2.

Pueros rebus pulchris affici, ac rugoſas deformesq; anus exhorreſcere, quocirca cum annoſis fœminis in eodem lecto non collocandos, multò minus ſi pedibus ex aduerſo illis ſint conſtituti.

CAP. L.

NEMO non mortalium rebus pulchris, blandisque ducitur, ſed præ cæteris tenella ætas atque

Nemo non afficitur rerum amœnitate.

impuberes, qui cùm viuidi ſint ac geſticuloſi: ignē, faculas, funalia, ſcintillas, ac flammantia quæque auidè ſpectant, omniaque verborum lenocinia, & quę animum demulcent, ſpiritusque erectiores faciunt, captant. Quò fit, vt pueri nulla re melius cōticeſcant quamlibet implacabiles, quàm cātilenis, aut cùm lucentia quæque oculis admoueas, quod efficit igneus vigor, atque aerea lucidaque ſubſtantia, quò fit, vt tenebras exhorreſcant, aſpectuq; retra ac torua auerſentur. Sic vbi matrona aliqua verrucoſa, vel rugoſa anus infantes vlnis geſtant, gremioque fouent, ad primum ſtatim intuitū plorabundi reſiliunt. at ſiqua fortè elegantiori forma, beneque culta aſtiterit, eò ſe inclinant, illamq; exporrectis brachijs ambiunt. Quamobrem incōſultè faciunt, qui tetricas aut moroſas nutrices conducunt, aut aniculis alendos committunt infantes, quæ manſum in os tenerum inſerant. Cùm enim halitu graui ferè ſint ac viroſo, hircumque oleant, fit vt quidquid ex huiuſmodi corporibus emanat, ad ſe alliciant, eoque efficiatur, vt colore giluo exiſtant, ac muſtelino, multaque vitia ex illarum accubitu contrahant, præſertim ſi in decliuiori ſpondæ parte reclinentur, illisque ex aduerſo ſint conſtituti.

Pueri deformes anus fugiūt.

Anicularis halitus pueris noxius.

Qui fiat, vt tenella ætas, prægnantes, ſacrifici, quiq; ſolitariam vitam agunt, ac ſedentarij ſunt, primò omnium morbis popularibus ac peſte corripiantur.

CAP. LI.

ILLOS comperio morbis contagioſis, quales autumno, æſtiuisque menſibus graſſari ſolent, citius corripi ac ſuccumbere, qui tenerioris ſunt ætatis, atque inualidæ, humidoque corporis habitu exiſtunt. Cuius generis ſunt impuberes ac ſexus mulie-

Qui morbis conta-

muliebris, tum qui otio ſomnoque dediti excre- nentorum copiam coaceruant. Hi ſiquidē prom- ptius periculis ſunt expoſiti, morborumque con- tagia celerius cōcipiunt. Vt enim perpolitum ter- ſumque ſpeculū, aut nitida quæque citiſſimè den- ſo halitu ac fuligine offuſcantur: vt denique ignis leuiſſimas ſtipulas, atque arida nutrimenta confe- ſtim corripit, cùm ſolida ſerius inardeſcant: Sic te- nera corpuſcula ingruente primùm populari mor- bo, vt minus armati munitique milites in bello, conficiuntur. proximè mulieres geſtantes vterum non facilè obſiſtere atque obluctari poſſunt, quan- doquidem ægrè internum onus ferre ſuſtinent, ac iam iam defecturæ videantur: quò fit, vt inuaden- te vel leuiſſimo aliquo morbo, nedum peſtis ſæui- tia labaſcant. Sacrifici verò & moniales, quoniam otio ſomnoque dediti ſunt, nec vlla exercitia, la- boresque ſubeant, ægrè aduerſus hos morbos ſub- ſiſtunt. Baiuli autem & vectores, cæterique plebeij, ac vulgus promiſcuum, quod in omni vitæ victuſ- que ratione delinquant, ac ſordidè viuant, ab hu- iuſmodi quoq; morbis non ſunt immunes, tamet- ſi eorum nonnulli ob indurata laboribus corpo- ra ſerius ijs malis tententur. Cæterùm cùm pueri in acutis morbis inſultum non perferant, tum in mitioribus, aut vbi lenta ægritudine contabeſcūt, non minus diu, quàm adulti cum morbis luctan- tur, infantes ſiquidem ea habent poteſtate, quæ prouectiores actu. Inſita eſt enim huic ætati vis quædam, vitaque ac vigor, quæ in multos annos ſunt propaganda. Hinc Auguſtinus: Pueri, inquit, habent perfectionis modum, ita vt cum illa & con- cipiantur ac naſcantur, verùm in ratione ac pote- ſtate, non in mole. Omnia enim membra inſunt ſemini, quæ ſenſim emergunt, ac decus iuſtamque longitudinem conſequuntur. Ita ætatis decurſu

[Marginal notes:] ...gioſis primùm ſuccumbunt. — Simile à ſpeculo ſumptum. — Simile à militibus non munitis armis. — De ciuita. Dei, c. 14.

excerit ſe, atque elucet vis rationis, cæteraque naturæ munia perfici incipiunt. Hinc noſtrates dictitare ſolent, vbi impuberes laudant, ac ſpe lactant: Subeſt huic puero virile robur, Daer ſteect een manin.

Varia naturæ documenta, rerumq; diuerſarum non inconcinna congeries, quæ cùm grata breuitate tractare inſtitui, vno velut faſce complecti viſum eſt.

C A P. L I I.

LIQVOR ſtillatitius, quem ex herbis virentibus elicimus, nunquam putreſcit, quòd excocta ſit omnis terrena concretio, illique inſit aerea quędam ſubſtantia, quo fit, vt nullam decoctionē perferat. Si enim igni admota feruеſcat, omni ſua vi & facultate deſtituitur. Siquidem cùm pura ſit & defecata, non habet quod adimi illi poſſit, eoq; fit, vt citius putreſcat, ac mucore obducatur, quàm putealis decocta. Sic cereuiſia cocta ex puteali, ſtagnãteque aqua, licet turbida ſit & inquinata, ſapidior eſt, minusque aceſcit, quàm ex cœleſti & clara confecta. Turbulenta ſiquidem ſi quid habet vitij, excoquitur ac melioreſcit. Memorabile eſt, quod Hermolaus Barbarus ait, Aquam ſepties putrefactam, purgatamque, non putreſcere amplius. Quoniam, vt opinor, exinanita eſt atque exempta terreſtris omnis ſubſtantia, prorſusque defecata ab omnibus ſordibus, quæ illi putredinis cauſa exiſtit. Sic obſeruaui Zythi hoc genus, quod plebes Joepenbier vocant, certo anni tempore aceſcere, ac poſtliminio priſtino vigori reſtitui, quod ipſum in vino exotico euenit Baſtardo & Nigro Hiſpanico, quod mantilia, manusque inficit, ac lintea quæque ſaturato rubore imbuit, vt Ceraſa Actiana, quæ vulgò Morellen appellantur.

In Corol. Dioſcor.

DVO

DVO ſunt liquores humanis corporibus non minus grati, quàm ſalubres, intus Vini, foris Olei: quorũ vſus, ſi moderatus ſit, inculpata valetudine homines efficit, tum cruda viridique ſenecta. Vt autem ocreæ duriores ac coria, quæ rigeſcunt, ſi, uque ſunt obducta, oleo macerata molleſcunt: ita corpora hominum, ac potiſſimè ſenum vino perfuſa, mitiora fiunt, minusque rigida ac tetrica. Olea verò atque vnctiones quanquam apud pleraſq; gentes propemodũ in diſſuetudinem venerint, eorumque vſus exoleuit, cùm ſenum, tum iuuenum corporibus ſalubriter adhibentur. his enim ea denſa præſtamus, ne externo ventorum impulſu feriantur ac ſuccumbant, vel laxa efficimus, ne interna humorum fuligine ſtrangulentur. Quin & cutis oleo imbuta venena reſpuit, adeo ſiquis cutem admotis cauterijs erodente medicamento exulcerare pergat, illamque oleo perungat, fruſtrabitur, operamque luſerit. non enim adhæreſcunt, quæ applicantur, nec penetrant. Intus quoque aſſumptum virus acrimoniam retundit atque hebetat, venasque ſubire prohibet, ac confeſtim vomitu id exturbat. Oleum vino vel alterius generis liquori ſuperinfuſum præſeruat, ne vel vapeſcat, vel corrumpatur. Siquidem aerem arcet, omnesque halitus excludit, quæ putredinem inferre poſſint.

Vinum. *Oleum.* *Simile ab inuncto corio.* *Oleum venena retundit.* *Oleum cuius liquori ſuperinfuſum putredinẽ arcet.*

SVCCINVM feſtucas atque arida quæque allicit: at oleo oblita intacta relinquit, qua ratione Ocimum quoque vulgò baſilicon repellit. Sic magnes allio perunctus ferrum reſpuit, quòd pingue quiddam allio inſit, quo vis eius retunditur, ac minus adhæreſcit.

Ambra.

CVCVMERES & cucurbitæ cùm humore turgeſcant, eoq; alantur, oleũ ita auerſantur ac diffugiunt, vt illi admotæ reſiliant, ac ſeſe cõtrahant. Omnes enim ſtirpes oleo affuſo putreſcunt.

Cucumeres aquã appetũt, oleum reſpuunt.

Vitis vt fœcunda efficiatur. VITIS ſi ſterileſcat, ac præter pampinos, ſtoloneſque ac ſarmenta nihil proferat, lotio acri ac vetuſto perfuſa, fœcunda efficitur. cùm enim redundantiori humore ſtranguletur, excitato colore, abſumptaque excrementitia humiditate, in ſpecioſos vbereſque fructus protuberat, quod ipſum etiam fit fece vini radici affuſa. Malè autem *Fuligo ſatis noxia.* noſtrates vitis fœcunditati conſulunt, qui ſcrobe facta fuliginem ex fumario deraſam circa radicem obruunt: tametſi enim aliquid pinguedinis illi ineſſe videatur, feruida tamen vrentique virtute perniciem vineæ affert, eamque areſcere facit, vi corrodenti.

Gallitricū Scherley ORMINVM Centrum Galli officinis dicitur, cuius ſemen feſtucas, ac puluiſculos, aliaque oculis infeſta, quæ foris incidunt, eximit vi attractoria. Siquidem illud oculo admotum per ambitum illius quaquauerſum voluitur, aſſumptoq; humore, ac diſcuſſa caligine, turgidum egreditur, ac velut tenui membrana obductum. Ipſa verò herba contrita aculeos ſpinaſque extrahit, ac morantes difficileſque partus accelerat: Vino iniecta mentem exhilarat, animique nebulas diſcutit, ac Venerem ſtimulat: liberalius tamen aſſumpta odoris grauitate caput tentat: Scabras rugoſaſque manus molliculas præſtant ac leniunt Altheæ maluæque decoctum: illis autem efficacius ſeni Græci, linique ſemen, quod miti eſt oleagine imbutum. Con-*Vt manus leuore perpoliantur.* ficiuntur autem apud nos contuſo lini ſemine, expreſſoque oleo fraces, formaque quadrangulari liba quædam ſaginando pecori accommoda, quorum ſi fragmentum aqua cœleſti maceres, manusque illa abluas, pruriginoſæ cutis vitia emendari percipies, membraque nitida ac perpolita effici. Frontem quoque atque vbera flaccida, rugiſq; deformata expolit lini fex aut amurca, addito gūmi Arabici

rabici ac tragacanthæ, maſtichesq; momento, ac *Vt frons & vbera rugis deformata niteſcant.*
camphurę perpuſillo, quod oculis quoque rubicundis, ac palpebris lippitudine arida vitiatis, atq; hiantibus decorem, aſpectusq; venuſtatē conciliat.

VISVM eſt nonnullis prodigij quiddam ſimile: ęgrotos membris eſſe calidiſſimis totoque corpore vri, nec tamē vlla ſiti premi: cùm id eueniat eo, quòd calor ſe diffundat, nec cordi vlliq; parti principi inhæreſcat. Quò ſit, vt erumpente ſudore, corporeque perſpirato, ac diſcuſſo calore fumido, qui interna viſcera occupabat, ſiticuloſi eſſe deſinant: contra quibus calor in extimam cutem nō erumpit, ſed intus deliteſcit, intoleranda ſiti crucientur, etiam ſi foris nulla ſe caloris indicia proferāt, quæ febres omnium pernicioſiſſimæ. *Cur quidā febricitātes nō ſitiant.*

ALBVMEN oui conquaſſatum, calcique viuæ admixtum vitri fragmenta ferruminat, ac testacea quæque ita glutinat, vt diſſolui nequeant propter lētorem ac tenacitatem glutinoſam. Cùm enim calx cuiuis liquori admixta in lapidem indureſcat, tum maximè albo oui confuſa, quod muſcoſum eſt viſcoque aſſimile. *Ferruminare.* Souderen.

QVI hortorum cultui deditus eſt, atque vberem ex ſingulis ſtirpibus prouentum conſequi volet, obſeruare eum decet, quæ inter ſe conſentiant, quæque diſcordent. Siquidem herba altera alterius incremeuto officit. Sic vitis ſi in braſſicæ confinio conſita ſit, vel langueſcit vel emoritur. Cùm enim vitis ſucculenta ſit, ac braſſica humoris præauida, omnē ſuccum allicit, ac deprædatur. Laurus quoq; & hedera viti noxia eſt, eamque exareſcere facit vi calorifica atque exiccante, quod Pſeudonardus quæ Lauandula dicitur, pluribus herbis infert intenſi caloris ratione, vt Raphanus ob acrimoniam qua vicina quæque deurit, quo fit vt temulentiæ aduerſetur, quòd vini vim retundat. *Herbæ aliæ alijs aduerſantur.* *Laurus viti inimica.* *Raphanus temulētiæ obſiſtit.*

Allio roſæ odoratio. res euadūt.

ALLIA prope roſas conſita illas odoratiores præſtant, quia alliorum acrimonia ac caliditas inſitas illis vires excitat atque elicit: quæ enim ex frigiditate langueſcunt, calore acuuntur.

Olea natura.

OLEA medicina eſt Ciceri: arcet enim abigitque erucas, quæ illud erodūt ac depopulantur, idq; odoris grauitate, qua fit, vt beſtiolæ illi non innaſcantur. Cùm autem olea amaritudine imbuta ſit, braſſicam herbaſque alias præhumidas marceſcere facit, quod ipſum & Origanum efficit, Ruta & Ciclaminus facultate calida atque exiccante. Scio equidem multa huius generis perfici occulta inſitaque vi ac tòtius ſubſtantiæ proprietate, ſic vt non ſemper ratio iniri, aut effectus cauſa explicari poſſit, iuuat tamē, ac voluptati eſt Philiatro, ac rerum naturalium induſtrio, ſagacique inueſtigatori probabiles rationes comminiſci: quas ſi prorſus non aſſequitur, non tamen rebus manifeſtis fidem derogat, nec effectus calumniatur, ſed naturam eiuſque opificem admiratione proſequitur. Innumera autem ſunt, quorum probabilis ratio reddi poteſt. Verbi cauſa, Portulaca dentium ſtupori medetur, qui ex acerbis acidiſque contractus eſt quoniam glutinoſa eſt ac lentore prædita, quo ab auſteris affectos dentes, & quibus deuinciuntur, neruos lenit, ſuaque viſcoſa humiditate incōmodum ſarcit. Caliditatis autem atque aſtringendi ratione idipſum facit ſalis confricatio, aut ſi paululum caſei ouilli viridis dentibus conteratur. Exiccat enim, denteſque ſtupidos ſtabiles facit, atque ex frigido humidoque aut acido humore labantes fulcit.

Ratio multarum rerum inexplicabilis.

Portulaca dentiū ſtupori medetur.

Olfactus vt reſtituatur.

HIS qui obeſæ naris ſunt, & quibus olfactus vel vitiatus, vel abolitus eſt, efficaciſſimè hunc reſtaurat Melanthij ſemen, quod Gith apud Eſaiam vertit Hieronymus, Abrotanum, ruta, & quotquot

acris

ris vibrantiſque ſint odoris. Dilatant enim mea-
um, humoresque atque alienos vapores reſoluũt
diſcutiunt. Nihil autem, etiam in ſenibus exper-
is ſum magis præſentaneum; quàm Mentham
lentidem naribus admouere, cuius fragrantiam
nanifeſtè percipiunt, quibus etiam is ſenſus ad te-
trrima quæque occalluit, omniſque odorandi
acultas adempta eſt. Raphanus quæ Antonoma-
icè Radicula dicitur, primis menſis inferri debet.
ic enim edendi auiditatem incitat, ac ſtomacho
ninus officit. Quocirca culpandi ſunt noſtrates,
qui peracta propemodum cœna aut prãdio illam
ſitant. Sic enim melius perfici concoctionem ſibi
perſuadent, cùm ventriculo infeſta ſit, niſi aqua ſa-
eque conſperſa cibo præmittatur, alioqui graues
nalitus, ructusque nidoroſos ac ſubolidos exci-
at. Quod ſi ex ea diſſectam particulam vino im-
mergas, confeſtim ſœtorem contrahit ac graueo-
lentiam.

Mentha olfactum reſtituit.

Radys.

FERRO rubiginem eueſtigio adimit, illique ſplendorem conciliat oleum Tartari, quod ipſum etiam lentigines emaculat in facie, omneſque puſtulas fœdas, quæ frontem mentumque deformãt, abolet vi abſterſoria.

Tartarus VVijnſteen.

CAPHVRA aquæ cœleſti commixta, illam à putredine tuetur ac præſeruat odoris fragrantia: Similiter & myrrha, atque Agalochum vulgò lignum aloes.

SVCCVS quoq; Cyrenaicus, qui vulgo Benzoi vocatur, Styrax calamites in arcenda à rebus putrilagine, efficaciſſima ſunt. Omnes ſiquidem vitiatos halitus, auramque peſtiferam abigunt, atque ambientem aerem, qui ferè putredinis cauſa exiſtit, puriorem reddunt, effluxu grato ac ſuaui, qui ex calida ſiccaque qualitate emanat.

Caphura vis putredinem à liquoribus arcet.

THITI.

Thitimalli vires.

THITIMALLI, cuius ſeptem numerãtur differentiæ, ſuccus lacteus verrucas delet vi adurẽti & cauſtica. Siquidem ob intenſam caliditatem ac vim penetrantem, radicem areſcere facit, quo facto mox vt ſcabra quædam cruſta decidunt. Pari ratione Hermodactylus ac Sauina in puluerem redacta, atque oximeliti ſcylliticæ, vel ſucco Calendulæ commiſta, clauos calloſque abolent etiam in partibus pudendis, cùm à fœdo concubitu contracti ſunt.

Verruca vt aboleantur & claui.

Vinũ quò minus vapeſcat.

AESTIVIS menſibus ne vinum in congijs citò vapeſcat, aut calore perfũdatur, ſed inter propinandum frigeſcat, in labro aqua gelida oppleto collocentur vrcei, aut capaciora pocula, deinde Sal nitrum, vulgo Salpeeter/ inſternatur: tanta frigiditate vinum imbui continget, vt eam vix dentes tolerent. Huius autem qualitas illum in bombardis ſtrepitum efficit, nullo autem ſonitu, nec tam validè explodi glandem continget, ſi is eximatur.

Nitrum liquori frigiditatem inducit.

Quomodo vinum diluendum.

SIQVIS dilutius bibere inſtituit, ac cõſultum exiſtimat vinum plus ſatis meracum infuſa aqua mitigandum, non id inter edendum moliri debet, ſed ſeſquihora antequam ſit accubiturus. Sic enim coaleſcunt inter ſe liquores, nec repugnanti qualitate concoctioni reſiſtunt. Vulgari ſiquidem more diluta, tentant caput, ac rugitus flatuſque excitant. Acerba quoque vina ac ſubauſtera dulcibus non commiſcenda, nec rubrum candido. Negotium enim faceſſunt ventriculo diuerſarũ qualitatum alimenta, cùm aliud properantius, aliud tardius in habitum corporis rapiatur. Quapropter hunc delectum habendum ſuadeo, vt in prandio album aſſumatur, in cœna verò rubrum. Album ſiquidem promptè delabitur, ac venas meatuſque vrinarios peruios efficit, ac dilatat: rubrum verò, modò

modò generoſum ſit, plus alit, ſed adſtrictionis eſt particeps. Quòd ſi in eadem menſa vtrumque propinetur, ſemper album rubro præmittatur. Cùm autem diluendi vini rationem non penitus negligendam cenſeam, tum illud Plutarchi mihi ſemper arriſit: Vinum in tempore modicè bibendum potius, quàm aqua diluendum: deperit enim infuſa aqua.

Plutarchi ſentētia de vino diluendo.

CASTANEAS ſiquis volet conſeruare intactas, nuces baſilicas ex iuglande collectas inſpergat. Omnem ſiquidem vliginem atque humorem excrementitium, qui carioſas eas efficit, atque euanidas abſorbēt, ſituq; obduci prohibent. Eſt enim eius naturæ nux regia vt exiccet, humoremque depaſcat, vnde ſalubriter tonſillis, vuulæ omnibusq; gutturis vitijs adhibetur, in quē vſum Diacaryon, hoc eſt, ex nucibus antidotum conficitur, quod omnes à capite fluxiones ſiſtit ac reprimit. Et quoniam venenis reſiſtunt, ac venenati aeris cōtagia diſcutiunt: Compoſitio diateſſeron, quòd ex quatuor rebus conflata ſit, à veteribus excogitata eſt, quæ recipit, Nuces binas ac totidem ficus, folia rutæ viginti, aliquot ſalis grana, quæ contrita ſiquis ieiunus ſumpſerit, eo die à venenis morbisq; contagioſis futurus eſt immunis.

Caſtaneæ qui ſeruentur.

Dianucū.

Antidoton contra peſtem.

CAEPE præter omnium ſtirpium naturam decreſcente Luna augeſcit, atque incrementa ſumit: creſcente minuitur. Id eò fit, quòd Luna immodico illam humore ſtrangulet: cùm enim natura ſucculentum ſit, vt omnia bulbacea, ac natiuo ſucco abundè perfuſum, Luna creſcens humorem quidem illi adauget, ſed calorem imminuit, qui potiſſima cauſa eſt, vt incremēta ſtirpes capeſſant. Eadem ratione enormiter pingues & obeſi ſteriles ſunt, nec progenerant, quòd calore deſtituti ſunt, qui excrementum ſeminale fœcundū efficit

Cæpe natura ab alijs ſtirpibus diuerſa.

Pingues ſteriles.

ac prolificum. Atque hinc eſt, quod Cæpe, aloën, acetabulum, croci radicem, ſcillam, porrum compluraque alia natiuo ſucco turgida in carnario laquearibus affixa progerminare perſpicimus : cùm enim ſucco affatim imbuta ſint, calore tantū opus habent, vt proſiliant, ac ſe proferant.

Famelici ingruente febri.

FEBRES quæ homines edaces efficiunt, diuturnæ eſſe ſolent. itaque mihi ſemper viſum eſt, melius ſiticuloſos eſſe febricitantes, quàm fameſcere. Illis enim cùm ex flaua bili febris accēdatur, affuſa humoris copia, ſudoreq́; exiccato facilè miteſcunt. Iſtis qui ad cibū auidi ſunt, ex humore melancholico, atque acida ſalſaq́; pituita febris excitatur, quibus humoribus cùm ventriculus perfuſus eſt, præter rationem edendi cupiditate ducūtur: quò fit, vt ita affecti morbum alāt, fomitemq́; miniſtrent, ac diutius cum febri confligentur. Cùm autem tres ſint pituitæ ſpecies, vt Galenus teſtatur, Dulcis, Acida & Salſa. Prima ſomnolentos efficit, altera famelicos, tertia ſitibundos. Horū omnium maximè diuturnos morbos parit, quæ edaces homines efficit. Quocirca ſi illos celerius terminari velis, in morbi inſultu cibum ſubducito.

Deplenit.

Vinū quomodo ab acore vindicetur.

VINVM ex ambientis aeris qualitate aceſcere, æſtiui menſes nobis commonſtrant. Quocirca in ſpecus ſubterraneos, penitiſſimaque loca recondi debet, atque accuratè obturari. Quòd ſi ea commoditas deſit, lardi carniſque ſuillæ ſalitæ ſeſquilibram, aut pro dolij amplitudine maiorē lino obuolutam dolio immittas, ſic vt dum vinum depromis, ſemper id deſilire patiaris ad fundum vſque, dum vas exhauſtum ſit : vinum nec degenerabit, nec vapeſcet. Omnia enim, quæ illi vitij aliquid eſſent allatura, in ſuillam incumbunt. interim arctiſſimè occludi dolij orificium debet, nequid aeris ſubeat, ac ſacculo vel ſale oppleto, vel humenti

ſabulo

ſabulo muniri. Sic enim nec vapeſcet vinum, nec acorem contrahet.

V T autem vinum ſubacidum, aut acetum vini naturam adſciſcat, porri ſemine effeceris, aut iniectis pampinis ac capreolis vitis.

V I N V M corruptum ac glutinoſum lacte bubulo modicè ſalito reſtauratur. Sunt qui calce, ſulphure, & alumine id moliuntur, quæ ne homini infeſta ſint, ac noxam inferant, Iridis radicem & grana Iuniperi commiſcenda ſuadeo. *Vinum glutinoſum vt inſtauretur.*

Q V O vinum palato arrideat, acceptumq; ſit, atque odore, coloreq; gratum: malum Medicum, ſeu pomum citrium gariophyllis vndique ſtipatum cado inſeras ita vt vinum attingat, eoque innatet; nam ex madore computreſceret, nullũ nec vapidum, nec mucidum ſaporem contrahet, ſed palato erit gratiſſimum.

R V T A herba cùm multis morbis accommodari poſſit, multæq; illam dotes cõmendent: tum illud admirandam eius vim declarat, quòd muſtela baſiliſcum præſentiſſimi veneni ſerpentem rutę demorſu præmunita conficiat. Ex quo conijci poteſt, quanta vi polleat contra venena, ac morborum contagia. *Ruta venenis obſiſtit.* *Muſtela Baſiliſco hoſtis.*

M E D I C I apud Italos, homines facinoroſos, qui morti addicti ſunt, certo anni tempore à præfectis impetrant in diſſectionis vſum, & quò rei medicæ ſtudioſi in re Anatomica exerceri poſſint. Itaque ne vllos humores diſſipari contingat, aut craſſiores ſpiritus euaneſcere, omniaque ſe apertè proferant, Opij, hoc eſt, ſucci nigri papaueris binas ternasq; drachmas ex vino meraciſſimo mortem commeritis exhibẽt, qua potione hauſta primum exhilareſcere incipiũt, velut riſu Sardonio perfuſi, mox in ſomnũ ſoporemq; reſoluti, morte ſopiuntur; tanta ſiquidem pernicitate venas ac vitalia *Itali quomodo Anatomiã perficiant.* *Opij vis.*

corripit, vt diſſecto corũ, qui opio potionati ſunt, corpore, cordi adhæſiſſe compertum ſit.

Vt vinum, aut alius liquor citò aceſcat.

VINVM aut Cereuiſia Soli ventoque expoſita ſi ſerius aceſcant, Sal contuſum cum pipere ac fermento ſubacido commixtum celerrimè id præſtant. Quòd ſi properantius id perfici velis, Chalibis partem, aut laterem ſemel atque iterum ignitum in vas conijcito, aut Raphani radices immergas, confeſtim acorem contrahent. Meſpila quoq;, corna immatura, mora vel ex rubo, vel ex arbore lecta, prunella ſylueſtria hinc inde inciſa, ceraſia Actiana, quæ foris nigro colore perfuſa ſunt, intus ſanguinolento, ſapore acido liquores imbuunt, atque exuberantiſſimi ruboris conciliant. Quod ipſum etiam præſtant anemone flos pratenſis ſambuci ebulique acini, & violæ altilis, quæ gariophyllea nobis dicitur, flos ſpectatiſſimus. Nam papauer illud erraticum agris frumentarijs familiare, vermiculanti quidem & coccineo rubore liquores inficit: at vſus eius noxius eſt & pernicioſus, ſic vt explodendus ſit illorum error, qui in angina ac dolore laterali huius vel decoctum, vel dilutum, vel denique ſtillatitium liquorem exhibent, cùm aſtringentis ſit naturę, ac marcoticum, hoc eſt, ſtuporem inferens, nec ſputum promoueat.

Morellen.

Papauer erraticum noxium.

Leproſi vt explorētur.

ELEPHANTIASIS quam lepræ nomine paſſim deſignant, abominandus fœduſq; morbus eſt, eoque extra vrbis pomeria ablegantur, qui illo contaminati ſunt. Et quoniam aliquando cognitu difficilis eſt, conſtituti ſunt apud Belgas Critici ac Cenſores, qui hos explorant. Ego ex lotio experimentum capio, cui plumbi vſti cineres inſpergo: qui ſi ſubſidunt, atque in imum vrceoli deuoluuntur, nullum ineſt corpori huius morbi contagium. Sin fluitent, atque in vrinæ ſuperficiem hæreant, infectum eſſe ſtatuo. Indicat enim humorũ craſſitiem,

tiem, atque aduſtam corruptamq; per corpus vndique diffuſam melancholiam.

SIQVANDO aurifices incruſtandis obducendisque auro poculis intenti ſunt, argento viuo id perficiunt, quod calenti foco admotum in fumum, grauesque halitus euaneſcit. Quòd ſi protenſo velamento fumum excipias, is rurſus in argentum viuum coit ac conglobatur, quemadmodum fumus ex carbonibus in denſam craſſamque fuliginem. Quantopere autem res iſta metallica auro afficiatur, ſuperius à nobis demonſtratũ eſt. Id autem admiratione dignum, quòd ex morbo Gallico inunctus, ſi aureum annulum ore geſtet, ac dentibus linguaque hinc inde volutet, argentũ viuum, quod corpori ex vnctione innatat, in annulum deuolui, ſic vt totus argẽteus eximatur, ac non niſi igni admotus priſtino nitori reſtituatur. Quocirca conſulo huiuſmodi ceromate delibutis, vt id crebro factitent. inhæret enim ijs magna metalli huius copia, adeo, vt obſeruatum ſit, inciſa vena aliquot drachmas profluxiſſe. atque hinc eſt, quòd tales tantiſper palleſcant, & tremuli exiſtant, dum aliqua huius metalli portio corpori inhæreſcit. Quò mirari ſubit nonnullos ſcrupuli pondere exhibere puerperis, quò clementius pariant, ancipiti dubioque experimento, tum pueris etiam ad vermes enecandos, quanquam non diffitear, purum viuumque argentum cæteris eſſe innocentius, deinde ſaliua alioque liquore extinctum. Siquidem argentum ſublimatum ignis vi ac Chalcantho, alumine, arſenico, ſale, nitro, & ammoniaco extractum pernicioſiſſimum, cui ſuccedit puluis præcipitatus rubenti croceoque colore, quod nonnulli empirici dimidij ſcrupuli pondere deuorandum ficoſis exhibent non ſine faucium ac gingiuarum exhulceratione: foris autem vulneribus cõtuma-

Argenti vi ui affect⁹.

Argentum viuũ auro afficitur

Aurum ficoſis ſalubre.

De argẽto viuo prodigij quiddã ſimile.

cibus adhibetur. Aqua autem fortis, qua aurum ab argento ſeparant aurifices, æquè noxia. Quanquam non verentur ſponſæ noſtrates flauam cæſariem ea moliri, maximo detrimento ac pilorum iactura, ſiquidem areſcentibus capillorum radicibus intempeſtiuam atque indecoram caluitiem conſequuntur, nec vllam ſpem capillitij: ſic corroſo denti impoſitum gingiuas exeſt.

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZAEI DE NATVRAE DIGNITATE ET PRAESTANTIA.

LIBER TERTIVS.

Qua ratione filij parentum probra atq; ignominiam perferre cogantur, illisq; progenitorū ſcelera atque iniquitates imputentur adeo, vt horum cauſa vel famæ, vel rerum fortuitarum iacturam patiantur, aut aliqua in corpore animoq; damna ac detrimenta concipiant.

CAP. I.

Cap.18. EXTAT pręclara apud Ezechielem concio, vel potius ſeuera atque obiurgatoria Dei expoſtulatio cum iis, qui cauſam progenitorum in ſe deriuari queruntur, atque iniuſtè poſteros plecti parentum nomine. Quid eſt, inquit Dominus, quòd parabolam vertitis in prouerbium,

uerbium,paſſim decantantes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes poſterorum obſtupeſcunt. Viuo ego, inquit Dominus, ni non erit vobis amplius vſus iſtius prouerbij. Cumque omnes meæ ſint animæ, tam patris quàm filij: anima quę peccauerit, ipſa morietur. Itaque DEVS ſublato hoc prouerbio, pronunciat quenque in ſua iniquitate extinctum iri, nec progenitorum ſcelera, aut vllam ignominiam in poſteritatem deriuandam, niſi ijſdem veſtigijs inſiſtant, eadem graſſentur via, parentumq; ęmulentur vitia. Quiſquis enim, vt prolixè toto hoc capite diſſerit, contempto deſertoque Deo paternos auitosq; mores imitando conſectatur, atq; illorũ improbitatem ac dedecus exprimit, obiter ſe rapinis, vſuris, calumnijs, adulterijs, fraudibus, fallacijs, captionib⁹, idolorũ cultu, fœda libidine, alijsq; ſceleribus cõtaminat ac polluit, nec Dei præceptis nec monitis acquieſcit, ſed ſalutarẽ eius doctrinã reſpuit, eadem, qua progenitores, culpa plectitur, ijſdẽ malis redditur expoſitus. Itaq; nõ patitur Deus parentũ peccata imputari filijs, aut vllã poſteritatem puniri ob maiorum ſcelera, niſi paria cum illis faciant, ſed vnumquenq; delicti ſui reum futurum, vt, Cypriano teſte, poſt edomitam legis duritiem, Euangelij coruſcatione, diuina iuſtitia non genus, ſed perſonas iudicet. Quod ſiquis nobis obijciat peccatum originis, quod Adamus nobis inuexit, quo cuiuſq; mens iacturam fecit diuini luminis, voluntate etiam à Deo auerſa, facilè id dilui poteſt. Cùm enim parens fuerit omnium mortalium, atque ex hoc traduce vitiata ſit humana natura, hęc labes ac corruptela, naturæque deprauatio propagatione in omnem poſteritatem eſt diffuſa: vt aſſolet in ijs, qui ex morbidis parentibus, ac vitioſis humoribus, corruptoq; ſemine ſunt prognati. per omnem

Pueri non plectuntur ob ſcelera parentum.

Peccatum originale quam labẽ intulit.

Exemplum à vitioſo corpore.

ſiquidem vitæ decurſum, hæreditarium malum ijs adhæreſcit. Itaque illi peccato potiſſimè ſumus obnoxij, nō autem alterius generis, quorum alia alijs hominibus peculiaria ac propria, quæ actualia dicuntur, aſcititia ac conſuetudini aut improborum commercio accerſita, non congenita, inſitiua, genuina, naturalia, quanquam magna ex parte iſta ex ſuperiore emergant ac pullulent. Ita non ſemper ea vitia, vel etiam virtutes, quæ parentibus inſunt, filijs communicantur, aut ediuerſo. Poteſt enim pater eſſe idololatra, decoctor, libidinoſus, leno, aleator: cùm filius frugi ſit, atque ab huiuſcemodi vitijs alienus. Vt autem ab Adamo hanc labem conſequuti ſumus, ita eadem naſcendi principia nacti ſumus maximo enitentium parturientiumque dolore ac cruciatu, eundem non ſine trepidatione finem, vitæq; interitum. Itaque eodem nos luto inuoluit illius procreatio, eandemq; aſperſit maculam. Nemo autem ex tot millibus non eadem perpetraſſet, ſi talis fuiſſet oblata occaſio, ſi Adami loco conſtitutus, ijs blandimentis ac pollicitationibus, ijs illecebris ineſcari contigiſſet, ita vt in eundem laqueum nemo noſtrum non incidiſſet, non eodem hæſiſſet luto, ſi ratione eadem ac modo eiſdem artibus ac technis mens noſtra cœpta fuiſſet oppugnari. Quemadmodum autē præter Reges & Principes, magiſtratus ac ciuium præfecti, quod apud Belgas iam vulgare eſt, Remp. iuuandi ſtudio ære alieno onerant, ac ſe ſuosque ciues ac populares arctiſſimè obligant, acceptiq; ratione in annuam debiti ſolutionem obſtringunt etiam eos, qui primo quoque tempore naſcituri ſunt, adeo vt ſi ſerius aut malignè perficiatur ſolutio, apud exteras nationes detineri poſſint ac ſiſti, ita vt non ſit liberum egredi, aut abſque mulcta ſe ſubducere, niſi aut conſignata pecunia, aut data fide

Peccata actualia.

Alia aliquando parentū, alia filiorū conditio.

Omni homini ſimilis introitꝰ & exitus.

Simile ab ære alieno oppreſſis.

fide ac promiſſo vadimonio factaque ſponſione: ita ſimili propemodū ratione Diabolo ſumus obſtricti, ac tanquam obærati, Adami culpa grauiſſimo damno impliciti, in eum ſiquidem errorem ac ſcelus inexpiabile illius tranſgreſſione ſumus deuoluti, vt nullus hominum ex eo eluctari potuiſſet, aut ſe extricare, niſi clementiſſimus Pater deuicta per Ieſum Chriſtum diaboli tyrannide in libertatem nos aſſeruiſſet, deleto atque obliterato expunctoque quod aduerſus nos erat, vt Paulus ait, *Coloſſ. 2.* Chirographo ſiquidem illud ſuſtulit è medio, quo *Peccatum* nos vrgebat hoſtis, affixum cruci, expoliatosque *originis* principatus ac poteſtates oſtentauit, palam triumphans de illis, tanquam exutis, deiectis, ac debellatis, *quomodo obliteratū.* condonans ſimul omnia nobis delicta, ſic vt nihil ſit periculi, ne in poſterum vlli imputentur prioris vitæ commiſſa: modò fide ſtabiles cōceptaque illius fiducia toti iam munifico Domino innitantur. Cæterùm vt incepta perſequar, contingit *Iudicium* aliquo modo filios parentum nomine diuexari, ac *Domini in* detrimenta concipere, ſuisque facultatibus exui, *illatis cla-* cùm in hæreditatem malè partam, atq; opes fraudibus *dibus.* ac verſutijs conflatas inciderunt, quæ occulto Dei iudicio plerumque dilabuntur, ac vel incendio, *Quādo pro* vel naufragio, vel populatione depereunt. Sic *les damna* vt non patiatur Dominus iniquis parentum rapi- *concipiunt* nis diteſcere innoxios, aut diutius huiuſmodi bo- *ob parentū* nis frui, quæ aliorum iniuria coaceruata ac con- *reatus.* geſta ſunt. Simili ratione nonnullos ante diem, ac properata morte confici ſuſtinet, cùm progenitores illorum nomine plus ſatis ſibi blandiantur, nec aliud, quàm opes, latifundia, honores, dignitates, ambitioſos fucoſosque titulos meditentur, ad quę *Præmaturus* illis per fas, per nefas aditum patefaciunt, nullaq; *interitus* erecta in Deum cogitatione aut fiducia nihil non *Vnde.* moliuntur, quò ampliſſimo loco poſſint collocari,

cùm plerunque Deus præmaturè illos ex hac vitæ ſtatione ſubducat, nec patiatur diu ſubſiſtere, atq; inanes parentum ſpes foueri. Quod ipſum Sapientis hac ſententia teſtificari poſſum. Cùm Deo placeret dilectus, viuens inter nefarios, tranſlatus eſt, raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum eius, aut fallacia deciperet animũ illius: propterea properauit illum educere de medio iniquitatũ. Quod cùm homines videant, non intelligunt, inquit, huius facti cauſam, nec rationem inire poſſunt mortis tam properatæ atque accelerati interitus. Ita nonnunquam euenit, Dei prouidentia, vt herili filio ſublato tota poſteritatis ſpes & expectatio, totiusq; familiæ columen labaſcat ac corruat. Oſeas quoque nonnullos orbari liberis, in ſcelerum vindictã profitetur. Sic enim apud illũ Dominus minitatur ſceleratis: Auolabit, vt volucris, gloria illorum à partu, à ventre, & à conceptu: hoc eſt, infœcundi erunt ac ſteriles, nec vllos fœtus concipient, aut liberos propagabunt: quos ſi genuerint, eos interimam, atque ex hominibus ſubducam. Proferunt ſe innumera, nulla non ætate, huius rei documenta; cùm præcipuos heroës, atque Aulæ proceres ſpectemus nõ ſolùm orbari liberis, ſed multum ęris alieni contrahere. Quod autem Dauid orbatus fuerit filio, quem ſuſtulit ex Bethſabee Vriæ vxore, magna ſubeſt diuini iudicij ratio. Sequitur enim confeſtim hanc patrati ſceleris tragœdiã grauis vltio ac vindicta, ira diuina non tam in Dauidem, quàm in puerum accenſa. Siquidẽ Deus puerum morbo deplorato afflixit, quo ſeptimo die, vt acutis morbis aſſolet, extinctus eſt. Nõ enim paſſa eſt extare, autupereſſe illum prouida Dei iuſtitia, qui ſic prognatus eſſet: tametſi Dauid, referẽte ſcriptura, humi ſtratus atque effuſis lachrymis, vt Deus pueri miſereſceret, precaretur aſſiduè. Cuius

Sapien.4.

Orbitas liberorum à Deo.

Cap.9.

Sterilitas & orbitas à Deo.

2.Reg.11.

rei

ei hiſtoria ſalubre documentũ cuique exhibet, vt quoaduſque humana fragilitas patitur, ab omni impudicitia ſe contineat, tum maximè ab earum complexu, quæ legitimè atque ex Dei inſtitutione matrimonio coniunctæ ſunt. Deinde ſiquem orbari contingat liberis, ne ſe vexet, excruciet, dilaceret, nec mœrore, luctu, ac lamẽtis conficiat. Quæ enim inſania, ſe affligere ob hæc, quæ reſtitui nequeunt, aut in vitam poſtliminio reuocari? Quocirca laudem meretur Dauidis robur, atque affectuum in tam acerbo luctu moderatio. Sublato enim è viuis puero, cùm paulò antè ſquallore eſſet obſitus, puluere ac cineribus, gẽtis illius more, obductus, nec ad ſummum mœrorem quid eſſet reliqui: confeſtim omnem excuſſit mœſtitiam, ac regali ſplendore accubuit. Quod verò ad reliquã tragœdiæ partem attinet, quæ nõ minus, quàm prior, funeſtum ac luctuoſum habuit exitum: Dominus Dauidis offenſus facinore, atroces minas ac terrores per Nathan prophetam illi denũciat, quod expugnato legitimo toro pudicæ matronæ, extinctoque tam fido duce Vria, maledicendi occaſionem ijs dederit, qui alieni erant à Dei religione, ac non ſolùm illius cultoribus inſultant, ſed in Deum etiam ſunt contumelioſi atque iniurij. Cæterùm vt reliquam argumenti partem exequar: contingit nõnunquam liberis parentum culpa aliquam notam infamiæ vel ignominiæ inferri, aliquod probrum aut dedecus impingi: verbi cauſa, ſi mater adulterio contaminata eſt, ſi bibacula atq; ebrioſa, vllaque infamia inſignita, in liberos pars mali deuoluitur. Ita ſiquis ex inceſtu atque illicito concubitu ſit procreatus, aut naturali quidem cõgreſſu, ſed extra connubij ſocietatem proſeminatus, (vnde conſuetudo inoleuit, vt tales proles naturales vocẽtur) huiuſmodi cõditionis hominibus paſſim inſul-

Adulteria cauenda.

Non nimiũ dolendum orbitate liberorum.

Dauid morte pueri nõ contriſtatur.

Adulteria non impunita.

2. *Reg.* 12.

Liberi quãdo ferre cogantur parentũ probra.

Qui filij naturales.

Procacitas hominum. inſultant populares, ac conuitijs onerāt, vt eſt natura mortalium in laceſſendo prompta, procax & temeraria. quanquā iſta criminatio in hominum deprauatis affectibus magna ex parte conſiſtat, cùm nulla penes liberos culpa reſideat. Nec enim puduit Euangelij ſcriptores in enumeranda Chriſti generatione pleroſque recenſere, qui extra coniugij ſtatum ſunt prognati: quod ipſum ſtudio ac data opera factum interpretatur Chryſoſtomus, ac plerique alij: nequis intumeſcat progenitorum dignitate ac præſtantia, nec animum deijciat, ſi humiles atque abiectos ſortitus eſt, aut qui nullis virtutibus enituerunt, modò ipſi ad res præclaras aſpirent atque enitantur. Siquidem propria ac genuina virtus quemque nobilitat, non aliena aut aſcititia, quæ ex progenitorum primordijs mutuatur. Vt enim ignauum nec parentum, nec patriæ ſplendor illuſtrat: ita nec virtute præditū maiorum illaudata vita commaculat. *Homil. 3. in Matth.* *Nemo inſoleſcat progenitorum nobilitate.*

Metamor. lib. 13.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Haud ea noſtra voco.

Quò ſpectat illud Satyrici:

Iuuenalis Satyr. 8.

Malo pater tibi ſit Therſites: dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas:
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Nobilitas quæ ſolida. Quæ cōmonſtrant veram nobilitatem ac decus nō tam proauorum ſtemmate & imaginibus, quàm virtute, quàm integritate vitæ, quàm morum probitate metiendum: denique non deſpiciendos illos, quamlibet humili abiectoq; loco natos, quantumuis vilibus modiciſque parentibus ortos, modò frugi ſint, atque ad præclariſſima quæque ſibi aditum patefaciant. Quod ipſum tota illa apud Ezechielem concionis ſeries, atque enarratæ rei amplificatio commonſtrat: qua prolixè ſiniſtra, inconſulta,

conſulta, temeraria, improuida, inconſiderata hominum etiam in Deum iudicia, vellicat ac reprehendit.

Quare cōualeſcentibus ac morbo defunctis primum omnium genitalia turgeſcant, quæq; illis natura inſita ſunt, nempe concumbendi deſiderium perficere tentent, ac hac de re ſalubre conſilium atq; admonitio.

CAP. II.

CVM ex morbis conualeſcunt ægroti, nō confeſtim vires ſuas recuperant, aut ſubitò reſtituuntur: ſed exhibitis alimentis, præſcriptaque ſalubri diæta ſenſim refocillantur ac reuiuiſcunt: tametſi enim morbus excuſſus eſt, ac ſopitus febrilis calor, nonnulla tamen adhuc inhærent corpori debilitatis, deiectæque valetudinis veſtigia, ita vt nulla propemodum pars probè munus ſuum obeat, ſuoque officio perfungatur, vbi ad vſus aliquos accōmodatur: Sola membra procreandis liberis deſtinata, parteſque genitales primùm vires ac robur concipiunt; atque obeundis perficiendiſque munijs ſuis, validas ſe oſtentant atque erectas, tametſi ita conſtitutis operam dare Veneri, nimis quàm perniciosum. Sunt autem certa atque indubitata recuperatæ valetudinis argumenta, nullaſque in corpore morborum reliquias inhærere, ſiquando partes genitales prurire ac tentigine affici incipiūt, tametſi reliquis membris flaccidis ad perficiendos hymenæos, torumq; nuptialem adornandum vires deſint, nec tanto labori ſufficiant. Quod ipſum hinc euenire ominor, quoniam obſtructione venarum diſcuſſa, ac patefactis meatibus, hepar ac renes aliaque membra diſtribuendis alimentis deſtinata primum oblato cibo perfruuntur, ac præ cæteris

Conualeſcētibus Venus noxia.

Cur conualeſcētes in Venerem proni.

cæteris inſtaurantur: quò fit, vt vires concipiant, ac ſpiritu cùm naturali, tum vitali affatim implēantur, cuius motu atque agitatione abditæ, obſcœnæque partes turgeſcunt ac deſpumant in libidinem; cùm remotiſſima membra, pedes, brachia, armi, furæ, fœmora, ceruices, genæ ſerius alimento ac vitali ſucco perfundantur. Cùm itaque pudenda mēbra hepatis munere, exquiſito & ſalubri ſucco ſaginentur ac pingueſcant: primò omniū conualeſcunt, ac virile robur concipiunt, ſic vt oborta etiam leui tacitaq; cogitatione, inguina indecorè intumeſcant, & qua vi imbuta ſint, patefaciāt. Cuius rei indicia etiam impuberes proferunt, quibus illæ partes, tametſi imbelles ſint, & denegata generandi facultas, ſpiritu tamen diſtentæ eriguntur, atque ex decubitu in dorſum rigeſcunt, ſalubri ſanitatis, bonique habitus argumento. Ita licet conualeſcentibus ſint infirmæ fractęq; vires, ac morbo attritæ, mēbra languida, corpus macilentū ac ſtrigoſum: pars tamen illa ſecretiore loco collocata, quæ Ciceroni mentula dicitur, primùm recuperatæ valetudinis indicia profert. Eò ſiquidem præ cæteris alimenta deferuntur propter vicinitatem, & quòd præcipuis membris ea pars connexa eſt, atque ex vna venarū atque arteriarum neruorumq; propagine producta. Quod ſi morbo defuncti ac conualeſcētes, maturius quàm par eſt, & quàm vires patiantur, ſe Veneri dedant, exhauſto puriore ſucco ac vitali ſpiritu, lethaliter affliguntur, omniaq; illis vergunt in deterius. Siquidem ſincerior puriorque alimēti pars ac roſſidus humor, quibus membra arida atq; extenuata, morboq; exhauſta, madeſcunt atque irrigātur, abſorbetur, ac velut lactis cremor, emūgitur: quò fit, vt vires, quibus nonnihil incremēti acceſſerat, cōcidant ac cōterantur. De mulieribus verò alia eſt ratio, quę cōcubitu minus,

Sanitatis indicia in pueris.

Erectio genitaliū ſanitatis indicium.

Venus incommoda in Valetudinarijs.

nus,quàm viri delaſſantur, imò vires ex eo concipiunt, ita vt nõnullæ impendio ſalaces, huius rei cauſa aliquando morbũ ſimulent, quò maritos ad amplexus inuitẽt atq; alliciant, adeò vt hinc enatũ ſit apud Belgas Prouerbiũ: Matrona ægrota ſemper aliquid expoſcit: Mulieri valetudinarię ſemper aliquid offerendũ: **Men moet den ſieckenvrouwkens altijt wat bieden.** Quo deſignant, nõ ſemper mulſum, aut alimentum delicatum exhibendum nauſeabundis mulierculis, ſed aliud quiddã, quo illis viri maximè gratificari, & qua re potiſſimè affici ſolent ac deliniri, etiamſi exquiſitiſſimis donarijs illas ſtudeas demereri. eoque factum eſt, vt Solomon os vuluæ aut vteri oſtium, velut Orci fauces, inter ea referat, quæ cupiditate exiſtunt inſatiabili. Quocirca ſi optimè ſibi conſultum cupiunt, qui matrimonio ſunt addicti, vbi à morbo ſunt eluctati, ac reuiuiſcere incipiunt, ne ſe vxoribus feſtinanter obijciant, atque emulgendos præbeant, ſed voluptati moderẽtur potius, ac frenum intempeſtiuæ libidini inijciant. nihil enim ita conſtitutis adimi poteſt, vt nec arboribus tenellis, quæ truncari putarique recuſant. Nam ſi redintegrari ac recrudeſcere morbum cõtingat: aut ſubita morte cõficiuntur, aut ægerrimè cõualeſcunt. Quòd ſi validi robuſtique viri inito primum coniugio ægrè ſubſiſtunt, vbi res Venerea frequentius peragitur, atq; vxorum embolia, vt Ciceroniano verbo vtar, ſæpius frequentant: quantò magis vacillantis ac dubiæ valetudinis homines deijci cõtingit, ac debilitari? argumento quòd vxorij, hoc eſt, qui cõiugi plus ſatis dediti ſunt, atq; illi obſequũtur, colore conſpiciantur muſtelino, giluo, buxeo, exangui, plũbeo, membris, articulisq; fractis atque eneruatis: cùm alij, quibus concubitus perficitur moderatè, atq; intra mediocritatẽ cõſiſtit, dicuſſo,

Mulierum ſalacitas.

Prouerbiũ populare in fœminas.

Prouer 30.

Exemplum a tenellis arboribus.

atque diſſipato fuliginoſo vapore, colore florid exiſtant, ac facie roſeo rubentique pigmento pe fuſa. Eſt quidem cuique membo ſua vis inſita ac f cultas attributa, nempe oculis viſus, auditus aur bus, naribus olfactus & odoratio, linguæ ac palat ſapor & guſtatus, qui ex ſenſibus omnibus, maxi mè voluptarius: veſica eiusque muſculi reddend lotio, inteſtina deijciendis excrementis inſeruiũt Partes genitales progignendis liberis, perficiend que concubitui ſunt deſtinatę: ita alia membra a lijs officijs inſtructa ſunt ac dedicata: quorum ſin gulis temperantia moderatioque adhibenda. Si quidem oculi obtutu continuo fatigantur, ac cali gine offunduntur: Aures intenſiore ſonitu obſur deſcunt, vt omnibus fabris ferrarijs. Sapor immo dico vel cibo vel potu aboletur, omniaque effici untur inſuauia atque inſipida, ſic vt etiam ſtoma chus alimenta reſpuat atque auerſetur. Nares odo randi facultate præditæ, affuſa pituita, ne fragran tiſſima quidem percipiunt. Partes quoque genita les, quibus ſingula membra inſeruiunt, & ſi fort illę defecerint, aut exhauſtæ ſint, ſuccenturiata ad miniculantur (nam ex toto corpore humores a ſpiritus eò deriuantur, ac confluunt) ſi immode rata ac profuſa libidine defatigentur, non tam ip ſæ, quàm tota moles corporis flacceſcit ac collabi tur. Quocirca in conſeruandis naturæ viribus in roborando firmandoque totius corporis habi tu omnia moderatè ac temperanter inſtituantur quò quiſque maturè ac tempeſtiuè, nullaque moleſtia ſeneſcat, ne libidinoſa ado- leſcentia animum moroſum ac querulum, corpus effœ- tum ac flaccidum ſenectuti tra- dat.

Venus immodica venuſtatem depopulatur.

Cuiq; parti ſua vis inſita.

Omne nimium pernicioſum.

Fabri cur ſurdaſtri.

Omnia mẽbra ſuis officijs diſtincta.

De auræ atq; aeris effectu, tum flatuū ventorumq; nominibus, natura, ac viribus in excitandis morbis, ac permouendis humoribus, qui agitati menti damna nonnunquam inferunt.

CAP. III.

DVAE ſunt res aduentitiæ atque externę, corporibus noſtris non minus infeſtę, quàm ſalubres, quæ & valetudinem fulciunt, & ſanitatem nonnunquam demoliuntur: nempe alimenta, atq; aer ipſe, qui nos ambit, ex cuius agitatione & motu ventus emergit ac flatus, quibus ſingulis momentis corpora noſtra expoſita ſunt, ac manifeſtā mutationem ſuſtinent. Cōcipiuntur autem intra corpus noſtrum flatus & ventoſi ſpiritus, partim ab externo aeris impulſu, partim ab eſculentis & poculentis, quæ aſſumpta flatus pariunt, ac ventrem diſtendunt: vt ſunt fabæ, piſa, cruda olera, rapę, radicula, fructus arborei, muſtū, zythus, & cereuiſia recens, ex quibus orti flatus, ventriculo negotium faceſſunt, atque cùm inteſtinis, tum hypocondrijs, ſeu præcordijs moleſta ſunt. Hi vt etiam qui inter edendum ſpiritus ſubingredi ſolent, vbi auidè & confertim cibum potumq; ingerunt, ructibus aut emiſſis poſtico flatibus diſcutiuntur. Quòd ſi diutius corpori immorantur atque inhæreſcunt, aut vlli parti infixi dolores inferāt, foris calorifica fomēta adhibēda, intus verò quę diſcutiēdis flatibus ſunt idonea: vt ſunt Cuminum, lauri baccæ, aniſi, feniculi, cari ſemen, vinum meracum, nempe Creticum, quod Maluaticum vocant.

Aer & ventus valetudini vel officiunt vel proſunt.

Vnde flatus in corpore.

Auidè bibere flatibus corpus diſtendit.

Quæ flatus diſcutiunt.

His ſiquidem venti luctantes agmine facto
Quà data porta, ruunt, ac terras turbine perflāt. *Ex Aeneid.*

Cæterùm cùm externi flatus magna ex parte nobis ſint infeſti, effectuque penetrabili valetudini offi-

ciant, de ijs potiſſimè habebitur ſermo. Siquidem illi ſe modò tacitè ac latenter in corpus inſinuant, modò palam ac violenter ingruunt, atque hominibus, armentis, pecoribus, ſatis meſſiq́ue triticeæ herbis, arboribus infeſti ſunt, ac damna inferunt.

Ventorum origo.

Promanat autem atque effunditur ventus ex aere auraq́; cõcitata ac commota, quò fit, vt modò placidus ſit, blandus ac ſuauis, modò validus atq; impetuoſus pro ratione aeris tranquilli, vel agitati.

Ventus quid.

Sic vt Ventus non aliud ſtatui poſſit, quàm effluxus atque effuſio commoti aeris, qui vires & alimenta cõcipiat ex terræ exhalatione & vaporibus. Vel, vt Vitruuius ait: Ventus eſt aeris fluens vnda incerta atque inſtabili vi incitata. Quod ipſum cùm deſignaret Seruator: Spiritus, inquit, vbi vult, ſpirat, & vocẽ eius audis, ſed neſcis vnde prodeat, & quò ſe proripiat.

Ioan. 3.

Locus Euãgelicus explicatur.

Sumpta ſiquidem ſimilitudine ab externo flatu, Nicodemum inſtruit, qua vi, & quàm arcano effectu Dei ſpiritus hominũ mentes afficiat. Vt enim ſpiritus aëreus non cohibetur, nec conquieſcit vllius arbitrio, ſed inſtabilis eſt & inquietus, ſuoq́ue impetu fertur, atque hinc inde impellitur: ita vt per omnia diffuſus ſonitu effectuq́ue ſe prodat, non viſu: rebus terrenis nunc ſalutaris, nunc exitioſus: ita ſpiritus Diuinus tacito atque ineffabili afflatu humanas mentes pulſat, agitat, impellit, rapit, inflammat, incitat, transformat, atque homines ex carnalibus ſpirituales efficit.

Spiritus diuin⁹ aereo ſpiritui cõparatur.

Vt aũt mens atque humanus animus diuino ſpiritu ſubſiſtit ac fouetur: ita corpus hoc ſpirabile atq; animale externo aere ac ſalubri aura non minus, quàm cibo ac potu recreatur. Eſt enim aeris ac ſpiritus, quem hauſtu intra corporis noſtri receſſus concipimus, nõ minus, quàm alimentorũ vſus neceſſarius: abſq; iſtis enim aliquouſq; ſubſiſtere poteſt humana natura: nam ſeptenis nouenisq́ue

diebus, vt aſſolet, inedia tabeſcentibus, abſque verò aura circũfuſoq́; aere ac flatibus, ne tantillo quidem momẽto perdurare poterit, quin ſuffocetur. Quo aũt is purior ſit, ac minus habet contagij, eò corpori ſalubrior ac magis ſalutaris. Si enim aer contagioſus ſit ac peſtilẽs, cibo vitioſo ac venenato eſt nocentior. Siquidẽ cibus vomitu excuti poteſt. ac caloris naturalis beneficio concoqui, at ſpiritus auraq́; peſtifera non facilè domari poteſt, aut confici, vbi intimos corporis receſſus occupauit; nam confeſtim cor ac ſpiritus vitales inficit opprimitque. Quocirca communis hic aer (qui reſpirationi ſubſeruit, & cuius adminiculo ſpiritũ hinc inde reciprocantem producimus atque attrahimus) accuratè obſeruandus eſt. Nec minor habenda ratio, in ſtabilienda ſanitate, ventorum, qui ab aere promanant ac diffunduntur, non ſolùm in libero apertoque aere, cui ſubinde nos exponimus, ſed etiam in conſtruendis erigendisque ædibus, in conſtituendis porticibus, veſtibulis, feneſtris, oſtijs, omniq́; proſpectu, per quem in triclinia ac cœnacula externi flatus ſe ingerunt, quò ſalubri aura nos reficiant, non offendant graues atq; inſalubres halitus. Quod cùm Hippocrates in peſte, quæ totam Aſiam depopulabatur, ac Gręciã exhauſit, ſtudioſè obſeruaret: multa hominũ milia ab illa vindicauit. Marcus quoque Varro cùm Corcyræ eſſet, in omnibusq́; paſſim ædibus ægroti decumberent, inducto feneſtris nouis Aquilone, atque obſtructis, quæ Auſtrũ admitterent, ianuaq́; permutata, comites ac familiã incolumes reduxit. Sic apud Belgas maritimos, quoniã multę ciuitates Auſtro atq; Africo ſunt oppoſitæ, homines plurima anni parte ægrotant, ac pituitæ fluxionibus ſunt obnoxij. Quò ſpectat illud Victruuij: In inſula Lesbo oppidum eſt Mytilene magnificenter ædificatum,

Inedia quãdo pernicioſa quouſq;.

Spiritus vitioſus alimento nocentior.

Obſeruatio in conſtituendis ianuis.

Hippocratis in peſte conſilium.

Varronis in peſte cõſilium.

Lib. 1. c. 5.

atque eleganter, ſed poſitum non prudẽter, in qua ciuitate Auſter cùm flat, homines ægrotant. nam is ventus putredinis cauſam præbet, cùm Corus Circio affinis ab occaſu ſolſtitiali ſpirans, vulgò *Noordt VVeſt*, homines tuſſiunt, cùm Septentrio atque Aquilo, reſtituuntur in ſalubritatem. Ex quibus liquidò apparet, inſtabiles ventorum impetus humanis corporibus morbos inferre, ác valetudinem deteriorem efficere: quos ſi euitare atque excludere liceat, minus morbis quemque tentari cõtingat: aut ſi fortè ex cauſa aliqua contracti fuerint, vbi flatibus noxijs aditum præcluſeris, expeditius ſaneſcent ac conſopientur. Veteres, quoniã quatuor ſunt cœli regiones ac limites, totidẽ conſtituerunt ventorum diſcrimina, quos elegãti carmine complexus eſt Ouidius:

Venti cardinales quatuor.

Meta. lib. 1.

Eurus ad auroram Nabathæaq; regna receſsit,
Perſidaq;, & radijs iuga ſubdita matutinis.
Veſper & occiduo quæ littora Sole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro, Scythiã ſeptemq; triones
Horrifer inuaſit Boreas, contraria Tellus
Nubibus aſsiduis, pluuioq; madeſcit ab Auſtro.

Alij, quibus viſum eſt exactius omnia dimetiri, duodecim dinumerant. Noſtra verò ætas nautarum nauigatione edocta, ob vaſtum ac ſpatioſum Oceani ambitum mariſque mediterranei longiſſimos tractus, duos & triginta ſtatuunt, eoſque in verſoria ac pixidecula nautica, vulgò *Compas*, exhibitos, continenter intuentur, atque intempeſta nocte etiam, cœloque nubilo ac caliginoſo, illius vſu & commoditate curſum dirigunt, portuſque deſtinatos aſſequuntur. Nec eſt recens aut nouitium inuentum hæc pixidecula, cùm Plautus etiam huius meminerit:

Pixis nautica duos et triginta ventos ſtatuit.

Trinũ. act. 4. ſcena 3.

Quin tu quod perijt, perijſſe ducis?
Cape verſoriam, recipe te ad herum.

Cæterùm

Cæterùm viris politicis, qui à nauigandi conſuetudine ſunt alieni, non tam ventorum numerus, quàm natura affectusque excutiendi. Quiſquis enim ex Hippocratis præſcripto valetudini optimè conſultum velit, quadripartitas anni diſtinctiones (quatuor tempora noſtri vocant) obſeruet: deniqueventos calidos frigidosque, quibus omnes paſſim ſunt expoſiti. Habent enim momenti plurimum ad tuendam valetudinem, ac morbos propulſandos ventorum concurſus & aeris conſtitutio. Siquidem non tam corpora, quàm animi hominum mutationem ſubeunt, pro cœli ac ventorum ratione, ita vt etiam ſani aliter affecti ſint cœlo nubilo ac turbulento, aliter ſereno ac placido, aliter ſpirãte Zephyro aut Fauonio, aliter ſæuiente Auſtro vel Africo, adeò vt non modò corpora ſint agiliora, ſed mentes etiam erectiores, expulſaque omni moroſitate, magis tractabiles, vbi cœlum ſuaui vernantique aura, ac vento placido perfunditur. Cæterùm quò ſingula ad amuſſim exigantur, Ventorum nomina doctis ac plebeijs vſitata, conditiones, vires, effectusque obiter percenſebo: quo quiſque declinare poſſit, quæ nocitura videbuntur, atque ijs ſe tutò obijcere, quæ ſalutaria fore ſperat atque innoxia. Ab æquinoctiali ſeu vernali exortu, qui perficitur, vbi Sol Arietẽ ſubit, Subſolanus progreditur, *Oeſt*, Germanicis, *Leuante* Italis, ventus magna ex parte ſalubris, & qui animi mentisque nebulas diſcutit, antelucano autem ſubfrigidus eſt, meridie vergenteque in Auſtrum ſole, tepeſcit ac languidum calorem concipit, noſtrates *Lau oft zoel* vocant, cùm corpora non æſtu immodico infeſtantur, ſed flaccido calore tepefacta langueſcunt ac nauſeant, Belgę *VVanluſtich*, vocant, Cor. Celſus atque Ouidius Egelidum, cùm inquit,

De aere & locis.

Aura & venti corpora immutant.

Animus ab aeris intemperie vitiatur.

Subſolani venti, qui ab ortu progreditur, effectus.

Lib. I.

Et gelidum Borean, egelidumq́ Notum.

Aeſtate autem media vbi feruеſcit Sol, æſtũ Subſolanus excitat, ac flauam bilem accendit, ex cuius inflammatione febres ardentes pullulant: Hieme verò paulò mitior eſt, ac minus, quàm Aquilo, aſper ac rigidus. Eurus Orientali vento affinis, effectuque proximus, ad leuam verſus meridiem nonnihil declinat, ſic dictus, quòd ab auris procreandis mouendisque diluculo, orto primùm Sole moueri incipiat, vulgò *Ooſt zuydooſt*. nam in illo cœli cardine Apeliotæ ſeu Subſolano aſſiſtit, non longo interuallo proximus. Aeſtiuis autem menſibus feruidus eſt, vrentesq́; febres excitat: & quod in Belgica à me ſæpius obſeruatum eſt, graſſante morbo aliquo populari, vt illo ſpirante aſſolet, carbunculos ac tumores contagioſos in inguine & ſub alis parturit, rubentesque puſtulas atque exanthemata, quæ in extima cute effloreſcunt atque ebulliũt: cùm enim tepidi caloris ſit particeps, admixta ſcilicet nonnulla humiditatis portione, aliquam putredinis atque inflammationis cauſam ſanguini præbet. Hibernis verò menſibus intentiſſimum frigus adfert, quod plerumque nix ſubſequi ſolet, ac rigidiſſimæ pruinæ, adeò, vt qui huic vento ſe exponunt, ægrè nares, faciem, oculos, genas, à penetrabili vrentique frigore tueri poſſint: quæ vis & Vulturno aſſcribitur vento violento ac præferoci, quem in eodem ordine nõnulli collocant, tametſi paulò ab Euro digrediatur. Proximum locum verſus meridiem ſortitur Euronotus *Zuydtooſt*, qui æſtate magna ex parte ſerenus eſt, tametſi nõnunquam non modò aera, ſed etiam mentem nebulis ac caligine offundat: cùm enim aliquando turbulentus exiſtat, animo melancholiã adfert, ſed quæ facilè diſcutitur. Siquidem non acer eſt, aut acerbus in concitandis humoribus, vt plerique alij. Vt autem

Euri locus & effectus.

Eurus aliquando peſtis cauſa.

Eurus hieme frigidiſſimus.

Vulturni natura.

Euronoti effectus & ſtatus.

Simile à marinis fluctibus vento agitatis.

ıutem marini fluctus ventorum violentia intumeſcunt atque attolluntur: ita quoque in humanis corporibus eadem vi agitantur humores atque exæſtuant, quorum vapores ac fumi ſurſum delati, mentem inquietam reddunt, animumque moroſum, difficilem, querulum, præfractum, durum, intractabilem, adeò, vt ſubſiſtente illa affectuum intemperie, non facilè ab huiuſmodi hominibus quicquam impetraueris, aut poſſis obtinere, præſertim mulierculis aut auaris ſeniculis: qui cùm ſint ſuſpicioſi, odorantur pleroſque inſidioſa quadam ciuilitate aliquid venari ac captare, quos indignatione quadam repulſos maledictis onerant, niſi fortè tempeſtiuè atque in tempore, quod omnium primum eſt, ac præcipuum, acceſſerint. Sunt enim, qui dextrè ſua negotia perficiunt, ac captata occaſione, arreptaque opportunitate. *Vēti etiam animo intemperiem adferunt.* *Opportunitas captanda.*

Pertentant aditus, & quæ molliſsima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus.

Ex Virgilio deſumptū Aene. li. 4.

Quocirca cùm multa ſint, quæ naturæ humanæ cōditionem permutare ſunt idonea, tùm maximè ventorum concurſus, auræque inſtabiles motus, quorum impulſu non modò corpora, ſed ſpiritus animalis incommoda percipit, ipſaq; mens intemperie quadā afficitur, adeò, vt pro aeris ac flatuum varietate, modò nubila exiſtat ac turbida, modò ſerena, placida, ſedata: quanquam victus vitæque intemperantia multū momenti adferat in conſtituendo corporis habitu, fouendisque affectibus. Inter ventos autem, qui hominibus maximè infeſti ſunt, ac valetudini officiunt, Auſtrum refero, *Zuydt*, natura effuctuq; calidum ac humidum. Eo ſiquidem flante terra madeſcit imbribus, atq; humore affatim perfunditur, quò fit, vt corpora prōptiſſimè putreſcant, atque humorum corruptelas concipiāt, Catarros quoque excitat ac defluxus in *Auſter inſtabilis.* *Auſter quos morbos excitet.*

ſauces, vocalem arteriam ac pulmones, hinc coryſæ, raucedines, tuſſes, morbi comitiales, vertigines, lethargus, apoplexia, lippitudines, ſurditates, aurium tinnitus, multaque alia, quæ cumulatè ſpirante Auſtro emergunt ac ſcaturiunt. Obſeruaui autem ſæpius diuturno eius flatu grauidas abortire, ac partum excutere, obortoque immodico profluuio periclitari. Cùm enim partes corporis, ligamenta, neruі, muſculi, membranæ, anſæ, omenta, quæ geſtando oneri inſeruiunt, flacceſcere incipiant, ipſumque vterum concepto humore nimio, lubricum fieri, ac ſenſim dilatari contingat: fieri nequit, vt natura onus perferat, ac legitimum geſtationis tēpus aſſequatur, præſertim vbi poſt ſiccitatem ac ſqualores humida tempeſtas inciderit, quæ cum ſiccis ac bilioſis corporibus non incommoda, tum pituitoſis atque humidis, nempe pueris ac mulieribus, quique paluſtria atque vliginoſa loca incolunt, cùm primis noxia: eoque fit, vt infantes atque impuberes implacabili tuſſi infeſtentur, *kindthoeſt* Belgæ vocāt, quod ſingultu quodam prodeat, nullis admiſſis inducijs, aut reſpirādi ſpatio. Cùm enim continenter ac laborioſè, nullaque interpoſita mora tuſſiunt: irritus tamen eſt conatus, nec quicquam proficiunt, adeo vt intercepto occluſoque anhelitu, ſuffocatio immineat, atque obturatis ſpirandi fiſtulis anima ac ſpiritus, qui vltrò citroq; commeat ac reciprocatur, poſtico prodeat erumpatque non ſine maximo vitæ diſcrimine, niſi natibus vtroque genu arctè compreſſis illum cohibeas ac reprimas: quo ſpiritus, qui inuerſo ac præpoſtero tramite ſibi viam molitur, atque aliundè erumpere geſtit, reſiliat, aſſuetasque ſpirandi fiſtulas repetat. Cōtrahitur autem hoc tuſſis genus ex humore tenui ac fluido, qui non cōglobatur aut concreſcit, ſed in pulmonis cōceptacula effun-

Auſtri incōmoda in excutiendo partu.

Auſter bilioſis nō incōmodat.

Auſter pituitoſis noxius.

Tuſſis à liquido humore moleſtus.

Tuſſis pueros ſtrangulans.

effunditur ac diffluit, adeò vt naturæ vis ac facultas tam liquidum excrementum nec coactum aut concretum expellere nequeat. Vt enim gutta aquę, aut alterius liquoris in tabulam aut planitiem effuſa non coit, ſed diffunditur ac diſſipatur, ita vt primoribus digitis prehendi non queat: ita humor is è capite in fauces ac vocalem arteriam, pulmonumque fibras delapſus ſubduci nequit, quanquam natura continenti tuſſi hunc excuſſiſſe laborat, ſed fruſtra, quoniam ob tenuitatem cōtactum ſubterfugiat atque elabatur: craſſa quoque pituita, quæ tanquam viſcus pulmoni inhæret, nō minus, quàm tenuis homines fatigat, ſed nullo ſtrangulandi periculo. Hos itaque morbos ac valetudinis incommoda Auſtrini flatus corporibus inferunt, multiſque alijs cauſam præbent ac ſeminarium. Siquidem liquefactis diffuſiſque vndiq; humoribus tumores articulares, ac dolores podagrici excitantur, quibus afflictæ ſingulæ corporis partes ad omnes functiones ac munia redduntur inidoneæ. Quòd verò ad internas vires atque animi munera attinet: mens, flante Auſtro, languida eſt, demiſſa, ſtupida, deiecta, ſomniculoſa, & quæ oſcitanter omnia aggrediatur. Hæc quoque vis in rebus inanimatis ſe profert ac vires exerit. Siquidem obſeruamus, ſpirante Noto, in ædibus omnia flacceſcere ac madida eſſe, lintea, lodices, tegeticulas, ſtragula, papyrum, membranas, chartas geographicas, reliquamque ſupellectilem: paludes quoque ac ſtagna, amnes, flumina, Oceanum, turbida ſpectari atque vmbroſa: Spirante autem Aquilone, omnia pellucida, clara, ſplendida, defecata, ita vt fundus ſit conſpicuus, omniaque in imo ſe ſpectanda proferant. Simile quiddam accidit in ſanguine & humoribus, quorum ſordes & feces emergunt Auſtrinis flatibus, ac menti caliginem inferunt:

Simile à re liquida & fluida.

Auſter articulares dolores mouet.

Auſter animo grauis.

Auſter omnia obnubilat, Aquilo ſerenat.

ferunt: recondunt verò ſe ac ſubſident, flante vel Subſolano vel Zephyro, aliiſque vẽtis placidis perſpirantibus. hinc maxima in animis hominum alacritas, mentiſque erectio, vbi cœlum Solis ſplendore niteſcit: maxima contractio, animiq; mœror & deiectio, ſi quando aura caliginoſa eſt ac nubila, ventique turbulenti ſæuiunt. Simili ratione imminentibus pluuijs, ſpiranteque vel Noto, vel Africo, cloacæ, ſtagna, paludes, foricæ, latrinæ, aliaq; loca proluendis ſordibus deſtinata, graues halitus effundunt, atque eſculenta quæque vitiant, ita vt minus diu aſſeruari poſſint.

Aer ſerenus mentẽ exhilarat.

Noto ſpirãte paludes olidæ.

Venti collaterales atque intermedij, qui à meridie nonnihil declinant, ac verſus Occaſum hibernum paululum deflectunt, pares cum Auſtro & Africo vires obtinent, inter quos refertur Lybonotus atque Auſtroafricus *Zuydt Zuydt VVeſt*. ab illa enim cœli plaga proruit ventus turbidus ac nimboſus, non minus corpori, quàm animo mentique infeſtus: habent enim eam vim flatus impetuoſi, vt humores in imis viſceribus, velut ſentinã in nauibus, commoueant: quorum fumis & vaporibus agitata mens, intemperies cõcipit, affectibus commouetur, incandeſcit, tumultuatur, inquieta eſt, ac non ſecus, quàm Oceanus, æſtuat ac ferueſcit, ita vt ſpiritus quoque aerei ac mali Genij aliquando ſe tempeſtatibus ingerant, ac faces miniſtrent, mentique humanæ ſe tacitè ac latenter inſinuent, eamque vexent, lacerent, exagitent. Vulgare eſt autem apud Belgas pleroſq; emotæ mentis, & quibus ſenſus diminuti ſunt, aut ſpiritus animalis vitioſa aliqua qualitate imbutus, triduo etiam antequam tempeſtates ac venti ingruant, tumultuari, omneſque vicos, compita, plateas, angiportus circumire ac concurſare modò ſilẽtes ac taciturnos, modò clamoſos atque obſtrepentes, ita vt vulgus dictitare

Lybonoti & Auſtroafrici natura.

Genij mali ad inferenda damna præſto.

Mẽs quib⁹ vacillat, ab aere citò offenduntur.

ſtitare ſoleat, Suborituram aeris intemperiem, atque vt ferè aſſolet, imminere tempeſtates, imbres, procellas, turbines. Econtra vbi ſudum eſt cœlum, ac tranquillum, ventiſque placidum exiſtit: omnibus ſe comes præbent, blandos, ſuaues, affabiles, feſtiuos, lepidos, ſic tamē vt ridiculos ſubinde mores ac facetos exprimere non deſinant, ex quibus facilè coniecturam feceris, quo ſint corporis habitu, qua mentis conſtitutione.

CAETERVM inter ventos, qui in Auſtri confinio conſtituti, ab Occaſu hiberno perflant, nullus Africo, vulgò *ZuydtVVeſt*, impetuoſior, aut procellis fœcundior. nam tonitrua ac fulmina æſtiuis menſibus profert, ſæuaſque tempeſtates parit, adeò, vt culmina conuellat, ſata proſternat, naues in vada ac ſcopulos illiſas, ad naufragia impellat, æſtate tamen, quàm hieme, minus diuturnus: vt enim ſubitò exoritur, ac furibundus eſt; ita confeſtim deſinit ac conſopitur. acuit autem huius iras ventus ille, quem Horatius Iapiga vocat, *VVeſt zuydtVVeſt*, omniaque exaſperat, & ſæuiora efficit: qui etiam magna anni parte ſtationem ſuam conſtanter tuetur, expulſiſq; alijs ineunte hieme continenter ſpirat, maximo nauigantium incommodo: æſtate autem media magis placidus eſt, ac minus turbulentus. Qui verò ab æquinoctiali Occaſu ſe proferunt, nempe, Zephyri ac Fauonij, *VVeſt*, Italis *Ponente*, ineunte vere atque hirundine prima, placidi ſunt, amœni, blandi, ſuaues, quique omnia fouent ac recreant. ſiquidem moderato Solis calore tepefacti, ſtirpes ac floſculos eliciunt, omniaque rediuiua præſtant, ac renouant, adeò, vt etiam ſanguinem, ac ſynceros humores, qui hieme delituerunt, proferant, diſcuſſaq; mœſtitia atque animi nebulis, mentem hilaritate ac lætitia reficiant.

Africi natura.

Iapix ventus.

Fauonij natura.

Deſinen-

Deſinente tamen autũno, anniq́ue circuitu in hiemem inclinato, venti Occidentales inclemẽter ſęuiunt, terrasque ac maria, turbulenta tempeſtate concutiunt: in excitandis verò morbis frigidis ac pituitoſis non minus, quàm Auſtrini flatus, noxij ſunt ac pernicioſi. Venti autem Occidenti ac Septentrioni confines ac finitimi tres enumerantur, Corus ſiue Argeſtes, *VVeſt Nordt VVeſt*, Circius ab occaſu ſolſtitiali *Noordt VVeſt*, Thracius *Noordt noordt VVeſt*, venti omnes validi, qui marinos fluctus furenter quatiunt, diruptisq; ac conuulſis aggeribus Oceanum in continentem longè lateque deuehũt. duabus autem anni partibus potiſſimùm vigent, declinante autumno, atque aduẽtante vere: præſertim menſe Martio; quibus temporibus grandines, nimbos, procellas, fulmina è ſublimi deijciunt, ita vt vno temporis momento, aut perexiguo ſaltem interuallo tres illi inter ſe conglomerati, proruant, magnaq́ue detrimenta hominibus, ſatisq́ue inferant. Emergunt autem ex ijs ac pleriſque alijs repentini, ſubitiq́ue flatus, qui in concitatiſſima aeris intemperie, ignitos globos, ardentesq́ue faces eiaculantur, vt Præſter, Ecnephias, ventusq́ue Typhonicus Paulo Apoſtolo infeſtus.

Cori & eorũ, qui illi affines ſunt natura.

Actor.27. Obſeruata ſunt hæc ſuperioribus ſæculis, cùm alijs, tùm maximè Virgilio, qui ea hiſce verſibus complexus eſt, quæ ſingulis anni temporibus non ſine inſigni clade, atque annonæ iactura nobis obueniunt.

Georg.li.1.

Quid tempeſtates autumni, & ſidera dicam?
Atq; vbi iam breuiorq; dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris, vel cùm ruit imbriferũ ver,
Sæpe ego, cùm flauis meſſorem induceret aruis
Agricola & fragili iam ſtringeret ordea culmo:
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam latè ſegetem ab radicibus imis,

Sublime

Sublime expulſam eruerent, ita rubigine nigro,
Et pluuia ingenti ſata læta, hominumq́ labores
Diluunt.

Corporibus quoque, quæ non minus, quàm culmina conuellunt, multos morbos inferũt. Siquidem vere & autumno, tum præſertim menſe Martio, articulis, neruis, muſculis, membranis, tendinibus puncturas, rigores, contractiones, palpitationes, laſſitudines vlceroſas accumulant, ita vt ſic affecti, futuræ tempeſtatis prognoſtica edant, & qualis ſit exoritura aeris intemperies, indubitanter denuntient ac præſagiant, noſtri *VVerVVijs* vocant, hoc eſt, euenturę tempeſtatis præſcios, quales ferè ſunt valetudinarij, quique morbida ac ficoſa cadauera circumferunt. Et quemadmodum huiuſmodi venti morbos ac febres, multaque valetudinis detrimenta adferunt, ac ſanitatem vitiant: ita ſolo fœcundo ac fertili, excultiſque agris ad ſementem atque vberem meſſem officiũt. Terra ſiquidem non minus vento rigido proflata, quàm pluuia triſti atque inſuaui madefacta, non ſalutares herbas, ſed lolium, zizania, ſentes, carduos, lappas, tribulos, vepres profert, quæ ſata ſtrangulant, niſi ſedulò extirpentur. His proximè adſiſtit Septentrionalis, *Noord*, Italis *Tramontano*, nonnullo ad ortũ progreſſu, Aparetias *Noordt, nordtooſt*, Aquilo ſeu Boreas ab æſtiuo & ſolſtitiali ortu medium locum tuetur, *Noordt ooſt*. Cæcias verò *Ooſt, noordt ooſt*, ab Aquilone Subſolano, ſeu Apeliota ſtipatur. Septentrionarius natura effectuque frigidus & ſiccus exiſtit, magna ex parte ſerenus, licet aliquando pluuius, mitigat autem Cori & Circij ferociam: vbi enim plus ſatis ſæuitum eſt, ac iam propemodum ſunt defeſſi, in ventum Septentrionalem ferè deſinunt, ſic vt mox aura miteſcat, ac tempeſtas ſopiatur: quocirca vnicè eò transferri cupiunt hos

Veletudinarij auræ iniurijs obnoxij.

Aura rigida ſatis noxia.

Septentrionalis venti natura.

ventos

ventos indigenæ. nam ſi verſus Auſtrum ferantur, recrudeſcit intemperies ferocius, ac rurſus nouas vires concipit, quò fit, vt quotannis multæ roſtratæ naues, ac vaſtæ holcades periclitentur, atq; in ipſo ferè portus aditu in breuia & ſyrtes, vadaque cæca ac latentia illiſæ diſſoluantur, incredibili mercium iactura ac diſpendio. Quocirca ventus Septentrionalis, non ſolùm Coro & Circio ſalubrior, ſed etiam ſedatior, atque in concitandis ciendiſque tempeſtatibus mitior: tametſi hibernis aliquando menſibus rigidus ſit, ac violenter ſpiret, quò fit, vt catarrhos excitet, pleuritides, atq; anginas, ſed alia, quàm Auſter, ratione. Siquidem ſpirante Noto humores liquefacti, ſpontè diſſoluuntur, atque è capite in ſubiectas partes defluunt. Septentrionali verò atque Aquilonio flatu, quoniam conſtringi contingat muſculos ac membranas, pituita exprimitur, quemadmodum complicatis compreſſiſque in pugnum digitis, ex ſpongia aquam extundimus. Quacunque autem anni parte hi venti ſpirant, frigore corpora afficiunt, meatus conſtipant, aeris contagia diſſipant, coactoque intus calore natiuo, concoctioni auxiliantur. Cùm autem Auſtrini flatus, diſſoluta corporis compage, membriſque languore ac veterno affectis, homines ſomniculoſos efficiant, oſcitātes, flaccidos, veternoſos, nauſeantes, deſides, atq; ad obeundas vllas functiones, aut exercitationes imparatos. Tum Aquilonij, Hippocrate teſte, agiles præſtant, viuidos, erectos, alacres, geſticuloſos, atq; ad quiduis aptos, præſertim quibus habitus eſt humidior. ijs enim naturæ munera ac functiones melius perficiuntur, omniaque ſalubrius procedunt, quemadmodum ſiccis aridiſque corporibus, humidus cœli ſtatus ſalutaris. eo enim minus frigore rigent, aut vruntur calore. Cùm itaque duo iſti venti

Auſter & Aquilo diuerſa ratione catharrhos mouent.

Simile à ſpongia cōpreſſione.

Li. 3. Apho.

venti Auſter & Aquilo, illisq́ue vtrinque affines in tota ferè Europa viciſſitudines anniuerſarias conſtituant, præ cæteris hos obſeruandos cenſeo: nullus enim ventorum per totum anni circuitum ſpirat conſtantius: ſiquidem ceſſante ſopitoq; altero, alter exoritur, ſuamq́; ſtationem tuetur: tametſi cæteri paulò antè memorati ſuas vices etiam ſortiantur, ſed qui celerius conquieſcant ac deſinant. Quocirca horum vtriuſque habenda ratio, non ſolùm in tuenda valetudine, profligandisq́ue incommodis, ſed cùm iter ingredimur, aut cùm terra marique nos aeri committimus. Hoc enim longa obſeruatione compertum habeo, Aquilonem noctu exortum non eſſe diuturnum, aut ſtabilem, nec triduo in ea ſtatione atque ijs excubijs conſiſtere: quod, Ariſtotele teſte, etiam Homerus, dum Vlyſſis errores proſequitur, indicauit, *Auſter & Aquilo præcipui in mouēdo aere.*

Tertia lux nunquam nocturno Aquilone laborat.

Quod eò fit, quoniam exhalationes ac materiam minus copioſam ſit nactus, quibus ſubſiſtere poſſit, ac diuturniores flatus perficere. Siquidem motus atq; agitatio aeris, qui ventum efficit, ab eoq́; vires & incrementa concipit, debilis eſt, imbecillis tenuis, exiguus, ita vt vires deſint, quarum adminiculo progredi poſſet, ac ſe diutius proferre, efficique diuturnus. *Aquilo quando minus diuturnus.* Vt enim in morbis ac febribus humorum copia ac redundantia omnia grauiora, magisq́ue diuturna facit, atque inſultum producit: ita vehemens aeris concitatio, atque exhalationum vaporumq́;, qui è terra emanant, creber denſusq́; concurſus ventos exaſperant, atque illos cùm violentos, tum diuturnos efficiunt. *Simile ab inſultu febrili.* Et quemadmodū ignis confeſtim extinguitur, vbi arida nutrimenta deſiderantur, ac fomites deſinunt: ita Aquilo, intēpeſta nocte, vel ipſo noctis crepuſculo *Simile ab ignis fomite ac nutrimento.*

exor-

exortus, mox euaneſcit, ac ſtationem deſerit: eoq; fit, vt exercitati nautæ non temerè Aquiloni fidant ad primum intuitum, nec quidquam aggrediantur, niſi triduanus ſit: cùm Auſter primi diei exortu ſpem fulciat nautis, diuturnum fore ac ſpiraturũ conſtantius: Quod ipſum apud Italos naucleri ac nauarchi, qui vulgari idiomate Pilotæ & Admiraldi dicuntur, Prouerbio deſignant, Νότες πρῶτος, Βορέας τρίτο.

Pilotæ ſeu nauclerí ventorũ obſeruãtiſſimi.

Cui ſententiæ cùm eſſet addictus Andreas ab Aurea architha laſſ⁹, hoc eſt, Cæſarianę claſſis apud Genuenſes præfectus, Carolo Imperatori eius nominis Quinto id obſeruandum conſuluit. Siquidẽ cùm in Africam expeditionẽ meditaretur, ac Cæſar ad primũ Aquilonis conſpectum, Mauros adoriri tentaret, admonuit alter, non incitandas triremes, nec claſſem mari committendam, niſi Boreas ſeu ventus Aquilonius triduum ſubſtitiſſet: Auſtro verò ingruente, eueſtigio, primaque luce in altum ducendas naues, ac confeſtim, nullaque mora, ſi omnia adornata ſint, ſuisq; armamẽtis abundè inſtructa claſſis, nauigationem inſtituendã, velaque exponenda flatibus: non enim metuendum, ne mox deſinat, aut minus futurus ſit diuturnus: cùm ferè nebulis denſiſque nubibus fultus, ac caligine ſtipatus, diuturnitatis, ac conſtantiæ ſpem præbeat.

Andreas ab Aurea exercitatus nauarchus.

Andreas ab Aurea quid Carolo Cæſari conſuluit.

Cæcias Orientali vento, minimo interuallo à dextra proximus, minus Aquilone violentus eſt, aut ſonorus, nec frigore tam penetrabili, flatuque rigido, quod Soli ſit vicinior: conuoluit autem ac conglomerat nubes, illasque conglobatas ad ſe allicit, quoniam retortæ aliarum nubium, vel montium obiectu reſiliant: quod in fluminibus, atque amnibus, ipſoque Oceani fluxu ſæpius obſeruaui, in quibus non cõtinuato curſu, obſeruatoq; alueo fertur

Cæcias cuius natura.

Cæcias qua ratione nubes trahat.

ſertur ac voluitur fluctus, ſed vtrinq; circa littoris oras, ac ripæ extremitates reflectitur ac retorquetur, auerſo ſcilicet ac deflexo, contorto dextrorſum ac ſiniſtrorſum curſu, nec aliam huius rei excogitari poſſe rationem video. Ex huius autē venti natura Prouerbium manauit in improbos, Mala ad ſe attrahens, vti Cæcias nubes, vt nunc paſſim factitant nocturni oppreſſores, qui conglobati intempeſta nocte ædes ſubruunt, atque excruciato hoſpite, adactiſque domeſticis ad commonſtrandum theſaurum, omnia conuaſant, ac diripiunt: *kneuelaers* nunc paſſim appellantur, à violentia, quam inferunt ac contorquendis hominū membris. Cæterùm vt ex rebus naturæ ſalubre aliquod documentum eruatur, hoc cuique perſuaſum cupio, omnes iſtos aeris & naturæ effectus, à nutu atque arbitrio ſummi opificis pendere, eiuſque vi perfici. Siquidem ignis, grando, nix, pruina, glacies, turbines, ac ſpiritus procellarum obſequuntur verbo illius. Ipſe enim mittit niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerē ſpargit: qui iacit grandinem fruſtulatim, atque efficit, vt omnia glacie conſtrata ſint, tanquam planicies, adeò vt nemo à frigore eorum poſſit ſubſiſtere. Ipſe eadem, incitato flatu, liquefacit, ac confeſtim in pluuiam reſoluit. Ipſe aufert Eurum, atque in virtute ſua inducit Africum. Ipſe dominatur poteſtati maris, motum autem fluctuum eius compeſcit ac mitigat. Ipſe producit ventum vrentem, & areſcere facit germina terræ. Patitur quidem Deus mundum hunc, atq; vniuerſi naturam ferri, voluiq; ſuo ordine ac modo, vt initio conſtituit, elementa, ſidera, Oceanum, ventorum impetus, veris, æſtatis, autumni, hiemis diſcriminata tempora, ſic tamen, vt penes eum horum ſit poteſtas & imperium. Siquidem vbi illi viſum eſt, & expedire videtur, quædam in ſcelerum vindi-

Prouerbiū in improbos.

Pſal. 148.

Pſal. 77.

Pſal. 68.

Aggæi 1. & 2.

Deus elementis vtitur ad inferenda damna.

vindictam exaſperat, ac ſæuiora efficit, multasque clades ac damna horum miniſterio hominibus infert, quò mentes ſopore oppreſſas ſopitasq; ac delicijs indormientes excitet. ſic enim religionis deſertoribus minitatur : Quòd ſi præceptis meis nō fueritis obſequuti, perſequar vos tabe, morbis ac febribus, animique tædio ac mœrore : dabo vobis cœlum ferreum, & terram æneam, ita vt nequicquam ac fruſtra vires conſumentibus neque terra fruges, neque arbores fructus proferant. Sic apud alios expoſtulat cum populo ſuo : Excitaui vobis ventum vrentem, quo rubigine atque vredine vos afflixi, veſtrosque hortos, oliueta, vineas, ficeta cōſumpſit bruchus & eruca, nec tamen ad me eſtis reuerſi, dicit Dominus : Quò euenit, teſte vate alio, Vt terra rorem, pluuias atque imbres deneget, omniaque ſata ardore, rubigine, grandine infeſtentur. Quæ documento ſunt, ac quemque erudiunt, tempeſtates, nimbos, grandines, tonitrua, fulmina, turbines, ex naturaliū quidem cauſarum progreſſu exoriri, ſed quæ recrudeſcant, atque homines diuexent atrocius, vbi Deus illos caſtigatos ad frugem reuocat, qui vbi reſipiſcēte homine factus eſt placatior, ac furor mitigatus deferbuit, calamitates transfert, immutat, cohibet, imminuit, omniaque feliciora pollicetur, nempe vberem annonæ prouentum, agros fœcundos ac fertiles, tempeſtiuam pluuiam, meſſem copioſam, trituram, vindemiam, greges, armenta, pecora, quæ voto reſpondeant, corpus ſalubre ac vegetum, vires firmas, facultates ac res familiares ſtabiles, animum verò impauidum, tranquillum, ſecurum, quietum, infractum, & qui fiducia Diuinitatis, vnde mentem hauſtam ac libatam obtinemus, non facilè expalleſcat metu, aut timore concutiatur.

Leuit. 26. *Amos 4.* *Agg. 1. 2.* *Deut. 28.* *Pſal. 90.*

De

De Pixide nautica, vulgò Compas, *quam Plautus Verſoriam vocat, cuius obtutu atq; obſeruatione naucleris velificatio perficitur: & qua vi ac ratione continenter ſeptentrioni obuertatur.*

C A P. IIII.

CVM ventorum paulò ante habita ſit ratio, eamq́; fuſius explicaſſe viſus ſim: reſtat, vt de Verſoria nonnihil proferam: quandoquidem nautæ huius vſu & cõmoditate nauigationem inſtituũt, ac longa maris ſpatia, tractuſque Oceani immenſos, deniquè locorũ ſitum ac diſtantiam dimetiuntur, & quantum viæ peractũ ſit, & quid reſtet peragrandum, exactiſſimè explorant, omniaq́; ad hanc pixidulam, tanquam amuſſim, exigunt: quã vim conſequitur ex magnetis aut lapidis Lydij attritu, qui ſingulari vi pollet in attrahendo ferro, niſi oleo, aut pingui aliqua re oblitus ſit. tunc enim id reſpuit: hic noſtratibus *zeylſteen* vocatur, quòd eo curſum nautę inſtituãt, ac ſecurè velificentur. Subeſt huic pixideculæ rotula quædam verſatilis, papyracea; plana, circinatæ rotunditatis, tenui ac bipartito ferramẽto ſuffulta, in cuius centro ſeu medio turricula ænea acuminata (nam ferrum rei effectum eo loco impediret) affixa eſt, quæ ſtylo ac cuſpidi acutiſſimæ inſiſtit, eoq́; hinc inde in ęquilibrio voluitur, atque vbi cõquieſcit, pars illa, quæ lilij imagine inſcripta eſt, & in quã ferramentum magnete confricatũ deſinit, ſtabiliter Septẽtrioni obuertitur, polumq́; Arcticũ reſpectat, quocunq; etiã contorto clauo nauis impellitur. Producũtur aũt in huius rotulæ circulo à centro ad circumferentiam æquali diſtantia duæ & triginta lineę, quę & ventos ac cœli cardines deſignant, terræque ac maris ſpatia portubus diſtincta commonſtrant, ac

Verſoriã Septentrionis index ex vi magnetis.

Oleum magneti vim attrahẽdi eripit.

Verſoria ex quibus conſtet, eiuſq́; deſcriptio.

Nautæ clepſydris vtuntur. numeratis reuolutis clepſydris, aut, vt nunc vſus eſt, defluente arena, clepſammis quantum itineris emenſum ſit, & quid emetiendum, quantoque interuallo à loco quò properant, abſint, exactiſſimè dinumerant ac metiuntur. Qua autem vi magnes in Verſoria hæc perficiat; qui ex aduerſo Septentrioni ſe opponit, eamque cœli partem obtuetur, non facilè ratione expediri poteſt: quanquã multorum ingenia anxiè torſerit huius rei inueſtigatio. *Magnes qua ratione ferrum alliciat.* Sunt qui in mutuum conſenſum ac concordiam referant, qua alter alteri ſimilitudinis ratione, qua perficitur attractio, mirificè afficiatur, ſic vt magnes odoretur ferrum in montibus Septentrionalibus, ex quibus erutus eſt: non ſecus, quàm vultures, naturę ſagacitate, cadauera maxima locorum diſtantia, biduo etiam, vt plerique opinantur, antequã cædes facta ſit. *Simile à vulturum ſagacitate.* Multa aũt perfici occulta, abditaq; facultate, quorũ non facilè ratio iniri poteſt, palã eſt, ita vt effectum rei conſpiciamus, cauſam verò ignoremus. Sic Rhabarbarum & Scamonium flauam bilem expurgant: epithimum, polypodion, ſena humorem melancholicum: Agaricus pituitam: Succinum Gagates lapis: adamas feſtucas ac paleas allicit. Argentum viuum auro afficitur, eique maritari gaudet. *Vnde herbis purgandi efficacia.* Quam vim etiam herbis ineſſe ſpectamus, ita vt nõnullæ mutuo complexu ac vicinitate delectentur: aliæ inter ſe diffidеant, ac contactum alterius reſpuant. Simili quoque affectu & inclinatione magnes iſta perficit in hac pixide, ac Solarijs minutis, quibus iter ingreſſi ad ſolem horas exploramus, vbi extrema ferri pars expolita, non rubigine vitiata, hoc lapide confricata eſt, quę ſemper Septentrioni obuerſa polũ commonſtrat, *Solarium quod Solẽ cõmonſtrat* qui Epibatis, hoc eſt, viris nauticis *Leye* dicitur, quæ vox à deducendo nomen ſortita eſt, vt *Leydtſman* ductor & comes itineris, cuius ad- *Epibata, een bootſman.*

miniculo

miniculo curſum dirigimus: veteribus Cynoſura denominata, atque Vrſa minor, longo vſu & experientia obſeruata æquor ſulcãtibus, quoniam fixa eſt,& immota. Vrſa autem maior Elice vocatur, cuius Cicero in Academicis meminit. huiuſmodi propemodum verbis: Meas cogitationes dirigo non ad illam paruulam Cynoſuram, ſed ad Elicen & clariſſimos Septentriones, id eſt, rationes has latiore ſpatio non ad tenue elimatas, eoq; fit, vt errem & vager latius. Quo indicat, fuſiſſima ſe conſectari, ac laxatis velis diuagari latius: tametſi certior curſus ſit, ac minus deuius, qui inſpecta Cynoſura perficitur: quod ipſum Aratus admonuit.

Cynoſura, vulgò Leye *nautis.*

Lib.4.

Hic Iouis altrices Elice, Cynoſuraq; fulgent.
Dat Graijs Elice, curſus maioribus aſtris,
Phœnicas Cynoſura regit: ſed candida tota
Certior eſt Cynoſura tamen ſulcantibus æquor,
Quippe breuis totam fido ſe cardine vertit.

In Phænomi.

Deſumitur autem Ciceroni hic loquendi tropus à nautarum conſuetudine, quorũ alij, qui exactiſſimè omnia ſtudent dimetiri, oculis in minorem vrſam ſunt defixi, alij, qui minus rigidè omnia obſeruant, nec in vllis anguſtijs ſunt conſtituti, vrſam maiorem intuentur. Ita Cicero, qui non vult arcta atque aſtricta conſectari, ſed latos ac ſpatioſos Rhetorum campos obambulare, Elicen, ſeu maiorem vrſam ſibi, tanquam ſcopum defigit. ita enim diuagari licet, ac longius progredi, vt qui nullis certis limitibus concluduntur: ſecurior verò eſt velificatio, & certior, minusque digreditur extra ſtationem nauigium, vbi vrſa minor, (quæ propriè noſtratibus Polus dicitur, populari voce *Leye*, hoc eſt, ductor in dirigendo curſu) inſpicitur. Noſtri verò naucleri præter Polum, quem non oſcitanter obſeruant, Pixidem hanc verſatilẽ continenter intuẽtur, cuius vſu & cõmoditate etiam intempeſta

Simile Ciceroni à polo deſumptum.

Ciceronis locus in Academicis explicatus.

Verſoria an recens inuenta. nocte ac denſiſſimis tenebris, atraque caligine, clauo affixi nauem dirigunt. An autem hoc inſtrumentum nauticũ ſuperioribus ſæculis extiterit, an noſtro id æuo excogitatum, non auſim certò pronunciare: hoc tamen mihi perſuadeo, Plautinam illam Verſoriam, aut eandem eſſe cum hac noſtra, aut illi affinem: quanquam, vt opinor, hæc Pixidecula noſtro iam tempore magis exculta ſit, elimata, expolita, omniaq; exactius demõſtret. Cùm *Carthaginenſes nauigandi periti.* autem Pœni ac Carthaginenſes nauigandi periti vltra bis mille annos non ſolùm maris mediterranei portus ac littora frequentarent, ſed in Oceanum longius progreſſi, inſtructiſſima claſſe totum Mauritaniæ ambitum perluſtrarent: veriſimile nõ eſt, huius rei vſum illis defuiſſe: ne commemorem *Cap.27.* Tyrios ac Sidonios, apud quos, Ezechiele teſte, maxima olim erat negotiatio, ac nauigandi peri- *Reg.3.c.10.* tia: ac præter hos, Solomonis naucleros, qui claſſe per mare rubrum ac ſinum Perſicum deducta, quã aditus in Indiam patet (Ophir Iudæis appellatam) immenſam auri vim, ac ſimias, pauones, elephantos, gemmas adferebant, vt nunc Luſitani factitãt, qui hunc nauigationis curſum vix anni curriculo perficiunt. Quocirca non facilè cuiquam perſuaderi debet, illis temporibus ignorata fuiſſe hęc velificandi adminicula, præſertim ſæculo tam felici, tantiſque artificibus induſtrijs, ac ſolertibus fœcundo. Fieri autem poteſt, vt ob Barbarorum incurſiones, vaſtitates, cędes, incendia, populationes, tam *Multa in rerum natura exoleſcunt.* ſalutare inſtrumẽtum interciderit, extinctis etiam oppreſſiſque artificibus: rurſus, pacatis rebus, ac ſopito tumultu bellico, cura atque induſtria hominum (quorum ingenia inuentioni rerum accommoda) poſtliminio in vſum ſit reuocatum. Ita nõ deſunt, qui aſſerant, multa ſuperioribus annis in vſu fuiſſe, quæ nobis nunc noua videntur, ac re-

cens excogitata: quod ipſum Solomon conſtanter aſſeuerat. Quicquid,inquit,olim fuit, nunc eſt, & ſimile illi, quod paulò pòſt futurum: quicquid factum eſt olim, nunc exiſtit, & illo intercidente poſtmodum renouabitur Obiter nihil ſub ſole nouum, & ſi quid velut nouū ac recens oſtēdatur, id priſcis ſæculis aliquādo extitit, nec futura eſt apud poſteros memoria eorū, quæ nunc vigent,quoniā interitura ſunt, ac vetuſtate exoleſcent. Sic nōnulla videtur olim fuiſſe imprimendi ars,vt quibuſdā placet, ex vetuſtis picturis, ſigillis, annulis, nomiſmatis, in quibus literarū characteres graphicè vel vt typis expreſſi conſpiciuntur: neque enim illi ætati cęlatores atque artifices defuerunt:quāquam, ſi à veteribus tale quiddam excogitatum ſit,vt nemo debita laude fraudandus, fateri quiſq; debeat, omnia minus fuiſſe exculta,nitida,ſubtilia,elimata, nec tam ſpectabili literarum varietate exornata atque expolita. Bombardas quoque tormentaque ænea ac ferrea, tum Sclopetas manuales cæteris habiliores, ac magis tractabiles, vulgò *Piſtoletten oft Sinceroeren,* quod manu capulo illorū, tanquam clauo, admota; excuſſiſq; è ſilice ſcintillis, in obuios detorqueant, ſuperioribus ſæculis extitiſſe, nonnulli ex Virgilianis hiſce verſibus contēdunt:

Eccle.1.

Solomoni nihil nouū.

Ars impreſſoria an vetuſta.

Bombarda an olim fuerint.

Aene. li.6.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi:
Quatuor hic inuectus equis, ac lāpada quaſſans,
Per Graiûm populos, mediaq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, Diuumq; ſibi poſcebat honores
Demens, qui nymbos, & non imitabile fulmen
Aere & cornipedum curſu ſimulabat equorum.

Quanquam omnia iſta dubia ſint, nec certi quid de ijs ſtatui poſſit, vt quæ fortè aliud quiddam deſignent. De Verſoria verò alia eſt ratio: cùm enim Polus ac Cynoſura, oppoſitis obiectiſque nu-

bibus,atque offuſa caligine, oculis nauigantium ſe ſubducat,ne ſemper ſit conſpicua,ita vt periculum vndique immineat:certò ſtatui poteſt,in tanta olim nauigationis frequentia, illi ætati nō defuiſſe hæc velificationis adiumenta. Nec me fugit, Philandrum editis in Vitruuium commentarijs cumprimis eruditis, in ea eſſe ſententia, vt credat hāc Pixideculam, quæ chalybis ac magnetis vi polum, velut indice demonſtrat, non ita multo retrò ſæculis,in Campaniæ oppido Amalphis fabricatam. Verùm ego exiſtimo, id inſtrumentum non inibi, nec eo tempore repertum,aut noſtra memoria excogitatum,ſed interpolatum, hoc eſt,renouatione quadam inſtauratum, illoſque artifices effeciſſe, vt exactè atque ad amuſſim, nullaq; ſui parte claudicante nutanteque perpendiculo ſeu virgula, verticem cœli, hoc eſt, polum, qui duplici cardine ſe prodit, indicaret, quò curſu magis ſecundo atque optato ſucceſſu quaquauerſum nauis dirigatur, omniaque ex voto atque animi ſententia perficiantur. Quocirca veteribus huius vſum non defuiſſe, atque illius obſeruatione maris ſpatia conſueuiſſe dimetiri, Plautus expreſsè his verſibus indicaſſe viſus eſt, arrepta etiam nauigandi occaſione, ſiquando res poſcat celerem profectionem.

Li.10.c.14.

Philandri opinio de Verſoria.

In Merent. Scen.5.

Si huc item properes, vt iſtuc properas, facias rectius.
Huc ſecundus ventus nūc eſt, cape modo verſoriam.
Hic Fauonius ſerenus eſt, iſtic Auſter imbricus.
Hic facit tranquillitatem, iſte omnes fluctus cōciet.

Ita non eſt quod quis ambigat, veteribus eundem fuiſſe huiuſce inſtrumenti vſum ac cōmoditatem.

Quid canes agat in rabiem, & quo potiſſimùm anni tempore, & qua ratione ijs mederi poſſis.

CAP. V.

CANES fidi hominum cuſtodes, ac familiares domeſticique excubitores in rabiem aguntur, vel ſole feruido, ac caniculæ ardoribus, vel hibernis menſibus gelu intenſiſſimo. quoniam eo anni tempore acui atque acerbari atram bilem contingat, ac virus effundi, quod aſperſione cõtactuq; exitiale eſt ac deleterium: æſtate quidem peruſto ab æſtu ſolis ſanguine, qui concepto contagioſo ſpiritu inficitur: hieme verò quod ſanguis concretus ac conglobatus, quique propemodum coagulatur ac congelaſcit, computreſcat, quoniam corpori incluſus non ventiletur: quò fit, vt ab eo grauis halitus & contagio emanet, qui ſpiritus vitales vitiant ac contaminant. Quocirca huic animanti ijs anni temporibus ſemper aqua offerenda, quam ſubinde lambant, præſertim cùm per loca æſtuoſa, vel nimis gelida, exerta lingua hianteque ore, ſe viatori itineris comites præbent, quo ſanguis dilui poſſit atque irrigari, minusque ardore torreri. Columella, quod & Plinius eius nomine non ſubticuit, cenſet catulorum caudas poſt diem quadrageſimum, quàm ſunt editi, caſtrandas. ſic enim tutos fieri à rabie, hoc modo: Neruus eſt, qui per articulos ſpinæ perrepit vſque ad vltimā caudæ partem, is mordicus vnà cum poſtremo articulo prehenſus, (quod etiam noſtrates factitare video) aliquatenus eductus ac protenſus abrumpitur, quo facto nec in longitudinem indecoram porrigitur, nec fœdum & enorme incrementum capeſſit, denique vt plurimi paſtores aſſerunt, rabies arcetur, ab eaque tuti ſunt. Alia etiam eſt cautio ac prouiſio, qua obtineri poteſt, ne canis vnquam efficiatur rabioſus. Subeſt linguæ catellorum neruus vermiculi figura, rotunda teretique forma, vt etiam capiti humano, cuius cerebellū deſinit in ſpeciem quandam, teredini, qui ligno innaſcitur, quàm ſimillima,

Sub æſtu et gelu canes rabiunt.

Canes aquam expoſcunt.

Lib. 7. c. 12.
Lib. 8. c 41.

Cauda canum truncata, non rabiunt.

Canis vt à rabie præſeruetur.

Vermis lingua canis eximitur.

millima, hic vermis linguæ exēptus, canes à rabie tutos præſtat. Non diſſimilis concretio ouillis pedibus anterioribus ac poſterioribus inhæret parte, qua terram calcant, vermiculi ſubrotunda forma, lanuginoſa intus ac crinita congerie, qualis eſt in roſarum ſpongiolis ac calicibus, quibus ſemen includitur, molli tenuique lanugine implicitū. exemi autem tale quiddam ſæpius ex decoctis eius pecudis pedibus, teredini, qui vermiculāti ac carioſo ligno ineſſe ſolet, aut nucibus auellanis prorſus affine atque aſſimile. Quod ſi quis aut incuria, aut huius rei ignorantia pedes ouillos ederit, quibus illa concretio non ſit exēpta, confeſtim nauſea, ac ſtomachi dolore afficitur, omniq; momēto ad ructus ac vomitionem incitatur. Perſuaſum aūt habet promiſcua multitudo, venenoſum quiddam ſubeſſe huic cōcretioni: quod vt nō auſim certo aſſeuerare, aut ijs aſſentiri: ita facilè crediderim, capillatam illam congeriem, piloſamq; lanuginem, quæ biſulcis fiſſisque vngulis inhæret, concoctioni officere, ac ventriculo negotium faceſſere. Opiliones autem, paſtoresq; ouium ea ſunt opinione imbuti, nullum hoc animante in curſu fore velocius, omniaq; quadrupedia pernicitate ſuperaturū, niſi tale quiddam articulis, quibus ſe fulciunt, ſubeſſet: qua de re quid ſtatui debeat, nō auſim exertè pronunciare: hoc tantum teſtatus, obſeruaſſe me has pecudes fugitantes, vbi canes ac lupi prædæ inhiantes, illas inſectantur, celerrimo quidem curſu ſe ſubducere, ſed non lōgius progredi, ac mox reſpectantes ſubſiſtere, ea, vt opinor, ratione, quòd præter pauidum animum & meticuloſum, aliquid illas remoretur pedibus ſubditum, & quòd anheloſæ ſint, ac pulmonis vitijs obnoxiæ: quod indicat arida tuſſicula, qua ſubinde infeſtantur: quò fit, vt longius producere curſum nequeant. Vt itaq; huic

Ouillis pedibus lanuginoſa concretio ſubeſt.

Ouiū natura in curſu.

pecori

pecori tale quiddam ſubeſt, quod illi in curſu moram inijcit: ita ſub canina lingua ſubdeliteſcit neruoſa, atque vt ita dicam, vermicularis quædā congeries, quæ à vermis ſpecie atque effectu, quò rabiem infert, λύσσα dicitur, quæ vox & vermem & rabiem ſignificat: Vnde Αλύσσον herba dicta, quod rabiem expugnet, ac canum more furioſos ac lymphatos cohibeat, etiam ſi ab ijs demorſos eſſe contingat. Quòd ſi catellis ſectione id eximatur, nunquam efficiuntur rabidi, nec quenquā lethali morte impetunt, minimoque latratu ſunt infeſti. inflammatur autem huic animanti, atque incēditur ſanguis melancholicus, alijque circumfuſi humores, Caniculæ potiſſimùm ardoribus, ac concepto ex putredine contagio rabiem furoremque concitat, adeò, vt extumeſcente lingua ac neruo, qui illi ſubditus eſt, os ſpuma exitiali ac contagioſa ſaliua redundet, quæ etiam contactu inficiat. Siquidem cùm hoc animal notos ignotoſque indiſcriminatim adoriatur, ſi fortè vlli parti ſpuma aut ſaliua adhæſerit, etiam citra morſum noxam infert, ac perniciem: niſi confeſtim ſalſugine eluatur. Cùm autem venenati huius morſus multa ſint excogitata remedia, tum nullum magis præſentaneum, quàm eueſtigiò dilatare vulnus, ac ſcarificata cute, cucurbitulas copioſa flamma affectæ parti affigere, mox cataplaſma adhibere ex porro, cepe, allio, eruca, centaurio minori, abſynthio, ac butyro ſalito, melleque confectum. Vrina quoque impuberis fomenti loco applicata, virus elicit, necnon Opopanacum, ruta, ſal, ficus, braſſica rubenti folio, vnà cum melle & butyro piſtillo ſubacta, læſo membro admota. Nulla autem ratione incidenda vena. rapitur enim intempeſtiuo illo remedio virus in habitum corporis, ac continuò vitalia corripit, humoreſque ac ſpiritus inficit.

Lyſſa vermiculus ſub lingua canis.

Canes quando rabie concitantur.

Saliua canis rabidi noxia.

Remedia ad rabiem canis.

Morſus canis venæ inciſionē non exigit.

Quocirca

Quocirca quæ venenatos halitus diſſipant ac diſcu- *Rabiē quæ expugnent.* tiunt, intra corpus exhibenda, nempe Theriaca, mithridation, allium, ſcordium, Laſer quæ vulgo magiſtrantia & Oſtrucium dicitur, illique affinis Angelica, quæ laſerpitio poteſtate affinis eſt, radix zeduariæ, ruta, caltha, melyſſophillos, Iridis radix exiccata, innula, ficus, ligni Indici decoctum, ocymum vulgò baſilicum, cunula, hyſopus, tymbra, origanum, quorum quodque vi diſcuſſoria pollet, ſeu diaphoretica, quæ laxatis corporis ſpiramentis, atque excitato ſudore, virus diſpellit ac demolitur, nec patitur in venas dimanare. Noſtrates, qui *Oceani vis in morſu canis.* mari finitimi ſunt, atque Oceani accolæ demorſos à cane rabioſo certatim ad mare rapiunt, etiam brutas pecudes, ac ſeptenis vicibus immergunt, non ſuperſtitione obſeruato illo numero, ſed vt *Pauent aquam rabidi.* efficacius virus eluatur: quo & illud conſequuntur, vt omnis aquæ metus, ὑδροφοβίαν vocant, qua maximè vrgeri ſolent, prorſus eximatur: nam ſic affecti & aquā appetunt, & expaueſcunt ob mentis alienationē, & quod ratione deſtituti ſint, quo fit, vt nullo rerum delectu ac diſcrimine ſalutaria reſpuant, atque auerſentur. appetant autem ac ferantur ad noxia, ſiquidem ſi bibant affatim, ſaneſcunt: quocirca, tametſi aquam omniaque liquida exhorreſcant, ad potum tamen cogendi ſunt, quò virus minus ad internas partes properet, ac diluatur. Mirandum autem, non ſolùm venena intus *Rabidis potus non denegandus.* exhibita lethale vulnus infligere, ſed morſus ictuſque venenatos, quæ foris inferuntur, ſenſim, tacitoque ac latenti progreſſu vitalia corripere, atque ad cor vitæ fontem, parteſque principes aditum ſibi patefacere. Sic ſaliua eorum, qui elephantiaſi, *Saliua noxa.* hoc eſt, vulgari lepra infecti ſunt, canis denique rabidi ſpuma cuti inſperſa penetrabili vi perniciem adfert, niſi confeſtim abſtergatur, ac locus ſale defricetur,

ricetur, adeò vt ſi partes neruoſas, aut per quas arteriæ deriuantur, laniatu morſuque vulnerari contingat, vel fœda ſpumantique vligine inquinari, cordi ac cerebro virus communicetur, ita vt cor vitiato ſpiritu vitali, deliquio defectuque animi periclitetur: Cerebrum propter affectos neruos, qui ab ipſo producuntur, furore atque amentia, mentiſque alienatione ac rabie corripiatur. Si verò partes carnoſas, quæ ſanguine ex venis aluntur, affici contingat, aut morſu infeſtari, mortiferum virus per venarum riuos ad hepar ac cor, reliquaque membra dimanat, ac quadrageſimo die, aut paulò ſerius rabie, metuque aquæ, ac pauore tentantur. Hoc autem meminiſſe expedit, vt dextrè ac felici ſucceſſu, affectus huius curatio inſtituatur, ne temerè patiaris vulnus coaleſcere, ac cicatrice obduci, quod etiam in carbunculis ac bubonibus, alijsque in peſte tumoribus accuratè obſeruandum; ſiquidem ſi vel ſcintilla contagij inhæſerit, incrudeſcit malum, omniaque efficiuntur ſæuiora. Quocirca ſinapiſmo aut puluere præcipitato virus eluendum. id enim vulnus, hiantemque plagam occludi prohibet, atque efficaciter venenum emungit. Interim per interualla, ac leniter humores melancholici expurgandi; quò furor vel prohibeatur, vel miteſcat, in quem vſum commodè ex diluto aut decocto exhibentur, Sena, polypodium, epithimum, helleborus, phillitis, aſplenium, fumaria, bugloſſus, & præſertim ea confectio, quæ Hamech inſcribitur cum ſerupo de epithimo ac fumaria, quæ in cæterorum etiam animantium morſibus adhiberi poſſunt, quorum alij alijs ſunt nocentiores.

Virus & ad interna rapiatur.

Dies quadrageſim⁹ rabiei expoſitus demorſis.

Vulnus nō citò obducendum in morſu.

Sinapiſmi & pulueris præcipitati vſus in morſu.

De

De Auri natura ac viribus, & quo effectu polleat, ſi quando in ſanitatis vſum ac tutelam corpori humano adhibetur.

CAP. VI.

Homo caducus afficitur.

Auri ſacra fames.

Pecuniæ vſus & neceſsitas.

Li. 1. ſerm. Satyra 1.

INTER ea, quæ hominum cura atq; induſtria è terræ viſceribus eruuntur, nihil auidius expetit humanus animus, qui non ſolidis rebus inhiat, ſed fragiles, fluxas, incertas, fugaces, caducas perſequitur ac conſectatur, quàm aurum: quo tamen expleri, aut prorſus ſatiari nequit, etiam ſi id affatim ac cumulatè ſit conſequutus. Precipuus autem auri, argentique vſus in eo conſiſtit (nam Reſpub. pecuniæ commoditate, vti corpus neruis, cōtinetur, eaque omnis contractus, ſtipulatio, nundinæ, pacta, conuenta, mercatura, negotiatio perficitur) vt neceſſitati inſeruiat, atq; illa nobis comparemus, quibus ſubſiſtit natura mortalium, nec vlla in parte carere poſſit, vt ſunt veſtes ac domicilia, quibus à vento nos auræque iniuria defendimus, res familiaris ac domeſtica, victus frugalis ac moderatus, multaq; alia, quibus non minus commodè, quàm ſalubriter vitam tranſigimus. Reuocat ad hanc animi tranquillitatem, ac frugales rerum vſus homines Horatius, optimus vitiorum caſtigator, ac commonefacit, quid potiſſimū ſpectare debeant, quibus ferè auaritiæ vitium neceſſitatis inuolucris tegitur:

Quid iuuat immenſum te argenti pondus & auri
Furtim defoſſa timidum ſeponere terra?
Neſcis quid valeat numus? quem præbeat vſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis.

Quo indicat, omnia referēda ad vſus neceſſarios, ad vitæ commoditatem, quibus ſi accedat in cultu nitoreque corporis decus, ornatus, mundities,

& quæ viro propria, dignitas; mulieri venuſtas: nõ *Vſus rerũ* *ſpectãdus.* equidem repugno, modò ne nimium exquiſita ſint, nec in luxum ac delicias deuergant, ſed frugalitatis ac temperantiæ limitibus concludantur, *Frugalitas in reb⁹ ſpectanda.* omniaque honeſtati ac decoro inſeruiant. Ita enim magna ex parte affecti ſunt homines, vt rebus magnificis ac ſumptuoſis delectentur: cùm natura facillimis, quæque minimo conſtant, placari poſſit. *Natura modicis cõtenta.* Cæterùm his omiſſis, de metalli huius natura diſſerendum, quod multis magniſque viribus imbutum eſt. Siquidem aurum cumprimis efficax præſentiſſimam vim obtinet in expugnandis ſæuiſſimis morbis, atque inſtauranda valetudine, vbi illa collapſa eſt, ac detrimenta acceperit. Nam qui ex Venereo fœdoque contactu labem conceperunt, ac cõtagione inguinum infecti ſunt, eius vſu manifeſto ſubleuãtur. Elephãtiaſim quoque, quæ vulgaris lepra cenſetur, expurgat, aut ſaltem mitigat: *Aurũ leprã expurgat.* dentes labantes ac minus ſtabiles, putrique vligine vitiatos firmat, omniaque oris vlcera ac puſtulas compeſcit: ita quibus os olidum eſt, ac graueolentiam exhalat, conſulere ſolitus ſum, vt annulos ex puro ac ſyncero auro confectos ſubinde in ore geſtent, præſertim qui ex morbo Gallico inuncti labiorum ac gingiuarum vlceribus infeſtantur. Virus enim eluit, atque eruptiones exiccat. Quod ſi laminas, aurique ſegmenta ac bracteas carnibus elixis admiſcere libeat, atque huius *Auri in cibo vſus.* ſquamen valetudinarijs exhibere: dici vix queat, quantoperè vires ac vitales ſpiritus erigat. Quocirca macie tabeque confectos, aut immoderata Venere exhauſtos ac delaſſatos huiuſmodi decoctis reficio, vireſque inſtauro: nec vlla ſui parte hac coctione aurum fit deterius, aut attenuatum imminutùmque eximitur, *Aurum decoctione nõ atteritur.* nonnunquam in turbinatum alueum, quem alembicum vocant, calẽti foco admo-

admotum,conijci iubeo minutatim conciſum ca-pum,aut vitulinas carnes, atque aliquot oui lutea ſeu vitellos, tribus quatuórve lactis bubuli ſextarijs perfuſa,admixtis vnà cum auri puriſſimi, obriſum vocant,ſegmentis,aut torque aureo,efficaciſſimis herbis,nempe radice Iringij,ſcolimi,ſiſari, cinaræ, cărlini, cardui hortenſis, eaque herba, quæ cum muſcoſo concretu fruticetur, à flauo ac rutilanti colore,aureisque guttis,quæ illi inſident,Ros ſolis dicitur, denique palmulis, quos dactylos vocant, vuisque paſſis, exemptis vinaceis, ac pomis dulcibus. Ex quarum rerum congerie lento placidoque igni,ſtillicidio quodam liquor extractus,ac triduum ſoli expoſitus, in multos vſus aſſeruari poteſt. Siquidem deliquio defectuque animi ſopitos erigit, ac ſpiritus reuocat,exangues, macilētos tabidos extenuatos reficit: in Cardiaco verò affectu,ac ſudore Britannicò præſentanea vi pollet,atque in refocillandis cordis viribus cumprimis efficax eſt ac ſalutaris, ſi cochleari menſura, aut plus paulò ita conſtitutis ſubinde exhibeatur: nec minori commodo atque vtilitate aurum foris adhibetur, vbi cor ingruente externa aliqua, vel interna ægritudine periclitatur. nam præter aſpectum aureorum nomiſmatum atque annulorū, qui nōnunquam ſpecioſa atque amabili gēma decorantur, oculosque paſcunt ac recreant, ſi ſiniſtræ manus digitus, qui infimo proximus eſt, in cordis affectibus,auro & croci momento defricetur,hominem ſibi reſtituit,etiam ſi collapſo atque intercluſo animali vitalique ſpiritu, propemodum exanimatus obmuteſcat, nec vllum vitæ indicium proferat. Aurum quoque candens atque ignitum, vino immerſum præcipuis membris robur conciliat, ac facultates natiuas firmat: nam ſi quid mali internis partibus adhæſerit, abſtergit,conſumit,abolet

Sextarius libram & Vncias octo complectitur.

Ros ſolis.

Cardiaci morbi remedium.

Aurum cor recreat.

Auri igniti effectus.

let, depaſcitur, partemque affectam ac morbidam vigore ac vitali ſpiritu imbuit. Foris quoq; huiuſmodi liquor adhibitus, impetigines ſeu lichenas, lepram, mentagram, porriginem, ozenam, polypon, fœdiſſima narium vitia, morpheam, omnesque vitiliginis ſpecies, quæ cutẽ deformant, compeſcit, ac cohibet: preſertim ſi huic liquido pigmento ac plaſmati nonnihil tartari commiſceas, quæ eſt ex vino in dolijs lapidoſa concretio. Omnes ſiquidem quamlibet fœdas maculas abſtergit, naresque rubicundas ac verrucoſas, mentum, genas faciem, frontem, (in quibus partibus impudenter, atque indecorè, parumque ciuiliter huiuſmodi eruptiones ſe proferunt) cohoneſtat. *Tartarus quid.*

De grandine porcorum, alijsq; huius animãtis morbis ac vitijs, quæ vulgari lepræ ſeu lazariſmo affinia ſunt, vulgo ab inſalubri ac morbido corporis habitu Onghans *appellãtur. Et qua ratione hæc contagio expugnari poſsit etiam in hominibus.*

CAP. VII.

QVONIAM ſuillæ carnes paſſim etiam apud generoſos quoſque eduntur, nec eſt vlla propemodum familia, cuius menſis ſuccidia non inferatur, etiam à longinquo petitæ pernæ ac petaſones, quæque ex his conficiuntur tomacula, tuceta, farcimina: aliquid de huius animantis conditione huic operi inſerendum putaui. Cùm autem porcus luto ac ſordibus delectetur, cœnique volutabra appetat; inprimis procurandum, vt cibus ac cubile illi mundum offeratur, ſi ex eo ſalubre alimentum conſequi velis: nam ſi ſiliquis pabuloq; ſordido hoc animal ſaginare pergas, ſtrumas contrahit ac ſcrophulas, totoq; corpore grandinoſum *Quæ edulia ex ſuilla carne cõficiantur.*

 effici-

efficitur, ſic vt caro illius prorſus inſalubris exiſtat ac vitioſa, totumque corpus inficiat: Quæ cauſa fuit præcipua, vt Iudęis eius eſus fuerit interdictus, ac porcinam deguſtaſſe nefas. Scrophulas autem & ſtrumas, vt plurimum circa collum contrahunt, quoniam voraces ſunt & guloſi, ac citra delectum in ſterquilinijs quæque deuorant. Grandinis autem nomine inſignitur is morbus, qui totum vndique corpus fœdiſſima labe contaminat: quod caro parteſq; internæ paſſim ramentis candidis velut grandine perfuſę ſint. Occupant enim ſingula membra eminentiæ quædam ſubalbidæ, hinc inde cōſperſæ, cuius certiſſima ſe indicia in lingua proferunt, quando porcarij immiſſo in fauces ferramento illos explorant, an tutò cædi ac laniari poſſint. Tale quiddā elephantici ſiue vulgares leproſi in facie totoq; corpore exhibent: nā puſtulæ, quæ in extima cute erūpunt, albeſcunt ex melancholia in cinerē deuſta. Eſt quidem caro iſtius animantis, quod hoc morbo infectum eſt, ſuauis ac ſapida: at prorſus inſalubris ac leprę affinis, propter ſucci melancholici admixtionem. Sic caro oſſibus proxima non prorſus inſipida, aut palato inſuauis, quòd ipſa melancholici ſucci ſit particeps. nam oſſa ex tali ſucco concreta ſunt, & coaluerunt. Quod aūt homini lepra ac morbus Gallicus præſtat, id huic animanti Grando ac ſtrumoſa collectio. ſunt enim morbi affines, cognati ac familiares, nomine tantum diſcreti, re effectuq; pares, vt etiam adnotauit Aetius medicus capite de Elephantiaſi. Quocirca nequid incommodi ex huius animantis eſu conſequantur homines, ſalubri Senatuſcōſulto cautum eſt apud noſtrates, ne qua ſcropha aut porcus mactetur, niſi exerta inſpectaque lingua exploratū ſit, an ab eo vitio liber ſit & immunis. nā ſi verrucoſæ ſe in lingua ac faucibus proferūt puſtulæ, ac vęnæ liueſcunt,

Levit. 11. *Deut.* 14.

Grādo porcorum quis morbus.

Leproſi habitus.

Caro melācholici ſucci particeps ſapida eſt.

Quid Aetius de porcis morbidis ſtatuit.

Lex de porcis mactandis.

liueſcunt, nigroq́; colore perfuſæ ſunt, indiciū eſt, viſcera etiam praua conſtitutione teneri: itaq; aut non mactandos iudicant, aut ſi imprudenter mactatos eſſe cōtingat, defodiēdos. Quod ſi nihil tale appareat, pronunciant qui huic cenſuræ deſtinati ſunt, ſalubrem eſſe porcum; atque eſui idoneum. Quoniam autem huic animanti plerunq; aliquid vitij ſubeſſe ſolet, quantumuis etiam ſanū exiſtat, ob id populares noſtri primùm enecatos accenſis ſtramentis adurunt potius, quàm feruenti aqua elixent. Si quid enim ſubter cutem inhæreſcat labis, aut cōtagionis, id ignis elicit abſumitq́;, quod non ęquè facilè aqua feruida perficere poteſt, omnesq́; ſordes eluere. Curantur verò hoc modo inquinatę ſues, ſi ſtabulū, in quod decumbūt, ſingulis diebus conuerras, atque accuratè emundes, illasque diuagari patiaris. Quæ enim ſiluas ac nemora oberrāt, ac glandibus ſaginantur, magna ex parte inexercitatis, ac cubili incluſis ſunt ſalubriores, minusque morboſa aliqua affectione expoſitæ. Deinde affatim ijs aqua offerenda, quò ſe proluant, cui nōnihil ſalis admixtum eſt, interim cibo polentario, aut ſi quid ſolidi cibi illis exhibetur, admiſceri debēt lauri baccæ contritæ. Concharum quoque hoc genus, quo littora oræq́; maritimæ apud nos ſcatent, mitulos vocant, vulgò *Moſſelen*, mirificè illas reficit, ſi affluentiore liquamine huius decoctum ijs obijciatur. Floces etiam viniq́ue purgamenta ac feculenta proluuies, quæ expreſſo vuæ ſucco, ac vinaceis eſt reſidua, in expugnando hoc morbo eſt præſentanea, præſertim ſi furfur maſſaq; fermentata, vulgò *Mout* appellata, illi commiſceatur. Noſtrates autem nec huius animantis, nec hominum, quibus porci aliquando edendi ſunt, ſalubritati conſulunt: Nam Zythi ſiue Ceruiſiæ acidam corruptamq; fecem, atq; olidam proluuiem, quæ in imo

Porcorum ſetoſa cutis adurenda.

Porci in ſiluis vagātes ſalubriores.

Mituli vulgò Moſſelen *porcis ſalubres.*

Floces vini porcis accommodi.

dolij reſidet, illi offerunt, tũ rancida quæque, nempe poma ac pyra, quæ computruerunt, ac ſitu obducta ſunt, quibus non liqueſcit, aut diſſoluitur grandinoſa illa concretio atque interna lues, ſed augeſcit potius ac vires concipit. Siquidem omnia impenſè acida, vel melancholicis affectibus, qui hic vigent, aduerſiſſima ob refrigerandi ſpiſſandique vim, & quòd humores cogant, ac craſſiores efficiant: ita bilioſis ſeu cholericis cumprimis grata ac ſalutaria. Sic acetum quartanam auget, tertianam verò mitigat ac compeſcit, quoniam bilis feruorem reprimit, ac tanquam aqua vinũ, diluit.

Acetũ melancholicis noxium.

Acida bilioſis ſalubria.

Sunt apud Batauos, quorum regio piſcoſa eſt, atq; aquatilibus fœcunda, qui piſcibus illos alunt: quibus vt mirè pingueſcunt: ita lardo carneque fluida ac minus ſolida exiſtunt. Quanquam enim hoc alimento, porcorum corpora augeſcant, ac proceritatem conſequantur: eſus tamen horum inſalubris, atque ſapor alienus ac exoticus. Scio equidem in hominibus, qui elephantiaſi ſeu lepra inquinati ſunt, vulgò *Melaetſch*, frequenti ranarũ paluſtrium vſu hunc morbum domari. mitigat enim ſanguinis feruorem, ac melancholiæ aduſtionem animalculum hoc aquaticum: nam quæ humi repunt, atque inter frutices ac rubos nidulantur, quæq; non ſaliunt, ſed lentè progrediuntur, venenatæ ſunt, hos *Padden* noſtri vocant: Ranas verò viridanti tergo, ventre albeſcente, *poyen oft Vorſchen*, quæ vernis menſibus coaxant: cùm rubetæ ac bufones reptiles, perexiguum ſonum edant. Illæ itaq; quæ agiles ſunt, atque identidem ſubſiliunt, huiuſmodi morbis accommodæ, quarum etiam vſus ex iure capi hecticis, tabidis, macilẽtis, extenuatis cumprimis vtilis, quemadmodum etiam teſtudinum, quæ à peltæ ac ſcuti figura *Schiltpadden* vocantur, Cancri quoque vulgò *Crabben*, Aſtaci, Squillæ, Locuſtæ

Batauì piſcibus porcos ſaginãt.

Ranarum eſus quib⁹ vtilis.

Bufones noxij.

Cruſtacea tabidis ſalubria.

cuſtæ marinæ, Carabi, Gammari, populari voce *Creeften*, *Creutſen*, *Gaeruaert*, Mituli, *Moſſelen*, Oſtrea, *Oeſters*, Cochleæ, *Cruyken*, aliaque conchilia ac cruſtacea, feruidos aduſtosque humores refrigerant ac diluũt, verùm fluuiatiles conchæ ac cancelli efficacius marinis, quoniam iſtis ſalſuginis aliquid admixtum eſt, qua quidem appetentiam excitant, ac palato gratificantur, ſed magis exiccant, quocirca ſanis maritimæ aptiores: inualetudine autem affectis, amnibus fluuijsque exemptæ ſalubriores. Inter ea autem, quæ teſtacea ſunt vel cruſta teguntur, precipuam laudem merentur Cancri fluuiatiles, qui non ſpecie, ſed effectu à maritimis differunt, dorſo elatiore ac ſubrotundo, quatuor ab vtroque latere, geniculatis pedibus, qui ſex diſtincti ſunt articulis ſeu internodijs, ima ſui parte aculeatis, quæ venantium manibus pedibusq; velut cuſpidem infigunt flexibili agilitate: nam ſe horum adminiculo dextrorſum ac ſiniſtrorſum proripiunt, vbi inſidias ſubodorantur incredibili ſagacitate, quod, vt opinor, vel mirè oculati ſint, vel auriti; quamlibet enim ſilenti tacitoq; ingreſſu illos inſecteris, ac venando perſequaris, ſubitò præſentiunt, ac confeſtim ſe luto obruunt, oculisque hominum ſubducunt. Præter quatuor autem illos pedes aut exporrecta vtrinq; brachia, primore parte, qua oculi prominent ac collucent, duo ſe proferunt denticulati forcipes, quibus firmiſſimè obuia quæq; comprehendunt, atque atroces morſus captantium manibus inferunt, ita vt membris affixi, ægrè auelli queant. Cæterùm cùm mira ſit aquatici huius animalculi aſtutia ac calliditas, tum in eo maximè obſeruatur ſolertia, vbi oſtreis inſidiatur, atque ex ijs eſcam venatur, ſiquidẽ calculos atque lapillos patulæ hiantique teſtæ ingerit, ita vt occludi nequeat, mox dentato forcipe piſculentam

Fluuiatiles cancri quibus vſui.

Cancrorum deſcriptio & vires.

Cancrorũ aſtutia.

lentam carnem abradit atque elicit, illoq; alimento ſuauiter ac ſecurè, nulloque vindictæ metu fruitur, quod etiam polypus piſcis factitat. Hoc genus Cancri tabidis ac macie confectis præſentanea vi auxiliatur, vbi accuratè abluti in aqua hordei decoquuntur, nec minus ſingulari occultaque virtute pollent in expugnando exitiali Canis rabidi morſu, Cancris ita in patella deuſtis ac concrematis, vt comminui atque in puluerem redigi poſſint, eoq; exhibito cochleari menſura, cum gentianæ radice, ac thuris momento, quod antidoton frequentius iterari debet, ac per ſeſquimenſem continenter aſſumi, quo rabies atque aquæ pauor propulſetur. Hæc de teſtaceis & quæ cruſta integuntur, verboſius à me ſunt enarrata, quò quiſque intelligat, nō modò porcorū morbos his expugnari, ſed hæc aptiſſimè melancholiæ, aduſtiſque humoribus, atque alijs plerique affectibus accommodari Verùm inter Cancros, alioſq; cruſtaceos diſcrimen ſtatui debet, ſiquidem fluuiatiles extenuatis ac macilentis mirificè adminiculantur, quòd humectent, atque humorem natiuum, quo corpus nutritur ac ſubſiſtit, & quem calor inſitus habet, obſequentem adaugeāt, adhibito vino dulci ac calorifico, cuius adiumento concoctio perficitur, omniaq; exactè elaborantur. Marini verò, qui Oceani vel maris Mediterranei littora perreptant, ac crepidines perſequuntur, cùm ſanis, tum ijs, qui inſalubri ſunt corporis habitu, ac vitioſis humoribus oppleti, aptiores: nam cùm ſalſugine quadam imbuti ſint, vt edendi auiditatem excitant, ita excrementa ſuperuacua exiccant, ac putredini humorum obſiſtunt, quod in carnibus piſcibusque ſale confricatis obſeruari poteſt, quę diutius aſſeruantur, ac ſerius cōputreſcunt. Quocirca non inconſulto factitāt Bataui ac plerique Belgę, tum maxima Germanorum pars,

Cancri rabidi canis morſum curant.

Ex teſtaceis, quæ ſanis, quam infirmis aptiores.

Cancri marini effectus.

ars, quæ ad Aquilonios tractus deuergunt, quod ſale & aromatibus, nēpe zinzibere, pipere, & quod granum paradiſi vocant, vulgò *Greyn*, cauſtica vi & adurenti, aliud à Cardamomo affatim vtantur. Hac enim ratione minus pituitoſi efficiuntur, aut excrementis ſcatent, minusque, vt ferè conſpici ſolent, opimi atque monſtroſè obeſi; liqueſcit enim ſalitiis adeps, vt limax inſperſo ſale. *Germanî ſale & aromatis delectantur.* *Simile à ſale, quo limax liqueſcit.*

Cur Belgæ, vbi nox moleſtè ac tumultuosè, parūq; ex animi ſententia tranſacta ſit, queritentur Ioannis Baptiſtæ noctem ſibi obtigiſſe.

C A P. VIII.

NATALIS dies Ioannis Baptiſtæ, cuius vitę integritas inſigne elogiū à Chriſto promerita eſt, non ſolùm Iudæis ac Chriſtianis, ſed Mauris etiam ac Barbaris, quique à noſtra religione alieni ac Mahumeto addicti ſunt, celebris eſt & ſacroſanctus, tametſi nonnulli huius noctem ſuperſtitioſo quodam cultu, congeſtis lignorum aceruis, accenſiſque ignibus, vt Corybantes ac Cybeles cultores, ſtrepitu ac furioſis clamoribus tranſigant: quin & impuberes congeſtis colliſiſque ignitis carbonibus bombos ac crepitacula excutiunt. Nonnulli gentili ſuperſtitione ſtatuæ prouoluti, ab epilepſia ſe tutos fore confidunt, quibus acceſſit ea perſuaſio, vt ſi placidè huius Diui ſtatuam adire poſſint, nec inconditè vociferentur, aut rabioſis clamoribus illi inſultent: toto anno ab hoc morbo futuros liberos: Sin Diui caput, quod oſculandum offerunt, dentibus lacerare tentent, ac maledictis inceſſere, ſingulis menſibus, quod ferè ex lunari decurſu euenit, hoc morbo miſerè diuexandos, quanquam maximæ impoſturæ huic rei *Luc. 7.* *Ioānis Baptiſtæ dies memorabilis.*

ſubeſſe ſolēt. Et cùm hæc gentilitia ſacra nocturnq tēpore perfici ſolēt ex vetuſta cōſuetudine, ne dicā inueterato errore, enatum eſt Prouerbiū, vbi nox tumultuosè tranſacta eſt, nec vlla pars quieti data, Ioannis noctem tranſeg mus, *VVy hebben ſint Ians nacht ghehadt*, Hoc eſt, Tota nox nō ſolùm inſomnis fuit, ac peruigilata: ſed grauis ac moleſta ſtrepitu, tumultu, clamoribus inquieta. Olaus Magnus qui res Gothicas ampliſſimè, licet minus cultè proſequitur, refert natalem noctem Ioannis Baptiſtæ, qui fuit prodromus, hoc eſt, præcurſor atque emiſſarius, aut quoniam vox clamantis ſit in deſerto, præconis Ieſu Chriſti mirè celebrem eſſe illi genti atq; illuſtrem, magnaq; pōpa trāſigi: Omnis enim generis ſexuſque homines turmatim in publicum concurrunt, extructiſque luculentis ignibus atque accenſis facibus, choreis tripudijſque ſe exercent, nonnulli laudes heroum ad lyram decantant, vitia maritorum traducūt, fœminarum dedecora propalant, nullos non ſcommate, conuitijs, dicterijs, dentatis ſalibus impetunt, magnaque licentia obuios quoſque laceſſunt, ac liberius perſtringunt, vt ſolent olim in ſacris Eleuſinis: nam ex Helleniſmo ſiue Græcorum ac gentium vanitate multi errores vel relicti ſunt, vel in religionem Chriſtianam irrepſerunt. Sic proceres Aulici, & quotquot venationi dediti ſunt, Hubertum olim venandi ſtudioſum inſanis clamoribus colunt ac venerantur, adeò, vt furore percitos credas, dum canum latratus ac rabidos ſonos imitantur, obambulante interim patera oppleta vino, aut perpolito cornu capacitate ſextarij, ex vetuſta & Gentili Germanorū conſuetudine, teſte Cæſare libro ſexto belli Gallici Sic homines ſuperſtitioſi præpoſtero cultu Diuis blandiuntur, ac ſe illorum fauorem demereri credunt: cùm nec horum vitam imitentur, aut mores exprimant,

Prouerbiū ex tumultu nocturno deſumptū.

Lib.15.c.10.

Matth.3.

Præpoſterus Diuorū cultus.

mant, nec vlla parte ipſorum veſtigijs inſiſtãt, qui cultus Deo ac Diuis eſt gratiſſimus. Non minus ridiculos habet cultores Martinus, cuius in pauperes atque egenos liberalitas, non ad frugalitatem ac munificentiam, ſed ad luxum, ad profuſas epulas, ad ineptas cantilenas quoſque inuitat. Quod verò Ioannis Baptiſtæ ſacra tanto tumultu ac ſuperſtitione peragantur: hinc emerſiſſe puto: quoniam hiſtoria Euãgelica deſcribit natalem viri huius diem lætum, fauſtumque & plauſibilem futurum quàmplurimis: quo non deſignat externos animi motus, cùm & inaniter & effuſè exultat animus, ac geſtienti lætitia perfuſus eſt, ſed internam ac ſolidam ſtabilemque lætitiam, quæ concipitur ex tam ſalutari Euangelij promiſſo, quo angelus denuntiat, iamdudum expectari Meſſiæ ac Seruatoris, à quo cuiuſque ſalus dependet, aduentũ, atque huius præconem futurum Ioannem, qui primus baptizandi munus inchoauit, quod poſtmodum perfecit atque impleuit Chriſtus, qui baptizat Spiritu ſancto & igni, cuius vi transformari homines contigit, atque ad cœleſtia perduci: conceptaq; ſalutis fiducia per mortis illius ac reſurrectionis myſterium illi inſeri atque vniri. Quæ res ob lucem exhibitam, ſalutemque reſtitutam, non vulgari gaudio omnes afficit, magnamque ſubſiliendi occaſionem præbet, non ea ratione ac modo, quo paſſim imperita multitudo ac vulgus ignobile tam ineptos ſtolidoſque ludos exhibent: quãquam hæc ſuperſtitio, quæ multorum animos menteſq; hactenus occupauit, iam exoleſcere incipiat atque antiquari. Siquidem iam ſentire incipiunt homines paulò cordatiores, ac melius edocti, colendum placandumque Deum, ad quem per Chriſtum aditus, pietate ac religione, iuſtiſque precibus, nõ contaminata ſuperſtitione, non gentili vanitate, aut

Martinalia feſta.

Luc.1.

Matth.3.

Lætitia ſolida.

cæſis hoſtijs, alijsque rebus, quæ non exigit, aut ab eo præſcripta ſunt. Nam ſuperſtitio veræ religionis imitatrix, atque ex vitioſa æmulatione, anilis affectio, ex imbecillitate mentisque inopia, atque ignorantia Diuinitatis emerſit, quo fit, vt cùm animus fluctuet, ac ſit inſtabilis, vacillans, inconſtans, varius, lubricus, nec vlla cognitione aut Dei fiducia imbutus: quem potiſſimè imploret, quò ſe conferat, cui ſe addicat, ſuamque ſalutem committat, & à quo ſucceſſum, ſanitatem, mentemque pacatam conſequatur, prorſus ignoret. Quod eo fit, quoniam à ſcopo ſit aberratum, nec illum homines conſectantur, qui hæc omnia cumulatè præſtare & poteſt & vult, nempe Pater cœleſtis & Ieſus Chriſtus, cui omnis poteſtas commiſſa eſt, & in quem referri vult Deus omnes noſtras cogitationes, ſpem, fiduciam, charitatem, & quæ nobis ad conſequendam ſalutem ſunt neceſſaria. Nec ſuſtinet Deus, vt Eſaias ait, gloriam ſuam ac laudem ſibi debitam in alium transferri, aut cuiquam attribui, nec vllum cultum aut religionem conſtitui, niſi in ijs rebus, quas Chriſtus ex ore Patris nobis enarrauit: qua de re innumera extant in Biblijs teſtimonia, nec minora apud Orthodoxos, cùm Latinos, tum Græcos, quæ dilucidè commonſtrant, qua ratione Deus coli atque adorari debeat, qua Diui ac Chriſtianæ profeſſionis aſſertores, ac propugnatores inuicti venerari, qui nihil non contumeliarum Chriſti nomine perpeſſi ſunt, ac ſuſtinuerunt.

Eſa. 12.

Superſtitio quid.

Matth. vlt.

Eſa. 42. & 48.

De

De Salis conficiendi ratione ſingulari atq; inaudita, eiusq; natura, effectu, viribus, vſu & differentijs: Obiter herbarum aliquot maritimarum, quæ ſalſuginoſo ſucco imbutæ ſunt, & ex quibus ſal elicitur, conſideratio.

C A P. IX.

QVANQVAM de natura Salis, eiusque vſu neceſſario, paulò antè diſſerui: facturus tamē ſum operæpretium, ſi vberius ac fuſius de ſalubri hoc condimento, ſine quo omnia edulia inſipida ſunt & inſulſa, verba faciam. Principio hoc cuique teſtatum cupio, præſertim quibus familiæ onus ac rerum domeſticarum cura incumbit, tum ijs, qui ciuitates, caſtra, arces, propugnacula incurſionibus expoſita, tueri debent, ac præſidio munire, eaque commeatu inſtruere, Salem marinum recens coctum, atque à ſordibus non ita pridem expurgatū, aſſeruandis carnibus piſcibusq; minus idoneum. Decoquitur autem atque apparatur apud Zirizæos, compluresque Zelandiæ ciuitates, æſtiuis menſibus, cùm feruescit Sol, cuius vi maximè ſalſeſcit Oceanus, candoris eximij ſal in frixorijs patiniſq; capacioribus aqua marina oppletis, ſubditis accenſiſque glebis bituminoſis, noſtri *Turf* vocant, quibus ſenſim ac paulò melius omnia perficiuntur in Salinis, quàm congeſtis ſub cacabo lignorum ſarmentis, ob flammam ex fornacis faucibus periculosè erumpentem. Quòd ſi mox à tepente foco, aut poſt dies aliquot in vſum depromatur, citò liqueſcit, atque in ſalſuginoſam ſaliuam diſſoluitur, ſic vt limoſam quandam vliginem rebus ſalitis obducat. Ita Sal, qui primùm ex calenti feruidaque patina aut labro ferreo eximitur, nec vetuſtate induruit, aut concretus eſt, cùm citius, quàm par eſt,

Salis habendus delectus.

Oceanus æſtate magis ſaleſcit.

Sal recens citò liqueſcit, Vetus ſerius.

eſt, in ſalſilaginem liqueſcat, ſecus quàm vetuſtus, minus aptum iudico ſaliendis condiendiſque edulijs Quocirca qui carnes ac ſalſamenta, ſaperdas, aſellos, thinnos, phocas, haleca, haringos, qui ſunt thriſſarum generis, ſuccidiam, perennare velit, hoc eſt, in ſequentem annum, aut multam æſtatem aſſeruare, denique minus rancida in exteras longeque diſſitas regiones deuehere, vetus ſal meminerit huic negotio accommodatius. Maiores noſtri olim ſalem confecerunt vberrimo ſanè queſtu, non ex aqua marina Solis ardore in ſalem concreta atque indurata, quale ex Hiſpanijs & Gallijs ad nos perfertur, ſed ex maritimis glebis exuſtis atque in cinerem redactis, quem infuſa aqua minutatim in ſalem reducebant ſplendidum ac nitentem, *Zel oft zoltzout*, populares atque indigenę denominãt à glebis ſalſugine imbutis, vnde id elicitur. Nec alio ſalis genere tota Belgica ad noſtram vſque memoriam vſa eſt. Qui conficiendi Salis modus cùm inducto externo exoleſceret, excogitatus eſt alius non minus quæſtuoſus. Siquidẽ aduecto ex Hiſpanijs atque Aquitanico ſinu, rudi ac nigricante ſordidoque ſale, exempto limo, excoctiſque ſordibus, candidiſſimum id noſtrates efficiunt, rebus aſſeruandis aptiſſimum. Vtuntur quoque Salinatores noſtri alio cõcoquendi ſalis modo à ſuperiore non multum diuerſo. Nam tertio aut quarto quoque anno, confracto foco atque area, *den heert* vocant, furca cui capaciſſima ſartago ac patina incumbit, ſubditoque igni incaleſcit, glebas ac fragmẽta, quę ex perſtillante ſalſugine ac muria ſalſo liquamine affatim imbuta ſunt, in patinam conijciunt, eaque comminuta ſalo macerant atque elixant, poſt horas aliquot ſubſidente limoſa fece ac ſordibus, paxillo candidiſſimum ſal eliciunt. Id genus *Clynzout* nominant, vel *Clinczout*, quòd glebæ inter ſe colliſæ

Quo ſale ſalſamẽta conſeruantur.

Iſſaquod priſcis gen⁹ ſalis conficiendi inaudita ratio.

A Sale Silt & Solt, vnde Soldatẽ Germanicè.

Salem Zelandi quomodo candidum efficiant.

Salis ex glebis cõfectio.

Quid Zelandis Clynzout.

collifæ propter duritiem, vt ſilices, ſonitum clangoremque edant. Hoc genus Salis vt menſis eleganter infertur, easque exornat, atque ad multos vſus eſt efficax : ita conſeruandis condiendisque rebus minus aptum. Ob id boum tergora, ac tegmina coriacea illo ſale, vt etiam marino rudi defricāt atque obruunt. Quocirca Senatuſcōſulto cautum eſt, ne quis eius conditionis ſalem diuendat, niſi interpoſito iureiurando atteſtetur, ſe non pro ſincero ac natiuo, qui ex marino eiusque muria confectus eſt, ſed pro foſſili ac factitio venum exponere, ne qua fraus aut impoſtura ſubeſſe poſſit. Nā cùm niuei ſit candoris, atque omnes optimi ſalis dotes exhibeat, non facilè ab ignaris internoſci poteſt, nec diſcrimen obſeruari, niſi ex rebus, quę illo condiri ſolent, experimētum ſumpſerint. Citius enim ſalſamenta atque alia quæque hoc Sale obruta ac confricata ſubrancida efficiuntur ac ſubolida ; vbi in multam æſtatem aſſeruare viſum eſt. Eandem naturam effectumq; obtinet, quod noſtrates, quoniam exigua infuſa aqua marina diutius torretur atque aduritur, *Braedtzout* vocant, ſed ſplendidum, lucidum, ſpecioſum, friabile, cruſtoſum, latis ſquamoſisque ramentis ac laminis ſtellanti fulgore radiatis, quòd mirè à Flandris ac Brabantis expetitur, cùm aſſiduè, tum maximè in vſu domeſtico, ſiquando ſumptuoſis epulis, magnoque apparatu menſas inſtruunt. Cùm enim ſplendeſcat ac ſpectabile exiſtat, oculisque etiam à longè gratum ſit, ac blandiatur : regales magnificasque menſas mirificè exornat. Morſibus id rabioſi canis cū melle efficaciter adhibetur, ſcabiem impugnat, tumores cum fermēto, melle & butyro, atque adipe ſuillo perrumpit etiam illos, qui graſſante peſte in alis atq; inguine ſe proferunt. Ex ſale autem cum aqua marina confecta muria aut ſalſilago, præſentanea

Senatuſcōſultum, ne ſal adulteretur.

Sal terridus, Belgicè Braettzout.

Salis efficacia in morſu canis rabidi.

vi am-

vi ambuſtis vim igneam, atq; vrentem feruorem extrahit, doloreſq; intentiſſimos placat ac mitigat, vel ex puluere bombardico, vel oleo, pice, aqua feruida, pruniſque accenſis, præſertim ſi tenui peplo ſalſilagine imbuto peruſtæ partes foueantur. Huiuſmodi enim irrigatione ignea vis eluitur, atque acerrimi cruciatus conſopiuntur. Malè autem conſulunt ſic affectis, qui frigida ac reprimentia membris applicant. ita enim referiunt, non extrahunt, nec eliciunt ignitum ardorem, eumq; magis infigi partibus contingit. Quocirca inter initia nihil ſalſugine efficacius, vulgò *Pekel*, vel recens confecta; vel quæ butyro incumbit, fomenti loco applicata. Cui viribus par Smegma, vulgò Sapo, Belgicè *Zeepe*, quo veſtibus ac linteis ſordes eluuntur, confecto ex eo linimento cum melle & butyro. Aqua quoque, in qua rapæ decoctæ ſunt, tutò adhibetur; quæ vim magis efficacem concipit, ſi nonnihil calcis viuæ in illam diſſoluas. ita enim lixiuij modo, adhibita ardorem compeſcit, & abſque morſu deſiccat. Cæterùm cùm aliquot ſalis genera paulò ante recenſuerim: de factitio illo diſſerendū, quod in legitimi ſalis inopia, huius vſum nobis præſtare poſſit: vocant hoc genus Arabes Salkali ab herba maritima, quibus littora noſtra abundè ſcatent. Enaſcuntur autem apud nos paſſim aliquot herbæ ſalſuginoſo ſucco imbutæ, ex quibus Sal, ſi aliâs denegatum ſit, facilè elici poteſt, atq; in domeſticum vſum depromi: qualis eſt Portulaca marina Halimo affinis, vt etiam admonet Mathiolus in eruendis herbis acer & induſtrius. Hanc noſtrates æſtate deſinente lectam condiunt, ac muria aſſeruatam, aut rudi ſale obrutam in hibernos vſus reponunt, vt Hiſpani oliuas, cappares, crithmon, empetron. Excitat enim appetentiam, ac faſtidia nauſeamq; diſcutit, ſiquando ventriculus pituitoſis humoribus

Salſugo ambuſtis vtilis.

Ambuſta refrigerantia nō extingunt.

Smegma ambuſtis idoneum.

Calx cum aqua raparū ignitos dolores placat.

Salkali Salis genus.

Mathioli induſtria.

ribus oppreſſus, vel etiam bilioſis, cibum reſpuit. Tota autem herba, vſque ad ſeminis, quod minutum eſt, ac racematim dependet, maturitatem, portulacam illam prægrandem hortenſem ac ſatiuam refert: quam Patricij etiam ſale rudi ac ſcabroſo obruunt ad excitandam cibi auiditatem. An autem hæc Portulaca marina Halimi nomine ſit deſignanda, nondum ſtatui, cùm illa famem excitet, iſte arceat. Verùm in alpibus noſtris arenoſis frutex emergit, ac virgultum duorum aut trium cubitorum altitudine, oleæ folijs, quæ vticis modo longas habet virgas, lentas ac flexibiles, fronde oleam repræſentans, ſed folio minore ac ſubrotundo, supernè viridi, infernè imaque ſui parte, qua terram inſpectat, albeſcente ac cæſio, fructu folliculari, non diſſimili verticello, ab inſtrumenti muliebris ſimilitudine. nam ſpōdyli ſeu verticuli, vulgò *VVoruel*, ima parte fuſis commodius torquendis rotandiſque adhibentur. Qui frutex prorſus ad Plinij ac Dioſcoridis Halimum accedit, in reprimenda arcendaque fame præcipui effectus; abolet enim appetentiam vitioſam atque enormem, qua ferè mulieres circa tertium à cōceptu menſem infeſtari ſolent, & nonnulli conualeſcentes, quoniam ventriculus noxijs humoribus atque acida pituita imbutus ſit: quò fit, vt canina appetentia diuexentur, ac bulimiæ, hoc eſt, edendi auiditati, quaſi bouem eſſent deuoraturi, obnoxij, vt fœminæ vitio, quod Picatio dicitur, qua alitis hui⁹ more carbones, teſtacea, mali Punici putamina, aliaq; eſui inepta deglutiunt: Quibus vitijs Halimus frutex cōmodè adhibetur, ab effectu nomen ſortitus; folijs oleris more, cum pingui iure, nullo ſale admixto, decoctis. ita enim obtundit ſubacerbos illos humores, qui minus naturalem appetentiam excitant, quod etiā admorſus ac dentibus tritus præſtare

Portulacæ marinæ cōditura.

Halimi legitimi deſcriptio.

Verticulus quid.

Halimus famem arcet.

Picatio morbus ſeu Citta.

ſtare creditur, vt nõnulla naribus tantum admotá animi deliquium diſcutiunt, ac cor fouent & recreant. Atriplex verò marina colore ſquallido atque inamabili, in aggeribus Zelandicis nuſquam non obuia eſt: verùm non aſſurgit in vllam altitudinem, ſed ſeſſilis eſt, atque humi decumbit. Braſſica autem marina, quæ Germana Soldanella ſtatui debet, quam noſtrates indigenæ malè portulacæ marinę adſcribunt voce gẽtilitia *Zoulte nelle*, à ſalſuginoſo ſapore, Alpibus Zelandicis copioſè prouenit, halimo, crithmo, empetro, anthillidę, iringio confinis ac contermina; gaudet autem ipſa aura maris, ſed tamen illo non irrigatur, nec perfunditur, vt alga, de qua poſtea. Herba hæc humi ſerpit longis flagellis, lentis ac viminoſis cauliculis lacte madidis, folijs rubore perfuſis, ſubrotundis, ſemine in calicibus ſubrubẽtibus nigro, loculis incluſo; vtuntur ea ad deijciendam aluum, iure pingui elixata, quo ob acrimoniam atque amarum ſalſumque ſuccum ſtomacho minus ſit infeſta. Cæterùm herba Kali Arabibus vocata, nulla apud Zelandos vulgatior: ex ea ſiquidem olim maiores noſtri vnà cum ceſpitibus ac glebis ſalſuginoſis, ac bitumine quodam imbutis, candidiſſimum Salem confecerunt, ea ratione ac modo, quem paulò antè indicaui. Eſt autem herba in infima maris noſtri crepidine, quam Oceanus alluit, totoque Zelandiæ tractu copioſiſſima, quam ego Vermicularem vel Craſſulam, vel Ayzoon vel Sedum marinum vocitare ſoleo, Caule palmari, erecto, firmo, tereti, geniculato, atque internodijs diſtincto, vtrinque multis agnatis cauliculis rotundis, læuore perpolitis, atq; in ſe compactis, qui exemptiles videntur, vt equiſeto ſeu caudæ equinæ, folijs, qui ex caule ſingulari emergunt, eoque ſtipati ſunt, carnoſis, craſſis, ſucco turgidis, craſſitudine arundinis, nobis *Riet* dicta, quæ

Atriplex marina.

Braſsica marina ſeu Soldanella.

Braſsicæ marinæ deſcriptio.

Herba Kali alia à Trago.

Kali ſeu Sedi marini deſcriptio.

quæ inambulantium pedibus moram injjciunt, ac greſſum remorantur, ſonitumque ac fragorem in promouendis pedibus excitant, radice exigua, gracili, tenuiter capillata. Tota herba ab ima ſui parte ad cacumen vſq; eleganti ac pellucido virore perpolita eſt, quæ nec hibernis quidem menſibus exoleſcit aut emoritur, ſic vt laquearibus ędium affixa abſque aſcititio vllo liquore diutiſſimè vireat, vt Aloë. eſt enim mirè ſucculenta, atque natiua humiditate affatim imbuta. Noſtrates, quòd Cancris infeſta eſt atque impedimento, *Crabbequel* vocãt. Nam cùm denſius fruticetur, curſum illis remoratur, ac difficilem tranſitum præbet, ita vt ægrè extra hanc ſe explicare queant, vbi homines illos venantur, atque ad eſcam expetunt. Herba hæc pecori ouillo gratiſſimum & ſaluberrimum pabulum eſt. Nam cùm hæ pecudes cœli ſtatu humido hydropiſi ac tumoribus ſtrumoſis obnoxiæ ſint, noſtri *den Bot* vocant, huius herbæ paſtu recreantur, ac malum diſcutiunt. Eſt enim ſalſiſſima herba, vt quam aduentante Oceani æſtu, continenter aqua marina irrigari cõtingat ac madeſcere. Quò fit, vt ſubinde conſperſa ſpecioſius adoleſcat, ac fruticetur denſius. Qui autem hanc in condimenti vſum aſſeruare volunt, cõſulo, vt modicè decoctam aceto minus acri potius, quàm muria aut ſalſugine cõdiant, aut rudi ſale obruant, vt portulacam: Cuius vſus pituitoſis ſalubrior, atque obeſis, quàm bilioſis aut macilentis. Subeſt huic herbæ ſolo, omnibuſque propemodum agris maritimis: primùm terra argillacea, lenta, tenax, glutinoſa, quæ contrectata manibus adhæreſcit, nec fatiſcit, aut facilè excutitur;

Kali herba cancros remoratur.

Kali herba ouibus gratiſsima.

Salſa herba medentur morbũ ouium.

Sed picis in morem, ad digitos lenteſcit habendo. *Georg. 2.*

Adeò, vt vbi veſtes commaculauit, ęgrè eximi eluique poſſit, *Cley* noſtri vocant, à lentore, Brabanti *Leem*:

Cley à Verbo Cleuen

deductum, quod inhærere eſt. *Leem:* hanc ſequitur bituminoſa quædam concretio ac ſubterranea congeries, Darri, vt aliâs retuli, vocata, ex qua, tanquam fodinis, glebas eruunt indigenæ nigras ac pinguedine imbutas, quæ accenſæ, vt aridi ceſpites, vrētiſſimos calores excitāt, atq; in cineres redactæ, ſaloq; perfuſæ materiam ac fomentū olim noſtratibus præbuerūt conficiēdi Salis. Sed is modus iā in diſſuetudinē venit, ob maximā copiam, quæ ex Gallijs atque Hiſpanijs ad nos cōuehitur: qui tamen facilè in vſum reuocari poſſet, ſi externus Sal hoſtili odio denegetur, aut ex quauis alia cauſa, eius copiā nobis deeſſe cōtingat. Quocirca non omninò operā me luſiſſe puto, qui exoletum, ac iampridem antiquatū hunc cōficiendi Salis modū in memoriam poſtliminio reuocârim: quo aliquando, ſi res poſcat, inſtauretur. Cęterùm cùm in maritimarū ſtirpium ac fruticū mentionem inciderim: de Alga nonnihil inſerendum. Siquidem hanc impensè a me ſibi demonſtrari optauit Rembertus Dodoneus Medicus Mechlinienſis vir in illuſtranda re herbaria, arteq; medica exercenda ſagax & induſtrius. Eriguntur paſſim locis maritimis moles ac propugnacula fluctibus oppoſita in ipſo ſtatim aditu, primoq; portus acceſſu, ex trabibus, ſudibuſque rectis ac tranſuerſis, quę præter ſaxa immenſi ponderis, ſtabiliendo operi iniecta, faſcibus ac longurijs, cratibuſq; inter ſe cōtextis atq; implicatis fulciūtur: refert autem hæc machina eminentis promontorij imaginem, ac nauibus fidam tutamque ſtationem præbet. Caput hanc ſtructuram non ſolùm noſtrates, ſed Itali quoque & Hiſpani vocânt, ſiue arte cōſtet, ſiue natura: eoq; etiam nomine in Coſmographicis deſcriptionibus deſignatur. Huic Alga copioſè vndique adhæreſcit, quę tametſi vilis ſit & abiecta, quod pręter Prouerbium Virgilius etiam adnotauit:

Bitumen zelandicū Darri, ſalis materia.

Rēbertus Dodoneus.

Artificialis promontorij deſcriptio.

Moles & promontoria Caput vocantur.

Horri-

Horridior ruſco, proiecta vilior alga. *Alga vilior Eglog.*

Aliquem tamē in Medicina vſum habet, ſiquidem dolores podagricos atque articulares mitigat, expurgato primùm corpore, inflammationes diſcutit. infrigidat atque exiccat multò efficacius, quàm lens ſeu lenticula paluſtris, quę eſt velut muſcoſum atque ſtagnantis excrementum, colore viridi, anſeribus anatibuſque gratiſſimum pabulum. *Lens aquæ quid.* Alga autem cùm plures habeat differentias, tum illa, quę nobis vulgaris eſt, ramoſa ſpectatur, lubrica, carnoſa, geniculata, bullis atque appendicibus prætumidis ac racemoſis, quæ primoribus digitis cōpreſſæ crepitant, ac ſonitum edunt, vt ſenæ folliculi. *Alga deſcriptio.* Cùm autem Alga hæc membraneo folio exiſtat, folliculis turgidis, flatuque diſtentis, lucidis, ac lęuore perpolitis, magna parte fluitat, atque aquis ſupernatat, quibus deſtituta feſſilis eſt, ac flacceſcit, ſarmētiſque ac ſudibus, ſeu pedamentis tanquam iners & ignaua incumbit. Color verò huic herbæ rufus eſt, obtuſus, fuſcus, rauus, qui conſtat ex mixtura fuſci & nigri inter cæſium & flauum, ſaturatę vmbroſæque viriditati affinis: *Rauus color qui.* ſarmentis verò ac palis, qui muniendis aggeribus in littore adacti ſunt, tenaciter adhæreſcit, tanquam viſco aut glutine (nullo radicis adminiculo illita atque implicata) ita vt ægrè auelli queat. Altera Algæ ſpecies, quæ marinæ aquæ ſubeſt, vt ſtagnis ac paludibus vlua, *Secūda Algæ ſpecies.* eaque ſtipata ſe fulcit, folio fœniculaceo eſt in capillamenti tenuitatem extenuato, colore inamabili, muſcoſo quodā ac villoſo concretu, noſtrates *VVoer*, nōnulli *VVeert* vocāt, quę retibus ac ſagenis vnà cum gammaris ac minutis piſciculis, aliiſque purgamentis ſubducitur. Phycos verò aut fucus marinus Algæ affinis eſt, illique forma atque effectu par, vt Ariſtoteles ſentit, & illo poſterior Plinius. *Lib. 6. c. 13. hiſtor. animalium.* Muſcus autem aliud ab iis ſtatui debet:

Quorum vna ſpecies non ſolùm littoribus, ſed etiam roſtratis nauibus adnaſcitur, vbi ex longa peregrinatione in portum ſunt delatæ, quibus non tam muſcus & alga, quàm teſtacea quæque, tum Echinus piſciculus adhæreſcit, quæ nauigia remorantur, ac curſum retardant: ob id noſtrates ſcopis aſperioribus defricant, & ferramentis vncis atque incuruis deradũt, quo carina vncta ac læuore perpolita feratur concitatius, totaque velificatio perficiatur celerius. Eſt autem vulgare hoc muſci genus in Oceano Belgico copioſiſſimum; colore vireſcente atque herbaceo, quod tamen in flauũ aut ſubluteum elangueſcat, vt æſtate deſinente vitis pampini aut arborum folia, nulla radice fultũ aut ſubnixum, tenacitate tamen quadam ſolo, cui incumbit, affigitur, vel extremis littorũ oris ac marginibus expanſum, emergente mari attollitur, ac ſubſidente demittitur. Ceterùm muſcus maris, qui à Dioſcoride deſcribitur, ab hoc prorſus diuerſus; ſiquidem ea herba cenſeri debet, aut fruticoſa concretio, ac villoſa congeries, tenuibus feſtucis, cauliculis exilibus, ima parte lignoſis, folliculis capillaceis, criſpis ac cirratis, colore incano ac cinericeo, vetuſtate rubicundo, odore vt Abrotano, aut Abſynthio marino, cum grauitate iucundo, verminoſis, & qui lumbricis infeſtantur, efficax & præſentanea, redacta in puluerem herba; eaque denarij aut drachmæ pondere ex vino exhibita; eſt enim pari effectu cum abſynthio Seriphio ſeu marino, illique affinis & cognata, vbi primùm emergit atque emicat, ſi numeroſa folia, ac fruticantes cauliculos, ſin cincinatas cirrataſque fimbrias ſpectes, Corallinam circumforanei vocant, quoniam Corallio, qui in mari Liguſtico, alijſque littoribus retibus ſubducitur, adhæreſcat atque implicata ſit. Sunt autem apud Zelandos Belgarum extremos

Muſcus marinus fruticoſa concretio.

Corallina à Coralliȷ amplexu herba.

quos

quos Matiacos Tacitus vocat à ſociali concordia, vt paulò pòſt explicabo fúſius, longè lateq́; expor-rectæ planicies, atque ab aggerum deſcenſu, vberrima pecori ſaginando paſcua, in quibus ſe profe-rũt variæ herbarum ſpecies, Empetrum, Crithum, Kali ſeu Sedum marinũ, Atriplex, Portulaca, Braſſica marina, Halimus, Ononis ſeu reſta bouis, flore purpureo ac ramuſcúlis aculeatis atterendis calculis accommoda, Alga, Corallina fruticulus. Rhamnus verò arenoſis dumoſisq́; collibus familiaris eſt tricubitali altitudine, quibuſdam locis arboreſcẽs, vt Paliurus, quæ minus fœcunda, ramis rigidis ac frangi contumacibus, oleæ folijs, ſed anguſtioribus, ſupernè viridibus, ima ſui parte, qua terram ſpectat, albicantibus, baccis, ſeu acinis rotunditate ac magnitudine myrti aut piſæ Romanenſis, in ſe numeroſa congerie racematim compactis, ac ramis arctè implicatis affixiſque perexiguo petioli appendice, colore flaueſcente ac luteo, maturitate crocato, ſapore acido ac peracerbo, quique affatim ſaliuam elicit, ac febricitantibus ſitim compeſcit, vnico intus nucleo aut vinaceo, non lapidoſo, vt corno aut oxyachante, hoc eſt, ſpinæ illi acutæ, quæ menſe Maio, vbi omnia floreſcunt, ſpectabilis eſt & odorata, aut Creſpino, quæ vulgò Berberis dicitur, ſed qui dentibus facilè atteratur: quòd verò dumetis atque arenoſis locis peculiaris, Zelandis *duyn beſyen* vocatur: Adornantur autem apud nos hoc virgulto cœnacula ac triclinia ineunte autumno, quo baccæ luteo colore ſuffundi incipiũt, atque in multam hiemem ſpectaculo ſunt, oculoſque reficiunt, atque acido ſapore nauſeanti ac faſtidioſo palato gratificantur. Meminit huius fruticis Dauid, qui multis locis appoſitiſſimas ſimilitudines ad perſuaſionem profert in religionis negotio, ex naturæ rebus cõcinnè petitas: Antequam

Zelãdi Matiaci dicti à ſociali cõcordia.

Rhãni deſcriptio.

Pſalm. 57.

ſpinæ veſtræ, inquit, adoleuerint, atque obdureſcant in Rhamnum, conteret ac conuellet vos Dominus, & liqueſcere faciet, vt limacem ac partum abortiuum. Quo deſignat improborum factiones, tyrannidem, minas, potentiam, conatus, molimina irrita fore, atque inualida, nec ad inferenda incommoda, vllis viribus inſtructa, à Rhamno deſumpta ſimilitudine, frutice vbi adoleuit, aculeis infeſto. nam ineunte vere tener eſt, mollis, tractabilis, ac minus noxius. Sunt autem in locis hiſce maritimis complures herbæ ac frutices, quarum nonnullæ à littoribus remotiores, auram quidem marinam concipiunt, at ſalo non perfunduntur: aliæ ſubinde irrigantur maris aſpergine, ſiquando exundat Oceanus, vt hibernis menſibus aſſolet Luna vel plena, vel primum inchoata: quò fit, vt omnes ſtirpes maritimæ ſquallido ſint colore, atque incano, tum minus, quàm hortenſes, floridæ, nec virore tam grato atque amabili: quarum tamen nonnullæ tranſlatæ, ac cultu edomitæ, ſpectatiores euadunt, ac frondeſcunt virentque ſpecioſius. Simile quiddam perſpicimus in cerdonibus, piſtoribus, qui furno adſtant, carbonariis, fabris ferrariis, aurificibus, qui argentum inaurant, quod argento viuo perficitur, in iis, qui ſtannum, æs, cuprum, plumbum cudunt: qui omnes ſuo ſe colore produnt, ac non natiuum, ſed ex emanantibus vaporibus ac circumfuſo aere alienum atque aſcititium exhibēt, ita vt plerique eorum colore buxeo, muſtelino, lurido, giluo, fuſco, fuliginoſo conſpiciantur: qui ſi aliud vitæ genus aſciſcant, ac deſerto plebeio, patritio more viuere inceptent, confeſtim alius oris decor ac ſpecies, alia in facie ac vultu, totoque corporis habitu dignitas elucere incipit, tametſi ferè quidam referant veteris opificii veſtigia, quibus olim erant aſſueti: quod ipſum etiam

Dauidis locus explicatus.

Maritimæ herbæ ſquallidæ.

Simile à ſordidis opificibus.

Opificia quedã colorẽ hominis immutant.

etiam in ſeruis, ancillis, ruſticis obſeruamus, qui ad herilem dignitatem emergunt, in quibus ferè aliqua elucet, ac ſe profert plebeia conditio.

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZAEI DE NATVRAE DIGNITATE ET PRAESTANTIA.

LIBER QVARTVS.

De vi effectuq́; Lunæ, cuius motu impellitur Oceanus, & quid moribundis ac morbo deploratis obuenire ſoleat, vbi cum morte luctãtur, atq; è vita emigrare incipiũt, ex acceſſu receſſuq́; Oceani ac Lunæ decurſu, cuius vires efficacius, quàm cæteri, percipiunt atq; experiuntur maritimi.

CAP. I.

QVA vi polleat ſidus hoc nocti il- *Geneſ.1.* luſtrandæ attributum, familiare nobis ac proximum, cuius vis animalium corporibus incumbit, atque humores agitat, ſuperius demonſtratum eſt. Verùm cùm mi- *Luna quos morbos acuat.* rè ſit efficax non ſolũ in cõcitandis ciendiſq; tempeſtatibus ac fluctibus marinis, ſed etiã in inferẽdis exaſperandiſque morbis, nẽpe apoplexia, lethargo, ſtupore, epilepſia, paralyſi, hydropiſi, catharris, ac pituitæ fluxionibus, paulò accuratius de hujus natura differendum, eoq; magis quòd Belgæ Oceani

accolæ eius vim efficacius percipiant, quàm qui ab illo ſunt remotiores: cùm enim proximè conſiſtant, illoque ſidere in Occidentem inclinato, propius illuſtrentur, nec vlla obſtent vel nemora, vel montes: manifeſtè vim Lunæ concipiunt, ac humidis illius radijs affluentius madeſcunt atque irrigantur. *Lib. 2. cap. 100.* Nam vt Plinius ait, Luna fœmineum ac molle, nocturnumq; ſidus, humorem mouet quidem: at vt Sol non attrahit, cunctaque humifico ſpiritu implet, ac turgida efficit, quo fit, vt qui regiones humidas frigidaſque occupant, excrementis ac pituita ſcateant, ac ſubinde tuſſi, raucedini, coryſæ, multiſq; alijs fluxionibus ac catharrhis obnoxij ſint, ac infeſtentur, *Otioſi catharris obnoxij.* præſertim otioſi, ignaui, ſedentarij, & qui rarius exercitationi aut labori inſiſtunt, in quos propter humorum redundantiam Luna potentius vim ſuam exerit, ita vt iſti prę cæteris eius motibus effectibuſque ſint expoſiti. *Otioſi lunæ effectibus expoſiti.* Nam baiuli, nautæ, vectores, agricolæ, compluresque alij laboribus aſſueti, qui excitato auctoque calore natiuo excrementa ſiqua aceruata ſunt, conficiunt, minus huius ſideris incommodo afficiuntur, nec magnoperè illius vim percipiunt. Cæterùm vt quæ longo à me vſu atque experientia obſeruata ſunt, proferam, quam vim naturę parens, qui vſibus noſtris omnia accommodat, Lunæ attribuit, præter nocturnam illam facem ac clariſſimam lucem, qua mutuato à Sole lumine, mortales illuſtrat, præter ea, quæ conchylijs, oſtreis, piſcibus, ſatis, herbis, arboribus incrementa confert, obiter indicabo. Plinius ex Ariſtotelis ſententia, *Li. 2. Hiſt. ca. 98.* Nullum animal in Oceano Gallico, niſi æſtu recedente expirare aut extingui aſſerit: cuius ſententiam vt non auſim contentiosè improbare aut refellere; ita hoc cuique teſtatum eſſe volo, non exactè omnia illius opinioni reſpondere: cùm nonnullos deprehenderim, ex

decurſu

ecurſu aſpectuque Lunæ, Oceani acceſſu, atque duentante æſtu expirare: pleroſque in receſſu ac ubſidente fluxu opprimi. Siquidem in maritimo Belgicæ regionis tractu, pro humorum redundania ac defectu, diuerſam obſeruo emigrandi cōditionem ac modum. Alij enim ex Lunæ decurſu, cuius impulſu fertur Oceanus, intumeſcente fluctu, alij ſubſidente, vel intereunt, vel conualeſcunt, humoribus ſcilicet ſpiritibusque motu atque aſpectu ſideris, vel agitatis vel ſopitis. Sic in pronuncianda Criſi, hoc eſt, deferendo iudicio, quod vel mortem vel ſalutem denunciat, omnes quos morbis tentari obſeruo, qui in humorū plenitudine conſiſtunt, ſeu pulmonis inflammatione, pleuritide, angina, apoplexia, lethargo, morbisq; pituitoſis atq; intercutaneis, quibus corpus intumeſcit, atque hydrope ſuffocatur, Luna plena atque orbiculata, æſtuque exundante extinctum iri pronuncio, aut ſaltē pleroſque eorum pro morbi ac corporis conditione ac natura, manifeſtam alterationem ſubituros ſubſequente ſubita ſudoris vel ſanguinis eruptione, vel ex quauis parte aliqua humoris redundantis euacuatione ac profluuio. Hecticos verò, hoc eſt, tabe, marcore, ſiccitate, nutrimenti defectu obnoxios, denique ſilicernia, decrepitos ac capulares ſenes, ſilenti luna, fluctuque ſubſidente, interituros denuncio. Et quò plenitudinis aut defectus cauſa maior aut minor in corpore conſiſtit, eò vel ſerius vel citius morte ſopiuntur. Ita qui aquis diſtenti ſunt, qui corpore opimo exiſtunt, atque obeſo, ſi ancipiti dubioque morbo, & qui ex humorum redundantia contrahitur, corripiuntur, ſtatim accedente æſtu, ac vergente in plenilunium aut nouilunium ſidere, opprimuntur. Nonnulli vbi fluctus iam medium obtinent: alij cùm in ſummo conſtiterit Oceanus, vitæ finem imponunt. Ediuerſo qui

Obeſi in æſtu maris accedente periclitantur.

Sicci & aridi in Oceani defluxu moriuntur.

ſicco ſunt aridoq; corpore, macilēti, ſtrigoſi, ſquallidi, exangues, extenuati, ſubſidente labenteque æſtu, atque in Occidentem conuerſo ſidere ſenſim placideq; obdormiſcunt. Eorum nonnulli pro virium defectu, defluxu medio: nonnulli extremo, portuque vacuo. Nec ſolùm ægrotorum corpora ab externis hiſce cauſis afficiuntur, ſed etiam qui inculpata ſanitate fruuntur, Lunæ vires effectuſq; percipiunt: verùm quò quiſque magis ab optima temperie deflexerit, eò prōptius doloribus infeſtatur, atq; auræ Lunæq; mutationibus fit obnoxius, præſertim vbi huiuſmodi corporibus vitioſi putridique humores ſubſunt. Sic luna vel inchoata primùm, vel plena, atque in orbem circinata, flanteq; vento rigido, muſculi, membranæ, nerui, panniculi, tendines rigeſcunt, ac contracti contortiq; doloribus acrius concitantur. Hæc de Lunę vi atq; efficacia, motuq; Oceani nemo vt vana aut anilia figmenta reſpuat, cùm nihil illo certius, nec veritati magis conſentaneū: ſiquidem huic rei fidem facit experientia, illiq; ratio ſuffragatur etiã in ijs, quæ inanima ſunt, & ſenſus expertia. Nam pelles ſetoſæ ex vitulo marino ſeu phoca detractæ, rigeſcūt, ac pili eriguntur accedente maris æſtu: rurſus demittuntur ac flacceſcunt, eo ſubſidente, quod & Plinius non ſubticuit. Tale quiddam etiam in terreſtribus quadrupedibus obſeruamus, quarū pleræque in arboribus victum venantur; nam Sabellinæ atque Armelinæ pelles ſi in imo arcæ reponantur, illaſque veſtibus impoſitis oneres, poſt triduum plus minus in ſummū emerſiſſe videbis, pręſertim Sabellinas, vulgò *Sabel*. Cùm enim anima id agile ſit & inquietū: non diſſimilis ferè mobilitas tegmini detracto inhęret, pręſertim vbi Aquilonio flatu, hiberniſq; ſiccitatibus ac gelu rigido auulſum eſt. Nam ſi vlli animantium pelles æſtiuis menſibu-

Sani æquè ac ægroti lunæ vim percipiunt.

Pelliū quarundã natura in erigēdis pilis.

Pelles quãdo animantibus detrahenda.

enſibus detraxeris, cuniculis, pātheris, leopardis, ncibus, hyenis, felibus, vulpeculis, ſciuris, muſte-ſ, & quas Martes, viuerras vocant & foinas, tum leriſq; alijs, ex quibus in hibernos vſus tegumen-a conficimus, magna ex parte pili defluunt, quo-iam illorum radices non fixè inhæreſcunt, hiante ilicet laxaque cute, quo fit, vt huiuſmodi pellibus ſſultæ veſtes, à blattis ac tineis citius infeſtentur, uòd intēpeſtiuè, nec opportuna anni parte à cor-oribus exemptæ detractæque ſint. Quocirca in-onſultè faciunt, qui ęſtiuis menſibus flanteq; Au-tro vel Africo, culcitras, lodices, tegeticulas, aulæa c tapetas, veſteſque cultiores in feriarū feſtorum-que dierum vſum repoſitas, ac decorē aſſeruatas, quas nuptiales Mattheus vocat, Auſtrali potius au-æ, quàm Aquilonari vētilandas exponunt, aeriq; humido obijciunt, cùm frigore ac ſiccitate cœli ob-dureſcant tegmina, & indumenta quæque melio-eſcant: tali liquidē ratione vermiculos, teredines, ineas, blattas, quæ veſtimenta depopulātur, ac vel corroſione vel attritu viriant, exareſcere contingit & aboleri. Frigida ſiquidem & ſicca aſſeruādis re-bus accommoda, tum crebra concuſſio ac cōquaſ-ſatio, quæ puluerulenta quæque ac ſitum muco-remq; diſcutit. Nā quæcunque immota arcis ac lo-culis concludūtur, nec perflari contingit, aut flati-bus agitari, putent, ſordeſcunt, olida efficiūtur, ac detrimenta concipiunt, atq; in dies efficiuntur de-teriora. Nec etiā nocturno tempore cubili imponi debent, aut lecto admoueri: nam ſudor, qui ex te-penti madidoque per nocturnam quietem corpo-re emanat, atque expirat, in veſtes atque indumen-ta, contectaſque chlamides aſſumitur, ſic vt tepo-re quodam à corporis exhalatione imbuta ac per-fuſa, materiam corruptionis concipiant. Calida enim & humida progenerandis ſordidis animal-culis

Cap. 21.

Quid veſtibus tineas innaſci prohibeat.

Tepor lecti pelles deteriores efficit.

Quæ qualitas vermiculis

culos progignat. culis idonea, quo fit, vt æſtiuis menſibus, auraque ſubtepida, cōclauia, ædes, cœnacula, triclinia, arcæ, cellæ, prōptuaria, horti limacibus, cochleis, vermiculis, cimicibus, muſcis, culicibus, erucis, crabronibus, veſpis, ſcarabeis, corpora verò pulicibus, ac pediculis lendibuſq; ſcateant, quæ hibernis menſibus minus cōſpiciuntur, aut infeſta ſunt. Omnes itaq; hirſutæ illæ crinitæq; beſtiæ, tum quæ tenera molli que lanugine cōtectæ ſunt, ex quibus ſumptuoſæ pelles ac tegmina conficiuntur, in frigidis potius, quàm calidis regionibus degunt, eoq; minus patiuntur pilorū defluuium, quòd cōtractior ſit cutis, ac condenſa aſtrictaq; frigore pellis: quò fit, vt pilos tenacius amplectatur, nec citò defluant, aut in auras diffuſi euaneſcant. Sic apud Zelandos in ipſo propemodum Oceani aditu immenſa conſpicitur vis cuniculorum, qua tota Brabantia poſt ſolſtitium autūnale vſq; ad veris initiū alitur: nec leporū exiguus numerus magnitudinis inuſitatæ, carne non minus ſalubri, quàm ſuaui, & quę (vt ridiculi quidam nugantur) non ſalſeſcat. Oberrant aūt in monticulis ac collibus arenoſis nōnulla ſui parte Septentrioni, aut Occidenti ſolſtitiali, non arte, ſed natura oppoſitis, ita vt ex aeris frigiditate, atque arenæ ſiccitate ſaluberrimi exiſtant, ac mirè agiles, multò magis, quā in caueis paſti ac ſaginati, præſertim ſi ſanguine humano alantur, vt Chirurgos quoſdam factitaſſe audio apud pleraſque nationes, qui ſanguinem, quem hominibus nonnunquam morbidis inciſa vena adimunt, huiuſmodi beſtiolis obijciunt: quo quidem mirè ſaginantur & pingueſcunt, ſed alimento inſalubri, atque hominibus noxio. Syluestres itaque, inquieti, exercitati, inſtabiles, palantes, eſui ſalubriores, quorum etiam pellis ac tegmen denſius eſt, multiſq; crinibus fixius inhærentibus magis obſitum.

Æſtate ædes & corpora beſtiolis ſcatent.

Zelandia cuniculis fœcunda.

Cuniculi humano ſanguine paſti inſalubres.

De

De Zelandiæ inſulis, ac gentis huius natura, conditione, moribus, origine: & quantum commoditatis atq; emolumenti huius regionis fundus ac ſoli vbertas exteris adferat, compendioſa ac dilucida deſcriptio, in qua obiter refricatur rerum geſtarũ memoria, multaq; naturales cauſæ explicantur.

CAP. II.

CVM tam multa proferat Zelandiæ regio, quę exteris etiam ad vitæ vſum ac commoditatẽ conducunt, ac ſunt neceſſaria: miror à pleriſque hanc tam abiectam ac deſpicatam cenſeri. Nam præter inſignes atque in immenſum faſtigatas lauros (vt à telluris beneficio exordiar) perpolitis maturitate baccis onuſtas, quæ Brabantis denegatæ ſunt: præter efficaces & ſalubres herbas, cùm medẽdis morbis, tum eſui accommodas: præter ſal candidiſſimum, quod ciuiũ induſtria conficitur: præter Rubiam, garanſam Gallis, noſtris *Meedecrappe* nominatam, adornandis pannis, ne color defloreſcat, eumque intimè concipiant, neceſſariam: præter triticum, quo nuſquã gentium candidius aut magis ponderoſum: præter tot ſalſamenta ac vento induratas ſaperdas: pręter immenſam piſcium copiam, quæ quotidie recens aduecta, in omnes Europæ partes diſtribuitur: vrbes exhibet elegãter extructas, atque in ijs ædificia ſplendida, re domeſtica ac ſupellectile concinnè exornata, ita vt omnia paſſim nitida conſpiciantur, culta, expolita, quod vnicè nuper admiratus eſt illuſtriſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus Belgij princeps, & quibus ſtipatus erat, proceres Aulici. Accedunt his omnibus portus commodi, fidæque ac tutæ nauium ſtationes, omni nationi expoſitæ, atque ad frequentandas re-

Zelandici ſoli vbertas.

Rubea radix & alumen durabili colore pannos imbuit.

Regi Hiſp. Philippo grata Zelãdorũ munditiies.

das remotiſſimas regiones, quocunque terrarum curſum inſtituere libeat, aptiſſimæ, nec illi negotio deſunt exercitati naucleri, ac viri nautici, quibus omnes Oceani receſſus ſunt explorati. Quanta verò ſoli vbertas, quàm pingues ac glutinoſæ glebæ, quàm feraces ac fœcundi agri, quàm numeroſi armentorum pecudumque greges, non facilè vlli fidem feceris, niſi propius illi ſint cõſpecta, vt etiam vberrima ſaginando pecori paſcua, non ſolùm intra exporrectos aggeres ac ambitus, ſed etiã extra littora, in ipſa Oceani crepidine, in quib⁹ oberrant pecudum aliquot myriades maximo negotiatorum emolumento, quæſtuque vberrimo, non ſolùm ſupra vulgarem magnitudinem, ſed saporis etiam delicati atque exquiſiti, ſoli ac graminũ beneficio, quod ſaluberrimum ijs pabulum ſuppeditat, adeo, vt exteri quoque ſummoperè ijs delectentur, ita vt Vitilitigatores, hoc eſt, qui ſectandis litibus dediti ſunt, nullis donarijs (modò aurum demas) aduocatis ac procuratoribus melius gratificentur, quàm ſi villoſas huiuſmodi oues ac Zelandicos verueces illorũ culinæ inferant; tum demum enim res illis cordi eſſe incipit, ac cauſæ inſiſtunt: quibus ſi accedat caſeus ouillus virore perfuſus inuſitatæ magnitudinis, atque immenſi ponderis, nihil adferri poteſt ad rei commẽdationem gratius. Tali ſiquidem condimento irritari ſolent ad potum ac repotia etiam ſaturi, ac vino affluentiore paulò antè perfuſi. De aëris autem Zelandici clementia nõ auſim multa polliceri, vt qui in nonnullis partibus ſit paulò aſperior, & quàm vicinarum gentium minus ſalubris, præſertim æſtate ob paludum, & ſtagnorum graues halitus, & quòd regio arboribus minus conſita. Hoc tamen habet commodi, quòd contagioni ac peſtiferis morbis minus ſit obnoxius, ac ſerius inficiatur: at infectus imma-

Aduocati muneribus afficiũtur.

Caſeus viridis appetentiam acuit.

Aer Zelandicus qualis.

Zelandiæ aer cur ſerius inficiatur.

immaniter in hominum corpora graſſatur, nec facilè conquieſcit. Vt enim lignum durum ægrè qui *Simile ab ignitis rebus.* dem igneſcit ac flammam concipit, at incenſum difficilè reſtinguitur: ita corpora Aquilonijs flatibus ac marina aura indurata minus promptè virus concipiunt, peſte verò correpta ægrè hanc excutiunt. Aqua quoque putealis in inſulis non ita *Aqua in Zelandia qualis.* pridem ex mari vindicatis, parum ſapida eſt aut ſalubris, ac vel ſalſæ qualitatis, vel vliginoſi fundi, ſaporiſque ingrati particeps. Tametſi in ciuitate Zi- *Ziricæa puteos ſalubres habet.* ricæa putei exiſtant, qui ne aquæ quidem fluuiatili cedant, aut liquore pluuio ſint inferiores. Regionem hanc maritimam veteribus olim non fu- *Zelandia an veteribus cognita.* iſſe incognitam, ex Cornelio Tacito colligi poteſt, non hoc equidem, quo nunc innoteſcit, nomine, ſed ex vſu ac vulgata alloquendi conſuetudine ac compellatione, qua populares atque indigenæ inter ſe ſunt vſi: itaque Mattiacorum illos nomine deſignat, cùm inquit: Eſt in eodem obſequio *Lib. de moribus Germanorum.* Mattiacorum gens, Batauis ſimilis, niſi quòd ipſi terræ ſuæ ſolo acrius animantur. Quo indicat, tametſi Batauis ſiue Hollandis à cauitate terræ ſic denominatis vicini ſint ac finitimi, ita vt inter illos referri debeant, vulgari tantum nominis appellatione diſcretos, atque Oceano propiores magis fecoces eſſe, vt reuera ſunt, ac viribus, ingenio, *Zelãdi calidi & induſtrij.* ſolertia, verſutijs, calliditate, fallacijs, captionibus, negotiandi peritia, ac conquirendi induſtria, ſuperiores. Quod autem Mattiaci nominentur, *Vnde Zelandi Mattiaci dicti.* non à loco, aut duce aliquo, ſed à populari appellatione, atque vſitato loquendi more enatum eſt, nempe à *Maet*, quæ vox in quotidiano ſermone ac congreſſu familiari, omnium apud nos actionum, contractuum, periculorum, ac totius voluntatis, conſilij, laboris ſocium comitemque ſonat, omniumq; rerũ, quas inter ſe exercẽt, participem ac conſor-

conſortem. Ita omnes gregales, venalicij, conſodales, & quotquot inita ſocietate, fido firmoque animorum conſenſu facultates ac copias ſuas in commune conferunt emolumenti ac quæſtus ſpe, ex nautarum conſuetudine; quorum maxima in ijs regionibus copia, *Maet*, voce gentilitia ac vernacula nominantur, hoc eſt, cõiuncti ac ſociati. In magiſtratu verò, aut dignitate aliqua illuſtri, vel Conſulari vel Senatoria, omniq; munere publico, quęſtura, ædilitate, pupillorum tutela, teſtamentorum procuratione, alijſque functionibus *Veynout* ſeſe vocant etiam, qui apud nos conſulatu funguntur, quod Latinis collegam ſonat. Ex vetuſta itaq; conſuetudine ac vulgato loquendi more, quem inter has gentes obſeruabant Romani, cùm in ijs regionibus verſarentur, illaſque terras ſibi vectigales ac tributarias facerent, aut in ſocietatem ac tutelam Romanæ potentiæ aſſumerent, Mattiacos vocabant: vt qui apud Germanos *Herman* nominatur, Arminium, atque apud Cæſarem in Commentarijs, *Ambachs heeren*, Ambactos. Eo enim nomine deſignant Belgæ illuſtres aliquot viros, penes quos eſt ſumma rerum, atque in coloniæ alicuius ſeu municipij ambitu, vlloque territorio, dominatus. Nam Zelandiæ nomen recens eſt, ac veteribus incognitum, à terra ac mari conflatum, quaſi dicas terram ac ſolum maritimum: mari enim vndique cingitur, multiſque inſulis diſtincta eſt, nempe quindecim, tametſi paucis abhinc annis magnam cladem huic regioni Oceanus intulit, cuius ſæuitia atque immanitate magna Zelandiæ pars, diuulſis ac diſſipatis funditus aggeribus, ſalo oppreſſa eſt, atque mari æquata: ſubſiſtunt tamen inſignes aliquot inſulæ, quarum tres pręcipuę cum Oceani æſtu continenter luctantur, atque immenſis ſumptibus (quod non facilè Principi, aut qui

Collega quo nomine Zelãdis dicitur.

Lib. 4. belli Galli.

Ambacti qui Zelandis.

Zelandia inſulis fæcunda.

qui illius vices obeunt, perſuaderi poteſt) aduerſus barbarum hoc atque indomitum elementum ægrè ſe tuentur. Inter has primùm ex alto in portum delatis ſe offert VVallachria, vel ab eius cultore ſic denominata, vel, vt cõijcio, à Gallis, qui hanc oram frequentabant, qui Belgica voce etiam nunc *VValen* vocantur, impuberes eorum *VVael-gens*. aut ab ea Britanniæ parte, in qua verſus Occidentem conſiſtunt Vualli apud Anglos præcipuè nobilitatis viri, à Gallis etiam oriundi, quod idioma illorum adhuc indicat. Inſula hæc ab ortu Brabantiæ obuerſa eſt, à meridie Flandriæ, ab Aquilone Batauiæ ſiue Hollandiæ, ab occaſu æquinoctiali Britanniæ, in quam breuiſſimus eſt traiectus, & à qua parte primus in Oceanum ingreſſus, quocunque terrarum viſum ſit nauigationis curſum dirigere. Præbet enim Arnemuda Metelliburgi municipium, tutiſſimum omnibus portum, fidamq; nauium ſtationem: nam hic præcipuè claſſis quamlibet numeroſa inſtruitur, in quemcunque Oceani tractum velificatio perficitur. Cùm autem hęc inſula præter fundi aliquot appendices ſerius illi annexas (*Polders* noſtri vocant) octo miliarium ambitum conficiat, vt etiam Scaldia, cui intra cẽtum annos iugerum tria millia auulſa ſunt, cultiſſimis aliquot pagis ac villis diſtincta ſit, tum vnũ habet emporium negotiatorum frequentatione celebre cumprimis ac illuſtre Metelliburgũ à Metello pręcipuæ nobilitatis ac Cõſularis dignitatis apud Romanos viro id nomen, vt plerique opinantur, conſequutum, cùm ego à Burgo, hoc eſt, munito atque eminente caſtro, aut arce rupeque inacceſſa, quale apud Romanos Saxum Tarpeium, denominatum putem, quod in inſulæ huius meditullio, ac velut centro conſiſtat. Quæ loca occupare ſolent, ac pręſidio munire duces præfectique regionum, quò

VValachria vnde dicta. *VValachria ſitus.* *Arnemuda portus.* *Metelliburgũ emporium.* *Quid Germanis* Burgh.

exeditiore loco tanquam è ſublimi ſpecula; ac vel ut in excubijs collocati omnia ſpectarent, atque incurſionibus hoſtium obſiſterent. Hinc enim apud Belgas emerſit Burgimagiſtri & Burgrauij dignitas, quòd penes hos ſit ſumma poteſtas, & loci illius præfectura. Nec tamen diffiteor, quin ad huius Conditorem referri poſſit, à quo tali loco hoc propugnaculũ contra hoſtiles impetus ſit erectum. Diſtat autem à Metelliburgo verſus Africum ſeu Occaſum hibernum, interuallo ſexdecim ſtadiorum, quæ bis mille paſſus conficiunt, aut bina miliaria, Vrbecula exiguo quidem murorum ambitu, ſed arte ac natura munito, qua parte mari obuerſa eſt, quæ ſtrenuis piſcatoribus atque exercitatis naucleris, quos Pilotas vocant, referta, Fliſſinga nominatur, non Vlyſſea ab Vlyſſe, vt quidam nugantur, producta origine, ſed ab vrceo aut lagena potius, quod poculi genus fictile, ſupernè anguſtioris oris eſt, ne imprudẽter liquor effundi poſſit, in medio, diſtento ac capaciore vẽtriculo, qui circa imum gracileſcit, ac ſenſim extenuatur, Belgis *Een Fleſſche* nominata. Cuius imagine, Ciuitatis huius vexilla ac manipuli, quos etiam nauium malis in vertice erectos conſpicimus, inſigniti ſunt. Cùm autem loci huius incolæ ſuauiter ſe poculis reficiant, nec ab ijs etiam abhorreant fœminæ, aliquando in hoc certamine viris robuſtiores, ab amplexu lagenæ, qua ſingulariter afficiuntur, eamq́; identidem exhaurire geſtiunt, nomen hoc conſequuti ſunt, aut idipſum ſibi à potandi conſuetudine aſciuerunt: quæ quidem inter hos inoleuit, non vt inebrientur, ſed inter ſe exhilareſcant, atque animi nebulas diſcutiant. Sunt enim complures in hac regione tetrici, mœſti, ſuperciliosi, melancholici, qui affectus à Brabantis ac Flandris ſunt alieni, vt quos non triſte Saturni ac Martis, ſed lætum & ſalutare

Fliſſinga Ciuitas.

Lagena, quale poculi genus.

Nomen à re inditum Fliſſinga.

Zelãdi cur poculis addicti.

lutare

itare Iouis & Mercurij ſidus informat, eoque fit, t Zelandi, qui percipiunt excutiendas illas animi noleſtias, Geniales eſſe ſtudeant, atque affluentiore potu has animi carnificinas opprimere. Verus ortũ æquinoctialem Scaldiæ oppoſita, abeſt à Metelliburgo pari propemodum diſtantia ac totidem paſſibus Campeueria ciuitas, per anguſto mœnium ambitu, paucis abhinc annis Scotorum frequentatione celebris, nomen id à freto obtinet, quòd ab ea littoris ora in vlteriorem Cãpæ ripam ac ſinum, qui Noertbeuelandiæ annexus eſt, transferri homines ſoleant. Primus enim portus, ac nauium cimbarumque ſtatio, à qua conſcenſa naui aut ſcapha traijcim⁹, *Veer* Belgis dicitur, alijs *Vaert:* Latinè traiectus & tranſuectio. Huic Aquilonem verſus aut ab ortu ſolſtitiali oppoſita eſt Scaldia à præterlabente Scaldæ flumine ſic nominata, quæ cùm multis populoſis pagis ac colonijs diſtincta ſit, plurimas exhibeat ruſticanas villas, pleraque vrbana atque antiquæ nobilitatis prædia ac palatia, vt Haemſtedium, & Reniſſæ affinem Moermondam tum præter Brouerſauiam non ignobile municipium. Ciuitas Zirizæa à conditore nomen ſortita, hanc inſulam præcipuè exornat, quæ anno redempti orbis 849 imperante Lothario primùm in formam ciuitatis ædificari cœpta, ac mœnium ambitu muniri, ex paruis initijs in eũ ſplendorem adaucta eſt, vt nulla clariſſimarum ciuitatum ſit inferior. De qua hoc citra omnẽ ambitionem, aut immodicum erga patriam affectũ, auſim teſtari, plurimis illam viris eruditis, præclariſque ingenijs fœcundam eſſe ac feracem, negotiatoribus prouidis ac ſagacibus refertã, quibus ex re frumentaria ac lectiſſimo tritico, ex niuei candoris ſale, ex rubio ſeu garanſa, ſalſamentorum ac piſcium copia, armentorum pecudumque immenſa vi

Veria ciuitas.

Veria ciuitas vnde dicta.

Scaldia inſula à flumine ſic dicta.

Zirizæa quãdo primũ erecta.

Zirizæi literis afficiuntur.

quæſtus accedit vberrimus. In re familiari ac do-meſtica, omnia elegantia, nitida, expolita: menſa frugalis ac moderata, nec vnquam prodigalitate ſumptuoſa: in mercatura exercenda nemo non ciuium ſolers atque induſtrius, lucri auidus, ad rem attentus, in tenuiores tamen atque inquilinos inopia preſſos liberalis ac beneficus, in cæteros vero hoſpitalis, blandus, comis, affabilis, cādidus, atque abſq; omni ſimulatione ac fucata ſpecie nulli non obuius & expoſitus: in pietate ac Dei cultu religioni quàm ſuperſtitioni propior. Quod vero ad populares ac loci huius indigenas attinet, nuſquā gentium tam dextri, tantaque ſagacitate in odorandis explorandisq; impoſtoribus, captioſis, fraudulentis, ſubdolis, inſidioſis aſſentatoribus, quamlibet ſcitè adulenter, palpent, blandiantur, aures titillent ac ſcalpturiant, adeò, vt non facilè horum technis, fucis, fallacijs, verſutijs decipiantur, ſed illas eueſtigio deprehendant,

Zelandi aſtuti.

Perſ. Sat. 5. ——— *Dinoſcere cauti,*
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ,
Nequa ſubærato mendoſum tinniat auro.

Vt aſſolet ijs, quibus aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum. Ab hac dijudicandi peritia emerſerunt in Belgas aliquot (exhibita aliquando populari Comœdia) hęc vulgata dicteria, dictante morione, nequis offenderetur: Brabantus hilaris, feſtiuus, ridiculus, in ſcenicis Comicisq; moribus immodicus: Flāder mulieroſus, ſalax, intemperans, libidinoſus, petulcus, laſciuus. Hollandus ſimplex, improuidꝰ, incautus, infacetus, iners, ſegnis, ſomniculoſus, ſtolidus ac minimè aſtutus. Zelandus callidus, vafer, verſipellis, aſtutus, ſubdolus, captioſus, verſutus. Qui affectus etiam ingraueſcente ætate ac ſenectute vires concipiunt, ſeſeque efficacius proferunt, niſi domita naturæ propenſione,

Belgarum inferiorū aliquot propenſiones.

nſione, atque inſtitutione aliter condocefacta l meliorem frugem perducatur. Siquidem infi- æ plebis iſta ſunt vitia, ac gentilitij mores, non itriciorum, aut virorum illuſtrium, qui liberali- r educātur. Cùm autem omni nationi ſui adſint fectus ac vitia, mores, propenſiones, ſtudia, hoc ſt, inſtituta, quibus ſe quiſque applicare ſolet, tum uic quoque genti, à qua nihil humani alienum, on deſunt genuini inſitiq́ue affectus, ad quos na- uræ inclinat one feruntur, partim ex circumfuſo ere, qui manifeſtò corpora afficit; partim, vt ali- nenta prætercam, ex parentum natura, auitiſque noribus, ac vulgari vitæ conſuetudine, quæ ali- quando ita inoleu t, ac menti infixa eſt, vt vix exi- ni queat: quò fit (ſi patricios demas, qui nuſquā non cultu ac doctrina expoliti ſunt) vt gregaria ac promiſcua multitudo paſſim inhumana ſit, rudis, agreſtis, ferox, crudelis, indomita, atque à ciuili vi- tæ conſuetudine aliena, quaſcunque etiam natio- nes excutias. Verùm quò inueteratus error, ac de- prauati mores, qui ab incunabulis ac prima infan- tia inoleſcere animis noſtris incipiunt, ita vt eos velut cum lacte nutricis ſuxiſſe videamur, exima- tur: progenitorum munus ac officium eſt (quod noſtrates nunc ſedulo præſtare enituntur) vt ex ſe prognati liberaliter inſtituantur, eumq́ue animo cultum ac fomenta adhibere curent, vt exuta na- tiua inſitaq́ue feritate, ad omnia humanitatis offi- cia inclinentur. Vt enim ſilueſtres arbores cura at- que induſtria hominum miteſcunt: immanes bel- luæ officio ac molli tractatione manſueſcunt ac cicurantur: ita quoque humanus animus nō prorſus ferreus aut adamantinus flecti poteſt, atque ad artes humaniores, ad probitatem, decus, virtutem, pietatem, religionem informari. Quæ res effecit apud nos, vt piſcatores gēs rudis ac pelago aſſueta;

Mores gentilitij plebi peculiares.

Omnis natio ſuis vitijs imbuta.

Patriciorū conditio diuerſa à plebeia.

Infantia à maioribus inſtituēda.

Simile à feris & arboribus ſilueſtribus.

Zirizæa piſcatoribꝰ fœcunda.

quorum apud Zirizæos ſupra quingentos eſſe cõſtat, præter hos, qui nondum ſatis adulti, in huius negotij tirocinio verſantur, paulò poſt in nautas ac veteranos aſſumendi, ea ſint morum ac vitæ integritate, vt nunquam inter illos vllæ contentiones, iurgia, ſimultates, diſſidia exoriantur, nec vnquam inter ſe lites conſectentur, aut iure cum æqualibus contendant, ita vt magiſtratus nunquam niſi in vrgentiſſimis cauſis ſe horum controuerſijs interponat, ſed omnes inter ſeſe coactis comitijs dirimũt ac conſopiunt. Nullum inter ſuos gregales tolerant mendicum, ac probro ducunt, ſi quis ex conſociatis oſtiatim ſtipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur: quin ipſa piſcatoria ſocietas, & qui inter illos eſt primarius, quem Decanum vocant, ſingulis, quibus res domi anguſta eſt & cõtractior quam vt familiam alant ac ſuſtentent, ex communi ærario ſuum dimenſum conſtituit, ita vt non deſit, quo famem frugaliter ac liberaliter ſolentur. Cùm autem tam numeroſa multitudo piſcatu ſe exerceat, ac paulò longius in Oceanum progreſſa, victum in mari venetur, ſi quando parcè ac malignè piſcari contingat, nullus vnquam horum ſe vexat aut excruciat, nec cuiquam malè precatur, ſed omnia placidè ac ſedatè perfert meliorum ſpe atque fiducia. Iſta autem animi moderatio in hominibus tam incultis, non præſcriptis legibus, aut ſapientum doctrina, mentibus illorum impreſſa eſt, ſed inſtinctu ductuque naturæ, ac rationis iudicio concepta, quo diſcernunt, quæ honeſtati ac decoro deſeruiunt, quæque illi ſunt aduerſa. Cæterùm vt ad Scaldem recurrat oratio, Fluuius hic in Veromanduis vetuſto adhuc nomine cognitus, geminis fontibus progreſſus, per Neruios, nunc Tornacos, per Gandauum vrbem celeberrimam, quæ mihi prima tirocinij rudimenta contulit

Nautarũ apud Zirizæos vita conditio.

Piſcatorũ apud Belgas affectuum moderatio.

Ductus naturæ quid efficiat.

Scaldis fluuij origo et decurſus.

Gandauũ ſtudiorum alumna.

tulit

alit, reliquoſque Flandriæ tractus diffunditur, ac mox Antuerpiam delatus, vrbis mœnia alluit, portumque inibi inſignem, ac clariſſimam nauium ſtationem exteris exhibet, deinde paulò longius progreſſus, bipartito curſu Brabantiam ac Flandriam à Zelandia diſcriminat, ſiquidem ſiniſtra in Auſtrum contortus ac deflexus, Flandriæ oras ac littora perſequitur, alioque nomine inſignitus, de Honte à latratu ac fremitu vocatur, quo per Zuytbeuelandiam ac Vualachriam in Oceanum occidentalem patet aditus, ac rurſus in has oras acceſſus: dextra verò relictis Brabantiæ finibus continuato curſu, ſeruatoque veteri alueo per Scaldiæ inſulæ littora violento vaſtoque gurgite in Oceanum deuoluitur, atque ex vetuſta appellatione Scaldis nominatur, Belgis vſitato nomine *Schelt*, Gallicè *le Scault*, vnde inſula hæc Scaldia denominata, vulgò *Schouwe*. Cuius fluuij præcipuum alueum, profundumq; gurgitem (*Canael* nautæ vocant) quem naues conſectari debent, ne vadis inhæreant, ac ſiſti contingat, etiam hac tempeſtate indigenæ exactiſſimè exploratum habent, ſuoq; illum nomine deſignant, commonſtrato loco, à quo ante multos annos Oceani oſtia ſubire ſolet, ac fluctibus marinis immergi, ita vt ne intempeſta quidem nocte, noſtrates nautæ ab hoc deflectant, aut in diuerſum rapiantur, vt aliquando vſuuenire ſolet velificandi imperitis, inſigni mercium ac vectorũ detrimento. Exaudiuntur autem hiſce locis fragores ac ſtrepitus horrendi vel ſubſidente in imum fluctu, vel vbi rurſus æſtus aduentare incipit, ac ventorum violentia exaſperatus Oceanus fluuio obnititur, quod ipſum potiſſimè vſuuenire ſolet, vbi poſt Aquilones, Auſtrini flatus ingruunt, ita vt accolæ percepto pluſquã miliaris interuallo Oceani ac Scaldæ fremitu, tempe-

Antuerpiã Scaldis exornat.

Scaldis per Flandriam decurſus, cur de Honte dicitur.

Cæſar li.6. Comment.

Ziriz ai exercitati nautæ.

Scaldæ fremitus, quã do tempeſtatem denuntiat.

tempeſtatem imminere ante triduū pronuntient, cùm autem anguſtiora olim eſſent Oceani oſtia, minuſq; vaſti ac patentes in continentem aditus, conſpectius in mare Scaldis ferebatur, ſiquidem incrudeſcente quotannis æſtu marino, oſtia, fauceſque dilatari contingat, ac ſinus laxiores effici, vt guloſis aſſolet, qui immodico potu ſe proluūt, quò fit, vt flumen hoc affluentiori ſalo obruatur, nec facilè decurſus eius, quo in Oceanum effunditur, conſpici queat. Non deſunt, qui nominis affinitate decepti, eam ſpeciem Aſelli piſcis, qui mihi aliquando Plinij viſus eſt Callarias, ex hoc fluuio nomen obtinere credant, atque à *Schelt*, *Sceluiſch* denominari, quòd in Oceani oſtijs, in quæ flumen hoc ſe exonerat, vel hamo vel retibus ſubducatur: cùm à ſquamis potius, vulgò *Scellen* (nam *Scelpen* teſtaceis attribuuntur, non piſcibus) appellatū cenſeam, quibus denſius contectus obductuſque eſt, ac velut lorica munitus: eoque fit, vt, cùm elixandus eſt, (nam torreri recuſat) cultro deradi debeat ac deſquamari, ſecus quàm Aſellus, vulgò *Cabbeltau*, læuore perpolitus, cuteque molli nec ſquamoſa, nec etiam in ipſis Oceani faucibus, quas influit, capitur, ſed in alto longeque remoto mari. Tametſi non ignorem, pelagios aliquot piſces aliquando fluminis oſtia ſubire, dulcis aquæ illecebra, qua mirè pingueſcunt, vt Salmones, qui ex Britannico Scoticoq; ſinu, aduerſo amne in Rhenum ac Moſam penetrant, vt etiam Triſſæ, aloſæ, lacciæ, vulgò *Elft*. mugiles, Harder, acipenſer vel ſturio. Anguillæ verò contra quam marini piſces, ſalſam aquam appetunt, qua guſtata mirè agiles efficiuntur, minuſque lubrici, atque eſui ſalubriores, quò fit, vt circa Catarhactas (noſtri *Sluſen* vocant à claudendo) quæ apertis valuis aquam, qua hibernis menſibus agri opprimuntur, violento impetu in mare profun-

Simile à guloſis, quibus fauces dilatātur.

Sceluiſch *piſcis vnde denominetur.*

Aſellus piſcis, Cabbeltiau.

Anguillæ ſalſa aqua delectātur.

profundunt, inuſitatæ magnitudinis anguillæ naſ- *Conrardus*
ſis ac ſagenis eximantur: verùm de his aliquando *Geſnerus*
vberius, vbi Conrardo Geſnero viro cumprimis e- *laudatus.*
rudito paria fecerim, atque hoſtimenti loco Com-
pendium de piſcium triuialibus nomenclaturis il-
li dedicatum abſoluero. Cæterùm flumen hoc
qua parte Scaldiæ oras attingit, atq; hinc in Ocea-
num illabitur, Orientales regionis huius inſulas ab
Occidentalibus diſcriminat, quarum quæ ad Or-
tum ſpectant, *Beoeſterſchelt* indigenis vocantur:
quæ verò Auſtro ac Flandriæ obuerſæ ſunt, *BeWe-
ſterſchelt*, quaſi ſuperiorem ac inferiorem, aut ci-
teriorem atque vlteriorem dicas, quorum alij cis
Scaldam, alij trans Scaldam conſiſtunt. Deſignan- *Zelãdia in*
tur autem his nominibus duæ inſignes Quæſturę, *duas quæ-*
quibus prætoria etiam dignitas, ac Dictaturæ po- *ſturas diui*
teſtas attributa eſt, ſic vt harum præfectis ius ac fas *ſa.*
ſit tota paſſim regione (præter ciuitatum muni-
cipia, quæ conſulum tutelæ ac præſidio ſubſunt)
Regio dominatu facinoroſos coercere, vagos ac
palantes corripere, nebulones ac mẽdicos validos,
ſicarios, oppreſſores in vincula conijcere, ac tor-
mentis exploratos in iudicio capitis arceſſere, quo
omnia paſſim quieta ſint & pacata, & nequis iter
ingreſſus, aliquid hoſtile metuat. Obiuit hoc mu-
nus multis annis inculpatè, eoque præclarè ac ma-
gna laude functus eſt nullius offenſione Illuſt. vir
Hieron. à Seroskerka, Equeſtris ordinis Heros, *Hieron. à*
multiſque alijs nominibus ſuſpiciendus. Adauget *Seroſkerka.*
verò ſoceri decus & amplitudinem pari generis
ſplendore ac nobilitate magnificus vir Iudocus à *Iudocus à*
Vueruia, rei agrariæ in inſulæ noſtræ ambitu præ- *Vueruia.*
fectus non ſine maxima ampliſſimarum dignita-
tum expectatione. Excitauit elapſis aliquot retro
ſæculis fluuij hic decurſus inter Zelandos, qui in
eodem ſunt cum Batauis comitatu, & Flandros,

acerrimas contentiones ac cruentas pugnas. Appellat autem atque veneratur vtraque natio ſuos Principes Comitis nomine, adiectis aliquot ſpecioſis titulis: qui Dominatus hinc emerſit, quòd præcipuæ nobilitatis viri Imperatores ac Cæſares in adeundis periculis comitarentur, ſuamque operam ſedulò illis præſtarent, vulgò *Grauen*. Quę poteſtas ac nominis amplitudo Iuſtiniani tempore primùm inoleuit, eamque appellationem conſecuta eſt. Deinde ſub Berengario & Otthone competitoribus ad poſteros deriuata, proximum apud Imperatorem conſeſſum ac comitatum obtinuit. Anno autem Domini 863. imperante Carolo Caluo, apud Batauos illiſq; affines Zelandos hic principatus primùm conſtitui cœpit, ac Comitatus nomine deſignari, primuſque Comitis nomine inauguratus Theodoricus filius Sigisberti principis Aquitanię, qui annos octo & triginta in eo dominatu verſatus, ſucceſſorem Theodoricum ſecundum herilem filium cõſtituit, à quo ad noſtra vſq; tempora hæc Regia poteſtas longa heroum ſerie ad inuictiſſimum Hiſpaniarum Regem Philippum deuoluta Comitatus nomine cenſetur, eiuſq; prouinciæ principes Comites appellãtur. Sic qui apud Brabantos ac pleroſque alios poteſtate regia exiſtunt, Duces vocantur, à deducendo in hoſtilem agrum exercitu, vulgò *Hertoghen*, quaſi dicas, exercitus ductores. Cùm autem Flandriæ Comes Guido Dampetra proferendæ ditionis eſſet auidus, ad occupandas aliquot Zelandiæ inſulas animum induxit: itaque primò Vualachriam ſibi ſubijcere, ac vectigalem facere meditatur, inductoq; in hanc ditionem exercitu (nam facillimus erat traiectus) illam incurſionibus, incendio, igni, ferro depopulatur ac vaſtat, tandem Metelliburgum obſidet, ac per ſecialem, *Harault* noſtri vocant) ad deditionem

Comites vnde dicti.

Duces vnde nomen ſortiti.

Guido Dãpetra Flandriæ comes.

Metelliburgum expugnatur.

nem ſolicitat, cùm in id non admodum paratos promptoſque ſentit ciuium animos, admotis arietibus, factoque vno aut altero inſultu ciuitatem expugnat. Gulielmus Batauorum ac Zelandiæ Comes eius nominis tertius, cùm ciuitati ſubſidium adfert, Zirizæis ſtipatus, quibus maximè fidebat, duobus vno die prælijs victus, ſanguine madidis vexillis (vnde emerſerunt Zirizææ ciuitatis inſignia ſanguinolento colore perfuſa) Zirizæam, qua nulla tunc munitior, aut Principi magis deuota, properè contendit. Guido victoria elatus, relicto intra Metelliburgum præſidio, in Zirizæos omne belli robur conuertit, quos dum ſeſquimenſem obſidione premit, maximis damnis afficitur. Siquidem oppidani continua eruptione, magnam ſtragem Flandris intulerunt, multoſque captiuos in ciuitatem adduxerunt, tandem impetratis vtriuſque conſenſu inducijs, conceſſaque ſex hebdomadis belli mora, Guido in Batauos expeditionem molitur. Elapſis inducijs, Zirizæi collecto milite, inſtructaque claſſe in Vualachriam confeſtim traijciunt, cæſiſque ac profligatis Flandris, ciuitatem in poteſtatem redigunt, ac perexiguo accepto incommodo, in ſedes ſuas ſe recipiunt. Princeps Batauorum ac Zelandorum Guilielmus eius nominis tertius, percepta tam inſigni victoria, ciuitatem Zirizæam maximis honoribus afficit, multiſque priuilegijs, congiarijs, donatiuis muneribus exornat. Guido verò Flandriæ Comes re apud Batauos malè geſta, acceptoque vulnere in Zelandiam ſecedit, deinde paululum recreatus, ad oppugnandos Zirizæos, à quibus ereptum Metelliburgum indignatur, animum intendit. Itaque coacto numeroſo exercitu, tametſi vltra ſeſquimenſem bis ab hac eſſet repulſus, atque infecta re decedere ſit coactus, rurſus illos laceſſit,

Vexilla Zirizæa cur rubra.

Zirizæi Metelliburgum expugnatũ Comiti reſtituunt.

Zirizæis virtute parta priuilegia.

laceſſit, atque arctiſſima obſidione preſſos continenter oppugnare non deſinit Cùm autem oppidani in extremis eſſent conſtituti, atque in ſumma difficultate, in maxima rerum inopia verſarētur, nullis tamen vel blandimentis, vel minis ad deditionem impelli potuerunt, tametſi iam ſeptimum menſem præter incendia atque immiſſas in ciuitatem faces, omni tormētorum genere, arietibus, catapultis, teſtudinibus, fundis, balliſtis, alijſque machinis, quarum illo ſæculo frequens vſus, terra mariq́ue oppugnarentur. Cùm itaque in anguſto res eſſent conſtitutæ, omniq́ue præſidio deſtituta ciuitas, opportunè Rex Galliarum Philippus cognomento Pulcher nulla interpoſita cunctatione, ſine mora Ioannem Payderoſum ducē præfectumque maris, ac Reginerium Grimaldum Genuenſem inſtructa claſſe, atque adornatis aliquot longis nauibus, quæ quòd remis frequētius, quàm velis incitantur, triremes vocantur, Zirizæam amandat, vtque obſeſſis ſubſidio adſint, ac maturè ſubueniant, cohortatur: illi nihil cunctati Regis mandato obſequuntur, omniaq́ue eueſtigio perficiūt, quos vbi in excubijs conſtituti, è ſublimi atque eminente ſpecula, à qua in mari latiſſimus proſpectus, aduentare, nec procul abeſſe denuntiant, confeſtim Guilielmus Batauiæ ac Zelandiæ princeps, Regis ſororius, conſpecta primùm naue prætoria, deinde numeroſa longo agmine claſſe, quas ipſe in eum vſum inſtruxerat naues, illis adiunxit, collatiſq́ue copijs atque vnita claſſe Flandros adoriri atque opprimere ſtatuunt, oppidanis etiam re inſperata in ſpem victoriæ erectis, qui redintegratis viribus longa obſidione attritis, rurſum in hoſtem animantur. Cùm autem ſtat in procinctu acies, ac claſſis omnibus armamentis accuratè inſtructa in hoſtem incitanda, è ſtatione moueri incipit: Flandri(vt

Francorũ rex Ziri-zæos ſubleuat.

Triremes, vulgò gal-leyen.

dri (vt nulli deſunt aſtus militares ac ſtratagemata) nauem quandam ſarmentis, faſcibus, ſcandulis, ſtramentis, ſtipulis, alioque fomite atq; aridis nutrimentis, quæ citò flammam concipiunt, conſtratam, oleo, pice, ſulphure, ſeuo, adipe perfundunt, eamque accenſam æſtu ac vento ſecundo in aduerſam claſſem dirigunt. Cùm autem nauis flammis coruſca hinc inde hęreret, ac ſubinde vadis implicita lentè progrederetur, ita vt Oceanus propemodũ in ſummo conſiſteret, ac iamiam refluxum meditaretur: ecce de repente (quod ſingulari Dei prouidentia factum credi par eſt) ventus mutata ſtatione in Aquilonem impellitur, ac remeãte maris fluxu flammifera nauis retorta, Flandrorum claſſem inuadit, omniq; ex parte incendia miſcet: complures, ne flãmis abſumerentur ac concremarent, in mare deſiliũt, ac periculum periculo commutant, vitamque natandi peritia redimunt. Turbatis hac clade Flandrorum rebus, noſtrates remis veliſque in illos irruũt. Illi nihilo facti ſegniores, reſtincto, qua licet, incendio, reliquas naues flammis intactas, omneque exercitus robur acriter hoſti opponunt. Certatum eſt initio ancipiti dubioq; Marte à meridie ad emergentem vſque Solem, ita vt ne nox quidem, quæ ea parte anni, nempe Idibus Auguſti ſubluſtris eſt, prælium dirimeret. Noſtrates æquo loco conſtituti, ventoque ab ijs auerſo ac ſubſidente Oceano, igni, ferro, faculis, accenſiſque ſarmentis ac ſudibus hoſtibus terrorem incutiunt, multoſque ardentes globos ac faces in hoſtium naues ijs comburendis prouoluunt. Interim oppidani reſeratis portis factaque eruptione maximam illis cladem inferunt, ac Flandrorum impetus in noſtros retunduntac reprimunt, mulierculis etiam in hoſtem ita efferatis, vt non minus fortiter & animosè, quàm viri ſe illis opponerent.

Nauale prælium.

Flãdrorum virtus.

Tantus

Tantus in eo conflictu fragor, ſtrepitus, clamor, vociferatio, vlulatus fuiſſe perhibetur, vt plerique teſtati ſint, pluſquam trium miliarium interuallo, horrendos illos clamores fuiſſe exauditos. Quod nemini ſupra fidem videri debet, cùm in mari editus ſonus, aut excitatus fremitus incredibili diſtantia percipiatur, præſertim tacita ſilenteque nocte. Cùm enim nihil obſtet, vel nemora, vel montes, vel in cœlum erecti ſcopuli: clangor per æquoris planiciem, velut patentem atque vndique exporrectum campum, longè lateque ſe diffundit, ac per aera voluitur. Cùm autem tota nocte miſeranda ſtrages, ac cædes horribilis ſit edita: diluculo rebus deſperatis, victi fuſique Flandri in hoſtium poteſtatem rediguntur. Deſiderati in ea pugna Flandrorum octo plus minus milia, capti præter gregarios milites, quorum non facilè numerus iniri poteſt, Guido Dampetra Flandriæ Princeps, ac cum illo innumeri proceres Aulici: direpta ſigna militaria, pelles, tentoria, manubiæ, multaque opima ſpolia atque exuuiæ cum Principe ac captiuis in ciuitatem relata ſunt. Tota autem claſſis illis numeroſa erat, ſuiſque armamentis affabrè inſtructa, vel quaſſata & conuulſa, vel incendio abſumpta: reliqua in hoſtium poteſtatem redacta. Hac itaq; memorabili clade afflicti Flandri de componendis rebus, captiuiſque redimendis conſilia ineunt, quę documento Principibus eſſe debent, qui alienę ditionis ſunt auidi, ac finitimorum poſſeſſioni inhiant, non tentandas bello vicinas regiones, vbi nulla ſubeſt legitima cauſa, aut iuſta belli origo: quæ etiam ſi exiſtat, præſtat omnia potius experiri, nullaſq; non conditiones pacis admittere, quàm arma in manus arripere. Cæterùm ſoluta iam ciuitatis Zirizææ obſidione, confectoque bello, quod euenit anno Domini 1303. Idibus Auguſti, qui

Nocte omnia latè exaudiri.

In mari ſonitus lōgiſſime exauditur.

Guido Flādrorū Comes capt⁹.

Nō temerè ſuſcipiendū bellum.

Non inuadendas aliorum ditiones.

qui dies erat Laurentio ſacer, ne parta ex tam atroci ac cruento bello victoria annorum decurſu obliuione obrueretur, aut ciuium animis excideret, decretæ ſunt ſolennes, atque anniuerſariæ ſupplicationes Deo immortali, eaſque Senatus quotannis eodem, quo hæc peracta ſunt, die, ac periculo exempta ciuitas, in ſempiternam rei memoriam continuari voluit, quod à poſteris nunquam intermiſſum eſt: Quin & impuberes, qui ſcholas publicas frequentant, atque in palæſtra literaria verſantur, hunc diem feſtum habent, ac feriantur permiſſa ijs ludendi licentia: ita rei geſtæ recordatio poſteritati tanquam per manus traditur: quò cuique ciuium innoteſcat, mentiq́ue fixius inhæreat, in quanta anguſtia, vitæq́ue diſcrimine verſati ſint olim progenitores, cùm pro aris & focis, pro coniuge ac charis liberis acerrimè decertant, ſuoq́ue Principi ſtrenuam fidamq́ue operam præſtare conantur. Interim hanc præcipuè doctrinam exhibet poſteris, eoſq́ue commonefacit rei huius annua continuatio, vt rebus afflictis ac deſperatis, ad Deum optimum maximum mentem erigant, atque ab eo ſalutem, patriam obſidione liberam, proſperos rerum ſucceſſus, victoriam incruentam ſummis votis exoptent: quod vnicè factitaſſe legimus Abrahamū, Moſen, Dauidē, Ezechiam, Iudith, compluresq́ue alios, qui huiuſmodi præſidijs victoriam ſunt conſequuti. Cæterùm cùm Schaldia, in eaq́ue ſita Zirizæa frequentius ab exteris laceſſita ſit, ac bellis quaſſata, tum inſularum nulla minus Suytbeuelandia, quæ à ſolo Auſtro oppoſito ſic denominata eſt ſpatioſiſſimo amœniſſimoq́ue verſus Flandriæ ac Brabantiæ oras tractu exporrecta, tametſi paucis abhinc annis maximam iacturam paſſa, dimidio iam ſit anguſtior. Ab hac auulſa eſt ciuitas non ignobilis

Aduerſa quæ accide runt, aliquando animo repetenda.

Süytbeuelandia inſula vnde dicta.

Romerſualla ciuitas. Romerſualla, quam nullis excultā agris, nullis exornatam pomærijs, Oceanus vndiq; alluit, ita vt vnica ſalis negotiatione ſubſiſtat. In Occidentali verò inſulæ parte ſita eſt Gœſa ciuitas, perexigua quidem murorum ambitu, at ſplendidè atque affabrè extructa, ciuibus morum ciuilitate perpolitis. Eſt præter hanc inſula quædam Brabantię conterminа, exiguo tantum freto diſcreta, in qua conſiſtit Toletum à vectigali & portorijs ita appellatum, vetuſtum oppidulum: à quo non procul abeſt Martinianus agger, Principis Auraſienſis municipium, locus amœnus atque arboribus vndique conſitus, in quibus maxima alitum, præſertim ardearum copia nidulatur. Sunt præterea minutę aliquot inſulæ, minuſque celebres, vt Duuelandia à columbarum frequentia ſic denominata, Gœreda à fida nauium ſtatione, Plateſſa, tum pleræq; aliæ non ita pridem ex mari vindicatæ, quarum deſcriptionibus inhęrere ſuperuacaneum puto, cùm edita nuper Zelādiæ Topographia ſingula exactè exhibeat, quę ſpectator curioſus per otium oculis poterit dimetiri. Quod verò ad gētis huius originem ſpectat, conſtans fama eſt, atque indigenis per manus tradita, à Gothis ac Danis hāc profluxiſſe, præſertim ab illa inſula Cimbrica, quæ in Dania Zelandiæ nomine inſcripta eſt, in qua ſpectatur celeberrimum Emporiū Hafnia, vulgari nomine *Coopmanſhauen*, à portu negotiatoribus frequentato, qui hanc terram cultoribus vacuam, oppoſitis erectiſque aggerum molibus in inſulas redegerunt, atque extructis primùm caſis, minutiſque atque anguſtis tugurijs, ſementi ac paſcuis reddidere idoneam. Erat enim Cæſaris ætate, magna terræ huius pars, quæ non aliud, quàm Batauiæ appendix eſt, inculta, nec vnquam ad ſerendi vſum vomere proſciſſa, aut foſſione ſubacta, ſed æſtuarijs ac paludibus

Gœſa ciuitas.

Toletū Zelandiæ ciuitas.

Martiniana ciuitas.

Zelandorū origo.

Zelandia apud Danos.

Hafnia, Coopmāſchauen.

Zelandia Batauiæ appendix.

ludibus

udibus impedita, ita vt etiam nũc Hollandia plu-
rimos vndiq; lacus exhibeat, adeò vt pedeſtria paſ-
ſim itinera illis conciſa, cymbis omnia tranſigen-
da ſint: quod ipſum etiam Zelandis vſuuenit in æſtuarijs, quæ nihil aliud ſunt, quàm loca extra intraq; littora marinis fluctibus expoſita. Siquidem effuſo in ipſa mediterranea ſalo, aquam affluenter concipiunt, ita vt hibernis menſibus omnia inuia ſint, nec niſi ſcaphis ea loca adiri queant. Quod vero ſolum extra aggeres ad maris vſque crepidines atque extremás oras multis iugeribus longè lateq; exporrigitur, ex alluuione coaceruatum, crebris fluctibus æſtuque tunditur, ac nonnunquam extumeſcente Oceano, vt aſſolet Luna vel plena, vel primùm inchoata, fluctibus obruitur: ſubſidente verò, rurſus emergit, ita vt loca paulò editiora, & quæ eminent, ſuauiſſimo pabulo pecudes reficiãt. In huiuſmodi receptacula ſe olim conferre ſolent impuberes ac mulieres, omniſque ætas ad bellum inidonea, vbi Romani Belgicam incurſionibus infeſtarent. erat enim tutiſſimum ibi perfugium, quòd aditus acceſſuſque eſſet difficilis. Sunt enim ea loca, quæ noſtri *Stellen*, vel potius *Stallen*, hoc eſt, caulas ac pecorum ſtábula vocãt, noſtro etiam tempore multis incuruis voraginibus, ac verticoſis foſſis, per quas Oceani æſtus voluitur, (noſtrates *Creken* vocant) impedita adeò, vt equitem armatum, ſi imprudenter atque incautè in illas inciderit, abſorberi atque obrui contingat, quò fit, vt loci huius viæq; ignaris iſtac penetrare pernicioſum ſit. Sunt autem multis Zelandiæ locis herbidæ planicies, ac viridantia floridaque prata nullis cincta aggeribus, quarum vſus in ijs regionibus nũquam defuturus eſt: cùm quæ à parte vna abradi auellique contingit, alteri alluuione adijciantur, ita vt nunquam extruendarum inſularum materia huic

Aeſtuaria quid.

Aeſtuaria in bello Belgarum perfugia.

Voragines Zelandicæ, vulgò Creken.

regioni deeſſe poſſit. Horum quædam à virent gramine ac læta pabulatione *Garſen* indigenę vocant: quæ verò parcius gramine vireſcunt, nec vberem adhuc pabuli copiam ſuppeditant, à paſcendo vellendoque *Scorren* vocant. Ex his vbi aliquot iugerum millia conglobari contingit, inſulas efficere noſtrates tentant, ac cùm vetuſtæ tum recentiores ope humana ex ijs rudimentis coagmentatæ ſunt ac coaluerunt. Multi olim ſoli huius vbertate, atque agrorum ſpecie illecti, expulſis veteribus colonis atque inquilinis, terram hanc inuaſerunt, eiuſque poſſeſſionem armis ſibi vendicârunt. Non defuerunt atauorum memoria, qui Batauis ac Zelandis infeſti, has inſulas in ſuam ditionem ac poteſtatem redigere ſunt aggreſſi, ſed duæ iſtæ nationes inter ſe conſociatæ, ſemper hoſtibus fortiter reſtiterunt, quo fit, vt ad hanc vſque ætatem vtraque gens eodem vtatur dominatu, eiſdem legibus, eadem iuris æquitate, eodem ſit in hoſtes animo. Fuiſſe hanc gentem, quæ Zelandiæ nomine inſignita eſt, Batauis confinem ac proximam, eiuſque regionis partem atque appendicem, ex C. Cæſare præter alia, ijs verbis colligi poteſt: Moſa ex monte Voſeuo profluit, ac parte quadam Rheni recepta, inſulam efficit Batauorum, neque lōgius ab eo milibus paſſuum in Oceanum influit. Rhenus autem ex Lepontijs, qui Alpes incolunt, oritur, ac longo ſpatio citatus fertur, atque vbi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multiſq; ingētibus inſulis effectis in Oceanum influit, quarum pars magna à feris barbariſque nationibus incolitur, quæ piſcibus & ouis auiū viuere exiſtimantur, à quibus Rhenus multis capitibus in Oceanū influit. Quibus verbis mihi graphicè deſcribere videtur Batauos Oceano Septentrionali viciniores, tum illis conterminos Mattiacos, ſeu Zelandos, quorum

Bataui Zelandis conſociati.

Com. belli Gallici 4.

Moſæ origo.

Rheni origo & decurſus.

quorum inſulas & qui in Occidentali Belgica eadem ſunt cum ijs conditione ac natura, paulo poſt his verbis deſignat: Pars in ſiluas, pars in continentes paludes profugit: qui proximi Oceano erant, hi in inſulis ſe occultauerunt, quas æſtus efficere conſueuerunt: quæ reuera nullæ aliæ ſunt, quàm Zelandicæ. Quotquot enim ſunt in Belgico Oceano circumfuſæ inſulæ, tali modo conflatæ congeſtæq; ſunt, ita vt primùm natura conſiſtant: deinde arte muniantur, ac paulatim cultura atque induſtria hominum in fructiferos fundos ac ſpecioſos agros, cultaque noualia redigantur. Ea eſt autem apud nos rerum viciſſitudo, vt minimo annorum decurſu ac temporis interuallo magna incrementa hæc regio ſuſcipiat, rurſus maximam iacturam ac detrimēta patiatur, nec vlla res vices rerum humanarum, aut varios inſtabileſque motus melius commōſtrat, quàm Zelandiæ inſulæ; quarum proſperi ſucceſſus ac res ſecundæ æſtuario fluxu & refluxu nunc huc, nunc illuc voluuntur. Nulla eſt apud vllas nationes annona, aut res frumentaria etiam lectiſſimi tritici vberior, ita vt bina iugera Zelandica plus emolumenti, cultori ac colono adferant, quàm quatuor Brabantica, minus tamen tuta eſt fidaque apud nos huius rei poſſeſſio: cùm ſingulis momentis, præſertim hibernis menſibus, flante Coro & Circio, ex maris ſæuitia periculum immineat. Vnde enatum Prouerbiū ab ijs, qui optimè rebus ſuis conſultū cupiunt, atq; ijs tutò frui exoptāt, laudari Brabantici aeris clementiā ac ſoli ſtabilitatem; Zelandici verò fundi reditus atque annonæ prouentū: quod ita efferunt vulgari ſermone, *Brabantſche lucht, Zeeuſche renten*. Noſtra ſiquidem & auorum memoria cētum plus minus iugerum millia in inſulæ formam redacta, atque aggeribus vndiq; cincta, diſſipatis, conuulſiſq;

Com. lib. 6.

Zelandia mutationi obnoxia.

Prouerbiū Belgicum de Brabantia & Zelandia.

in immenſum congeſtis molibus inundante Oceano non ſine maximo incolarum interitu, ſalo oppreſſa ſunt. Rurſus indigenæ erectis nouis inſulis, quod noſtrates crebrò factitant, vbi herbidi ac graminoſi cámpi ſe proferunt, ſementi ac culturæ ſedulò inſiſtunt, ita vt paucorum annorum ſpatio affluenti omnium rerum copia, ſupra quam cred. poſſit, ditentur. Sic apud Zelandos inſultibus marinis continenter expoſitos, nihil ſtabile, firmum diuturnum, & cui tutò poſſes fidere aut inniti. Siquidem loca portuoſa, quæ nauibus fidam tutamque ſtationem olim præbuerunt, vadoſa efficiuntur, ac vel arena vel limo oppleta, ne minima quidem nauigia admittunt. Rurſus littora nullis portubus diſtincta, nulliſque nauibus frequentata, facta eluuione commodiſſimos portus conſequuntur, facileſque aditus atque acceſſus nauibus exhibent: quò fit, vt negotiatio hominumque concurſus & frequētia non vni loco perpetuò ſit addicta, ſed aliquando ob portus commoditatem, ac loci ſitum aliò demigret ac trāsferatur. Sic Zirizça, noſtra etiam memoria, numeroſa claſſe inſtructa, nō ſolū onerarijs nauibus, ſed roſtratis, & quæ ex Homeri appellatione, Holcades voce Belgis vſitata, nominantur; præter Hiſpaniarum ac Mauritaniæ oras, longinquas verſus Aquilonem regiones frequētabat, nempe Noruegiam, Daniam, Riualiam, Rigam, Gedanum, vulgò *Danſyc*, Stocholmiam illuſtriſſimi Suetiæ regis ERICI auſpicijs nunc celebrem: quæ nauigatio, vt ſunt vices rerum humanarum, Hamſterodamū modò tranſlata eſt. Quanquam ciuitas Zirizæa rebus omnibus ad commoditatem atque vſum vitę neceſſarijs, cumulatè fruitur, non minus affluenter, quàm cùm exteris negotiatoribus eſſet celebris, ac commeantium vltrò citroque multitudine frequentata; ſiquidem extero-

Magna apud Zelandos rerum viciſſitudo.

Holcas genus nauigij vaſtum, vulgò Hulck.

Holmia Suetiæ regia.

exterorum hominum concurſus, nundinatio, mercatus, locorum celebritas, aliquādo improuiſo dilabuntur ac concidunt, vel exorto hoſtili externoque bello, vel concitato populari tumultu, aut ciuium ſeditione: confeſtim enim quotquot alieni ſunt ab eo loco, ſe ſubducunt, atque incolumitati ſuæ conſulunt. At ea negotiatio, quæ excluſo omni fœnore inter ciues & domeſticos perficitur, facto etiam ab exteris vel inquilinis cōpendio, quæſtuque liberali, ſtabilis eſt, firma, ſolida, minuſque inuidiæ expoſita. Quod ſi aliundè calamitas ingruat, cùm ciues & domeſtici, intrepidè infractoq; animo ſubſiſtunt, nec facilè patrias ſedes, aras, focos, coniugem, charoſque liberos deſertos patiuntur, aut ſuis finibus egreſſi, ſe ſuaque alienis cedūt. Videntur autem Zirizæi in tanta rerum humanarum mutatione, atque ex alia in aliam viciſſitudine, quæ diuina prouidentia perficitur, commodis ſuis ſolerter conſuluiſſe, atque incerta certis commutaſſe. Cùm enim populares velificandi ſint peritiſſimi, vbi non ſatis ſuccederet negotiatio illa nautica, quę tranſmarinis mercibus perficitur, mutata nauigandi ratione, piſcatu ſe exercere cœperunt, vberrimo quæſtu, ac nemini damnoſo, adde nullo prorſus naufragij metu, nulla rei familiaris iactura, nullaque fœnoris aut vſuræ infamia. Reliqui verò ciues compendia quæſtuſque honeſtos ac minimè inuidioſos ſectantur, ex ijs quæ terra in vſum hominum cumulatè atque affluenter effundit, quibus illi, neutiquam defraudato Genio, liberaliter fruuntur, ac præter laudabilem inſtitutionem, ampliſſimam liberis hæreditatem, paternique nominis ac memoriæ patrimonium relinquunt. Cæterùm vt exteris innoteſcat, qua terræ cœliq; parte conſtituta ſit ciuitas Zirizæa, & quantum ab eleuatione poli digrediatur: dimēſi ſumus

Mediocritas felicitatis laudanda.

Prouidētia diuina omnia adminiſtrari.

polum Arcticum ſiue Borealem ſupra Zirizęæ horizonta extolli vno & quinquaginta gradibus & quadraginta ſeptem minutis, in eamque altitudinem verticem illum produci: longitudinem verò perfici viginti quinque gradibus, quo efficitur, vt cùm Sol non adeò auerſus ſit, nec longius ab inſula digrediatur, ſed duobus ęquinoctijs ac totidem ſolſtitijs illam moderatè illuſtrat, Indigenæ ſolis beneficio minus ſtupida, obtuſaq; ingenia ſortiantur, verùm faceta, vrbana, feſtiua, pleraque ex auræ marinæ afflatu ſalſa & vitioſa quadam dicacitate contaminata, qua de re ſuauiter nuper philoſophatus ſum cum Hiobo Nicolaide, viro ſagaci atque induſtrio, qui cùm ſtrenuè Reipub. functionibus incumbit, illamque ſumma ope fulcire nititur, integros incorruptoſque ciuium mores exoptat. Et ſi quid vitij ex Oceani halitu & ſalſuginoſa vicinia contraxerint, inſtitutionis induſtria corrigere.

Quî fit, vt ſenes ac prouectioris ætatis homines, cùm minus robuſtos, tum tetricos plerumq; liberos progenerent, vultuq; triſti atq; inamœno, & qui rarius exhilareſcant.

C A P. III.

QVI inclinata vergenteque ætate, vbi iuuenilis ardor deferbuit, matrimonio ſe addicunt, magna ex parte liberos procreant mœſtos, moroſos, tetricos, triſtes, inamabiles, taciturnos, vultuque toruo ac facie minus blanda: quod non eadem ratione in Venerem incaleſcant, eamque operam impendant procreandis liberis, quàm iuuenes ſucculenti ac vegeti. Siquidem ætas feruida ad peragendam huiuſmodi Comœdiam inſtructior. Cùm enim

Iuuentus ſucculẽta. Senes aridi.

nim flaccidæ ſint ſenibus vires, ſpiritus exiles, corpus humoribus ſanguineis exhauſtum, facultates naturales languidæ, eaque vis, quę ab illis promanat, ac diffunditur in excitandæ prolis vſum, inefficax atque inualida, modiciſque viribus imbuta: fit vt minus viriliter connubiali officio perfungantur, ac multa in ijs, quos progenerant, deſiderentur: quod indicatur in ea diſceptatione, quã cum Eſdra Genius habuiſſe deſcribitur. Interroga, inquit, genitricem, vt tibi expediat, cur quos nunc parit, non ſint eis pares, qui ante te nati ſunt, ſed ſtatura minores; & dicet illa tibi, alios vigente ætate conceptos editoſqe eſſe, alios deficiente vtero: quò fit, vt qui ſenectutis tempore producuntur, graciles exiſtant, tenelli, imbecilles, inualidi, improceri, & qui minus virium, minuſque roboris obtineant, quòd naturæ vires ſenio collapsę ſint, ac naturales vitaleſque ſpiritus imminuti, quo etiam euenit, vt animus demiſſus exiſtat, & deiectus, mens minus agilis, viuida, alacris, erecta, quoniam omnia parcius contractiuſque ſunt conſequuti, niſi fortè genitores blandi atque hilares, ac moderatè vino cõcalefacti progenerandis liberis operam impendant. Viſi ſunt enim ſeniculi aliquando inter ſe iuuenari ac laſciuire, ſuaque habere blandimenta, ac vernis menſibus in amplexus ruere. Siquidem ea pars anni equis etiam effœtis (vt habet Prouerbium) hinnitum extorquet, quo Belgæ indicant, neminem tam deuexæ ætatis eſſe, quin in amœniſſima illa anni parte, qua ſe omnes naturæ vires exerunt, aliqua erectioris animi indicia proferant, quo efficitur, vt ſi in congreſſu Geniali mulierem conceptu impleri contigerit, exactis nouem menſibus infantem edat blandum, elegantem, ſuauem, floridum, generoſum, viuacem, agilem, geſticuloſum.

Eſdræ 4.

Cur nõnulli minus validi.

Cur nõnulli deiecta mente.

Prouerbiũ ab equis effœtis.

Ver ſpiritꝰ etiam effœtos erigit.

Affectus parentũ in fœtũ trãſit. Quod ſi progenitores etiã in ætate iuuenili, mente nubila, minuſq; placida (vt plerique moroſi factitant) procreandis liberis operam impendant, omnia in deterius deuergunt, omneſque affectus, & qui inter coniugatos exoriri ſolent tumultus, & intemperies in fœtum deuoluuntur, ita vt conceptus, geſtatio, partus, nutritio non decẽter nec naturæ ordine perficiantur, ac pueri multa corporis vitia, mentiſque errores ex perturbatis animi motibus contrahant, quorum omnis culpa in parentes transferenda, qui huic naturæ prauitati cauſam præbent ac ſeminarium. *Puerorum malitia parẽtibus imputanda.* Quocirca qui liberorum ſuorum incolumitati optimè conſultum cupiunt, atque illos tractabiles eſſe exoptant, moribuſque placidis ac ſedatis: hoc imprimis efficere curent, vt in coniugij ſocietate & amplexu maritali omnia moderatè tranſigantur, ne quid incidat, aut ſuboriatur, quod vllas intẽperies, turbas, tumultus, nebulas excitet. Omnia enim in pullulantẽ fœtum recidunt, atque infantem ad ſimiles mores informant, parentumque notas ac veſtigia imprimunt. *Affectus in fœtum tranſeunt.* In ſimiles cauſas refero, quod proles (vt vocant) naturales, hoc eſt, qui extra legitimum ac connubialem torũ ſunt procreati, diuerſa exiſtant ab alijs natura, conditione, moribus: *Naturales proles quas vulgo vocant.* quorum qui à generoſis parentibus ac patricijs profluxerunt, animo ferè excelſo conſpiciuntur ac ſublimi, multiſque ac magnis dotibus exculti, mira ingenij ſagacitate, prudentia ſingulari, iudicio exacto, præſertim quibus parentes ſubſidio ſunt, atque ad liberalem inſtitutionem adiumento, ſic vt aliquãdo columen familiæ in his conſiſtat, atque omnibus, qui illis vel ſanguine vel affinitate coniuncti ſunt, decori atque ornamento. *Cur filij naturales quos vocãt, alijs erectiores.* Cui rei ea ratio mihi ſubeſſe videtur, quòd omnia largè atque effusè ex paternis lumbis ac viſceribus ſunt conſequuti, nec in

furtiuo

furtiuo illo ac clandeſtino concubitu parcè, ieiunè, tenuiter, ſed affluenter naturæ munera illis infuſa ſunt. Cùm enim vterque auidè ſe explere libidine geſtiat, ac prodigaliter in amplexus atque oſcula proruat, totiſque viribus ac profusè in propaganda ſobole incumbit, fit, vt omnia, quæ in conceptu neceſſaria ſunt, cumulatè perficiantur, nec quidquam in hoc negotio deſideretur, eoque euenit, vt cùm nati parentum indolem exprimant, ac multa ab ijs ſunt conſequuti, incredibilis ſit vtrobique amor & propenſio, ac ſingulariter erga ſe mutuo afficiantur. Ex qua vi etiam emergit in hac ſobole alacritas mentiſque erectio, tum generoſus quidam affectus animi, quo tales indignantur extra decus limiteſq; matrimonij ſe eſſe prognatos, ac deeſſe ſibi aliquid præ cæteris, quod ad honores ac dignitates publicaſque functiones attinet. Quæ res efficit, vt ſe modis omnibus extra contemptum vindicare nitantur, atque illam notam, quam imprudentes quidam impingunt, quibus aliquando fœdior atque adulterio contaminata propagatio, probitate vitæ ac morum integritate aboleăt. Qui verò huius ſtatus ac conditionis homines, plebeijs modicisque parentibus orti, educationis ſubſidio deſtituti ſunt, rei familiaris inopia non facilè ad præclara eluctari poſſunt, atque humo ſe attollere. Siquidem, vt is ait:

Amor parentum in filios, & è diuerſo vnde emergat.

Sublimis animus ad ſumma enititur.

Non facilè emergunt, quorum Virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Iuuenalis Saty.3.

Tametſi enim paupertas ſapientiam ſortita ſit, vt habet Prouerbium, multarumque artium inuentrix exiſtat, clariſſimis tamen ingenijs obeſt, quò minus ad ſumma prouehantur.

Paupertas ſapientiā ſortita.

Quî fiat, vt laurus, quam nonnulli Zelandiæ denegatam aſſerunt, nulli quàm huic regioni ſpecioſior exiſtat, & qua ratione effeceris, vt contra gelu atq; hiberni frigoris iniuriam, intacta ſubſiſtat, nec emoriatur.

CAP. IIII.

MIRANTVR plerique in maritimis oris, eaque parte Zelandiæ, quæ à præterlabente fluuio Scaldia denominatur, tam ſpecioſas immenſaſque Lauros frondeſcere: cùm regio frigida ſit, atque ipſa arbos algentes frigidoſque tractus reſpuat. Cui naturæ miraculo eò magis obſtupeſcunt, quòd non ſolùm omnium hortiis ſcateant, ac perenni virore, perpetuaque fronde in maximam proceritatem aſſurgant, ſed baccas etiam proferant oblongas, colore nigro perpolitas, non minus efficaces ac ſalubres in diſcutiendis flatibus ac diſſipandis humorum collectionibus, quàm quæ à calidis regionibus huc afferuntur. Sentit quidem Laurus aliquando cœli iniuriam, atque hibernis menſibus ſub aſperſo intenſoque gelu, frigore periclitatur, ſic vt folia, caudex, rami aliquando areſcant atque emoriantur: at radix nihil ſentit incommodi. Quocirca Laurus ſupernè emortua, radicitus extirpari, eruique non debet, ſed detruncari; nam ineunte vere, ac paulò etiam maturius rurſus reuireſcit. Quod autem in eam altitudinem ac faſtigium in hac regione aſſurgat, efficit terræ vbertas, atque incredibilis ſoli fœcunditas, denſique ac compacti fundi natura, quæ ex pingui tenacique gleba conſtat, adeò, vt ob telluris ſoliditatem, frigus per gelicidia ad radicem penetrare nequeat. Nihil autem ſtirpibus nocentius, aut magis deleterium, quàm nix aut glacies liquefacta, ſi quando ſoluta

> *Laurus quibus natalibus delectetur.*

> *Lauro frigus inimicũ, præſertim radici.*

> *Laurus dẽſum ſolum exigit.*

> *Nix liquefacta ſtirpib. noxia.*

ſoluto gelu, eorum ſtillicidio radices perfundantur, præſertim vbi defluente humore, rurſus frigus exaſperari, fluidumque liquorem conglaciari, ac congelaſcere contingat. Sic enim terra relaxata algidiſſimum humorem combibit, quo radix imbuta marceſcit, atque emoritur. Ne autem huiuſmodi incommodo ſtirpes afficiantur, nec frigoris iniurijs ſint obnoxiæ, ſuperficies ſoli, in quo conſitæ ſunt, ſtramentis inſperſiſque cineribus muniendæ; fouent enim inſita caliditate terram cineres, ac gelu rigidum penetrare prohibent. Siquidem, vt acetum & fex vini: ita carbones ac cineres igneæ qualitatis ſunt participes. Cæterùm quod Brabantis reliquiſque Belgis laurus vel denegata ſit, vel parcius apud hos fruticetur, non aeri, cuius mira clementia ac ſalubritas, ſed ſolo aſcribendum, quod aridum eſt, ſabuloſum, leue, inane, ita vt facillimè frigus admittat, nec arbori ſolidum alimentum, quo pingueſcit, conferat, eoque efficitur, vt in ijs regionibus laurus humilis ſit & improcera, tum baccis deſtituta: cùm in ciuitate Zirizæa telluris beneficio in eam proceritatem aſſurgat, vt duarum decempedarum altitudinem ſuperet, denſa circa radicem fronde, multiſque emergentibus ſtolonibus ſeu fruticibus, quibus ſtipata à frigore ſe tuetur ac munit. Quocirca illa frutificatio, & qua ab radice frondeſcit, ramoſa propago adimi, aut reſecari non debet, illo ſiquidem munimento fulta, non facilè frigus concipit; nam foliorum iactura ineunte vere inſtauratur, modò radix illæſa perſiſtat, ac frigore geluq; intacta.

Cineres herbas à gelu tuentur.

Aceti & fecis cum cineribus cõparatio.

Laurus cur Brabantis negata.

Stolones, VVaterſchoten.

De corpore neutro, hoc eſt, quod nec ſanum, nec ægrotum ſtatui poßit, ſed vacillanti dubiaq; valetudine exiſtat, atque inter vtrumq; fluctuet.

C A P. V.

Medicinæ tres partes.

MEDENDI artem olim à veteribus in tres partes fuiſſe diuiſam, in cõfeſſo eſt. Primò in eam, quæ præſentem ſanitatem fouet ac tuetur, omniaque aduerſæ valetudinis incommoda ſedulò propulſat. Secundò in eam, quæ rationem complectitur, qua præmuniri ac præſeruari corpus poſſit, ne facilè in morbos collabatur. Poſtremò in illã, quæ morbos corpori infeſtos ac quibus vrgetur ac premitur, diſcutit: Tres quoq; ſtatui in humanis corporibus conſtitutiones: quanquam ſuperuacaneæ his de rebus inter Medicos contentiones: Vnam valetudinis ſecundæ, cùm corpus inculpatè degit, atque inoffenſa valetudine fruitur, illiq; nihil vitij ſubeſt, aut vllum morbi veſtigium: Alteram valetudiuis aduerſæ atque inclinatæ, quum diſcutiendis morbis remedia ſunt adhibenda. Tertiam, quæ anceps & ambigua, in qua ſpecies quidem ſani hominis ſe profert, vt improbis fucata vitæ integritas, ſed cui affectio quædam ſubeſt, ac delitеſcit, quæ procliuem facit propenſumque ad decũbendum. Cuius habitus duas obſeruo conditiones inter ſe diuerſas: Vnã eius, qui iam morbũ diſcuſſit ab eoq; eluctatus eſt, ſed tamẽ debilis exiſtit, inualidus, exhauſtus, gracilis, extenuatus, eneruatis fractiſq; mẽbris: quæ valetudinis incõmoda, neglectis medicamentis, ſomno atque appoſitis alimentis inſtaurari poſtulant. Simile enim quiddam huic euenit, quod viatori, qui è latronum manibus elapſus adhuc palpitat ac contremiſcit, nec prorſus ex tanto metu ac vitæ diſcrimine, in quo paulò antè verſatus

Tres conditiones corporis humani.

Simile ab hypocriſi.

Valetudinarij alij lecto affixi, alij inambulantes.

Simile à viatore in itinere oppreſſo.

verſatus eſt, reſtitutus ſit, aut ad ſe redijt, quod Chriſtus eleganti ſimilitudine expreſſit, ſed amicorum ſolatio recreatus, ſenſim reuiuiſcere incipit, ac pauorem pedetentim menti excutere: ita ægrotus tametſi depulſo morbo, exſpatiari inceptet, omniaque mitiora exiſtant, tamen nonnulla morbi veſtigia adhuc corpori inhærent, nec quæ comitari ſolent accidentia, penitus exempta, ſopitaque ſunt. Altera huic affinis conſtitutio, paulò eſt deterior, qua quidem in ſpeciem, primaq; fronte homo ſanus apparet, nec omnino valetudinarius, ſed qui corpus circumferat vitioſis ſordidiſq; humoribus oppletum. Quocirca Galenus victum ſtatuit eorum, qui ſunt ſani, qui ægroti, ac qui reualeſcere incipiunt. Eſt enim conualeſcentium victus ratio media inter eam, quæ ſanorum eſt propria, & ægrotantium. Siquidem ijs diæta ſeu victus ratio præſcribitur, tenuis, parca, frugalis, moderata, ita vt temperantię limites non excedat, quum ne leuiſſimum quidem errorem perferant, ſecus quàm validi ac robuſti, qui ne maximis quidem offenduntur. Sic infantibus ac impuberibus alimenta quidem adminiſtramus, ſed non ea ratione ac modo, quo adultis ac prouectioribus, qui ſuccidiam ac bubulam, ſolidoſque cibos non reſpuunt, vt ætas tenera, cui vt amictus corpori, calcei pedibus, ita pro corporis modulo, victus & medicamenta accommodanda. Et quanquam recentiores quidam in re Medica nō minus, quàm nonnulli in religione ſuperſtitioſi, corpus neutrum ſuſtulerunt, nec id ſtatui patiuntur: aliquid tamen de hoc commentari viſum eſt. Si quidē tale quiddam natura rerum, quotidianus vitæ vſus & conſuetudo, congreſſuſque familiaris, atque amicorum colloquia deſignant. Hinc enim emerſerunt ſodalium iſtæ ac congerronum voces, ſi quando ſciſcitan-

Luc.10.

Thera.7.

Natura cuiuſq; adnotanda.

Corpus neutrum admittunt nonnulli.

Formula percontandi de valetudine.

ſciſcitantur, qua quis ſit valetudine, qua fruitur ſanitate, vt corpus conſtitutum eſt, quo loco, ſtatu, conditione res noſtræ conſiſtant, quem habent ſucceſſum, ſatin omnia ſalua, proſpera, felicia? Quibus, totidem verbis reſponſa dari ſolent: Vtcunque, Sic ſatis, Minus commodè, Valetudo vacillans eſt, inclinata, ambigua, fluctuans, inſtabilis, parum firma, Non ſatis pro voto, aut animi ſentẽtia, Aliâs rectius, Spero meliora, Vt poſſumus, quando vt volumus, non licet. Quibus loquendi formulis ſingulæ nationes vltrò citroque ſe compellare ſolent, ſi quando de rebus amicorum ſoliciti, qua ſint valetudine aut ſucceſſu, percontantur. Tametſi autem horum plerique morbo ſunt defuncti, alij, quibus hic imminet, nondum culcitræ puluiniſq; affixi, non tamen vel inter ſanos, vel ægrotos referri cenſerique debent, ſed cùm vtriuſque ſint participes, in neutrum, hoc eſt, duorum extremorum medium: vt fuſcus color, qui ex albi nigrique mixtura conſtat, vt pubertas inter puerilem ac virilem ætatem, media. Cùm enim ſani hominis more, naturæ munera ac functiones minus cumulatè obeant, nec ex ægrotorum conſuetudine lecto incumbant, mẽbrorum vſu ac miniſterio deſtituti, nõ poſſunt vel ſani hominis, vel ægroti nomen promereri, ſed ex populari ac vulgata cõſuetudine Neutri appellatione deſignari. proferunt in ijs ſe nõnullæ naturæ facultates ac munia, ſed languidè, oſcitanter, remiſſe: incedunt enim atque inambulant, ſed tardè, greſſuq; ſubinde labante atque inclinato, ita vt ob virium imbecillitatem, vel ſcipioni ſit innitendum, vel vllius humeris incumbendum, vt ijs, qui cùm ſint natandi imperiti, corticis aut ſuberis ſubſidio vtuntur. Pari modo de ſomno ciboq; ratiocinandum, ſi quidem accumbunt, ac ſe appoſitis ferculis reficiunt, at non ea appetentia atque

Simile à coloribus & pubertate.

Simile à natandi vſu.

edendi

ēdendi auiditate, qua validi, quibus optimum condimentum fames: dormiunt ac ſomno refocillantur, verùm minus placido, profundo, diuturno, vt ſani, qui exercitatione defatigati, totam noctem quiete tranſigunt. Eſt autem eorum conditio qui à morbis reuiuiſcunt, atque humoribus noxijs ſunt liberi, potior atque optabilior, illorum, quibus aliquid latentis occultique vitij ſubeſt, ac corpus vel ex Veneris contagio, vel alia vitæ intemperie, intus & foris fœdis ficoſiſque tumoribus contaminatum, qui in ſpeciem, primaque fronte ſani apparēt, ac pro ijs ſe oſtentant, cum humoribus vndiq; prauis ſcateant, atq; omni ex parte morbidi ſint. Quin iſti in ſeipſos crudeles, atque in alios iniurij, morbum diſſimulant ac diffitentur, ita vt omnibus ſe ſympoſijs ac ſodalitijs ingerant, atque aliorum poculis labra rancida admouere non vereantur, ſuaque nulli non obtrudere, ac ebibenda offerre, hac opinor, ratione permoti, vt ſi omnes eodem ſucco perfuſos eſſe contingat, eadem ſcabie inquinatos, nemo ab illorum cōſuetudine ac familiaritate abhorreat. Huiuſmodi homines morboſos, qui ſimulata fictaque ſanitatis ſpecie obuijs imponunt, his verſibus Perſius perſtringit: *Morboſi & debilis diſpar conditio.* *Morbilloſi ſanos inficere geſtiūt*

——————— Ilia ſubter *Sat.4.*
Cæcum vulnus habes, quod lato baltheus auro
Protegit, vt mauis, da verba, & decipe neruos.

Rurſus alia Satyra, aſſumpta medici perſona, hunc notat, qui morbum diſſimulat, nec ſuſtinet inter valetudinarios referri, ſed cum medico rixatur, atque illius conſilium non ſine contumelia reſpuit, illique tanquam deteriori morbo implicito inſultat,

Heus bone tu palles, nihil eſt, videas tamen iſtud *Sat.3.*
Quidquid id eſt, ſurgit tacitè tibi lutea pellis:
At tu deterius palles, ne ſis mihi tutor,

Iampri.

Iampridem hunc ſepeli, tu reſtas: perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atq; albo ventre lauatur,
Gutture ſulphureas lentè exhalante mephites.
Sed tremor inter vina ſubit, calidumq; trientem
Excutit è manibus, dentes crepuere retecti,
Vncta cadunt laxis hinc pulmentaria labris.

Cuius conditionis homines hac noſtra ætate nuſquam non obuij ſunt, quibus cùm in facie, vultu, oculis, totoque habitu ſe morbi proferant, illos medendi peritis non detegunt, ſed magno valetudinis diſpendio, fouent ac nutriunt: qui cùm altè radices egerunt, ac penitus infixi ſunt, ægrè extirpantur. Quocirca ſalubriter vnumquemque com-

Eccle. 18. monefacit Sapiens, vt maturè remedia morbis adhibeat; Satius enim principijs mederi, quàm fini.

Saty. 3. Quò ſpectat illud Perſij,

Principio obſiſtendũ.

Helleborum fruſtra, cùm iam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas. Venienti occurrite morbo.

Quod ijs ſedulò inculcari debet, qui cùm nutanti atque inclinatæ valetudini tarditate quadam ſupina, ac damnoſa procraſtinatione non proſpiciunt, eamque fulcire negligunt, deploratis morbis implicantur. Quamobrem qui in cõfinio morboſæ affectionis conſtituti, non prorſus integra ſanitate fruuntur, ſed corpus neutrum, hoc eſt, nec prorſus ſalubre nec inſalubre conſequuti ſunt, ſed inter ſanitatem & morbum medium, accuratè incolumitati ſuæ inuigilent: facilimus enim ad deteriora lapſus. Cæterùm quæ de corpore neutro diſſeruntur, præter alia etiam ad aeris ac cœli conditionem referri poſſunt. Aura enim aliquãdo ſalubris, peſtilẽs, mediocris: cœlum modò ſerenum, modò nubilum & tempeſtuoſum, modò tolerabile atque inter vtrunque cõſtitutum, quod etiam in ventis mariniſq; fluctibus ſpectari poteſt. In affectibus quoque humanis, atque animi motibus

talẽ

ile quiddam obſeruare licet. Sunt enim illi moderati, vehementes, turbulenti, concitati, mediores, remiſſi, ſedati, ita vt non omnia ſemper vno curſu, atq; eodem tenore volui verſariq; cōtingat.

De videndi ratione atq; oculorum acie, & cur nonnulli remotiſſima quæque acutè cernant, cùm ad proxima cæcutiant atq; hallucinentur: alij propius admota exactè videāt etiam minutiſſima, longius verò ſita etiam eminentes moles ægrè perſpiciant. Et cur oculus dexter magna ex parte ſiniſtro obtuſior, minuſq; lucidus: obiter de coloribus oculorum, ac pleriſq; alijs, quæ animi argumenta proferunt: obiter hebeſcenti viſui remedia.

CAP. VI.

INTER multa magnaque naturæ munera ac dotes ampliſſimas, quibus homo à Deo opt. max. cumulatè exornatus eſt, nihil mēte præſtantius ac magis diuinum, cui cùm omnes ſenſus inſeruiant ac famulentur, tum præcipuè loquendi videndiq; miniſterio vtitur, vbi vires ſuas explicare viſum ſit. Hoc enim potiſſimè feris præſtamus, quòd ſenſa mentis dicendo expromere, ac cōſilia verbis explicare liceat, ita in oculis non prorſus ſita cernendi vis, ſed duæ ſunt velut feneſtræ animi, à ſede mentis ad oculos perforatę, quarum intentione ac remiſſione, mobilitate ac cōſtantia, animi motus, mentiſque conceptus ac cogitata indicantur. Conſiſtit quidem videndi facultas in oculo ſeu pellucido humore illo cryſtallino, qui vt ab aqueo liquore irrigatur, quem albugineum ab oui albo vocāt: ita vitreo innatat, atque inſertus eſt, ipſamq; pupillam,

Mētis præſtantia.

Videndi origo à cerebro.

Simile à gēma aurē illuſtrata.

pillam, hoc eſt, aciem, qua cernimus, radiante ful gore illuſtrat non ſecus, quàm inſignis ac lucid gemma annulum: itaque oculis viſio attribuitur non vt loco primario, ſed vt inſtrumento atq; organo; nam cerebrum per neruos viſorios illis ſpiritus infundit, quibus videndi facultas perficitur. Læſo enim affectoque cerebro (nullo etiam conſiſtente in oculis incommodo) hebeſcit viſus, atq; acumen oculorum offuſcatur: quod ebrijs, delirijs febricitantibus peculiare eſt. Hac itaque ratione oculis, qui ex tribus humoribus, quatuor mēbranis conſtant ac conflati ſunt, videndi functio aſſcribitur. Siquidem illi cerebro ac menti, penes quas ſumma poteſtas, obſequuntur. ab ijs enim dimanant ac profluunt per neruos opticos ſeu viſorios, ſpiritus lucidi, puri, defecati, tenues, ſplendidi: quibus, modò ne officiat aer caliginoſus, ac deprauata oculorum conſtitutio, exactiſſima viſio perficitur. Quòd ſi illi imminuti ſint, obſcuri, turbidi, exiles; obtuſa efficitur, minuſque acuta oculorum acies. emergunt autem ex horum temperie varij videndi modi ac rationes. Siquidem cui ſpiritus copioſus eſt, & ad amuſſim purus, terſus, nitidus, atque vt ſpeculum, perpolitus, is ea, quæ eminus conſiſtunt, perſpicuè videt ac diſcernit. Vbi enim is humor exactè elaboratus eſt, tenuis ſyncerusque ex hoc halitus, ſeu lucidus ſpiritus emanat, quo potiſſimè viſio perficitur, ac diſtātiſſima perſpici queunt. Siquidem cùm multus ſit & copioſus animalis ſpiritus, ſubtilis, tenuis, ęthereus: longiſſimè producit oculorum aciem, omniaque acutè cernit, nec facilè obtutu continuo, aut fixa intentione defatigatur, qua vi pollet calidus & humidus, vulgo ſanguineus. Cui verò paucus ſubeſt ſpiritus, ſed tamen purus, nec nebulis obductus, is res quidē propius ſitas, clarè videt & dijudicat, certūq; delectum habet;

Caput læſum viſus efficit.

Cerebro regia poteſtas.

Viſus cui exactiſſimus.

Sanguineis fortis viſus

habet; at diſtantes, pauloque remotius conſtitutas minus dilucidè perſpicit. Paucus enim modicuſq; ſpiritus facilè diſſoluitur atq; euaneſcit, nec in longinquum proſpectum producere poteſt. Quo fit, vt quibus videndi organū lucido quidem, ſed modico ſpiritu imbutum eſt, minutiſſimos etiam literarum apices inoffensè obſeruent, at paulò remotius diſſitas moles, aut eminentes è mari ſcopulos minus exactè perſpiciant, quod calido & ſicco corpori, ſeu bilioſo euenit. Quòd verò nonnulli propius admota tenuiter vident, remota verò nihil prorſus, ex ſpirituum inopia & craſſitie prouenit. Vbi autem ſpiritus copioſus exiſtit, & craſſus, pauloque denſior, diu quidem homo intendit oculorum aciem, atque abſq; vlla fatigatione fixè & inconniuenter in res obuias oculos defigit, eaſq; primo obtutu cernit quidem, ſed non ad vnguē ac diſtinctè diſcernit: nam craſſities acutæ viſioni officit, quod in frigido & humido habitu ſeu pituitoſo obſeruari poteſt. Cui verò humidus eſt & modicus ſpiritus animalis, qui videndi inſtrumēto inſeruit, is nec exactè propia, nec prorſus remotiora videre poteſt; nam pauci ſpiritus citò euaneſcūt, & diſſipantur: craſſi verò videndi functionem impediunt, cùm radij, qui ab oculorum lumine promanant, in obiecta non deferantur, nec ſpecies rerum, quæ foris in oculum influunt, ab eo concipiantur. Rarus autē ſpiritus, tenuis, exilis, tenebroſus, qualis eſt ſeniculis exhauſtis, ac morbo extenuatis, debilem viſum efficit, aut prope nullum. Quocirca conſultè faciunt, quòd conſpicilijs hebeſcenti viſui opitulantur. ijs enim omnia maiora apparent, ac ſpiritus viſorij inſtaurantur, atque in vnum collecti, minus euaneſcunt, aut diſſiliunt; verùm non conſulo, vt viri plus ſatis maturè illis aſſueſcant, ſiquidem illis deſtituti, prorſus cæcutiunt,

Bilioſis acutus viſus.

Spiritus craſſus quē viſum efficit.

Spiritus humidus & modicus qualem viſum efficiat.

Spiritus rarus & tenuis viſui officit.

Cōſpicilia quando viſui.

Quod enim hi caligant ac cæcutiunt, ex ſpiritu inopia ac defectu euenit. Quocirca & ſpecula viſum reficiunt, quoniam reflecti ac retorqueri radios contingit, ac ſpiritibus robur concipere, non ſubinde à cerebro eò ſe conferentibus. Sunt autem præter iam enumerata complura alia, quæ caliginem oculis offundunt, ac viſionem vel vitiant vel impediunt; nam ſi pupillam à ſua ſede dimoueri contingat, aut plus ſatis dilatari, contorqueri, contrahi, imminui: vel ex illata plaga, inflictoq; vulnere, caſu, vel contuſione, tumor atque inflammatio oboriatur, videndi facultas inſigniter afficitur: oculi quoque emiſſitij ac prominentes, quique immoderatè protuberãt, vel denique vbi profundi conſtituti ſunt, nonnullam viſioni iacturam inferunt; nam prominentiores ab externo lumine afficiuntur, ita vt in lucido aere & ſolis ſplẽdore minus exactè obiecta conſpiciant; immodica enim luce offenduntur: ſubluſtri verò cœlo, aut nubibus obducto, melius ijs viſus perficitur, ita fit, vt quæ cominus poſita ſunt, perfectè videant: eminus autem ſita, obſcurè; ijs verò, quibus profundi ſunt oculi, ac deliteſcunt, minuſq; extra palpebras ſe proferunt oculorum orbes, contraria obueniunt; illis enim propius admota, minus perſpicuè: diſtantia verò, inoffensè cernunt, quo fit, vt vbi remotiora oculis dimetiri viſum ſit, conniuentibus ac ſemi occluſis oculis id perficiamus; ita enim coacti ac conglobati ſpiritus, longiſſimè radios ſuos diffundunt. Hinc vſuuenit, vt clauſo compreſſoque oculorum altero, ac protenſo velamento, quod ſplendorem arcet, atque aerem opacum efficit, intẽtius ac fixius aciem in obiecta dirigamus, quod in tractandis balliſtis, ſclopetis, arcubus obſeruare licet. Siquidem occluſo ſiniſtro oculo, ſpiritus affluentius in dextrum confluunt, viſumque efficiunt intentiorem

Specula viſui opitulantur.

Quàm multa viſus officiunt.

Oculi prominẽtes, et reconditi caligãtur.

Reconditi & protuberantes oculi ratione diuerſa vident.

Ex ſagittarijs vidẽdi ratio eruta.

entiorem, ita vt hac ratione ſagittarij colliment, quem intuentur ſcopum, aſſequantur ac confiſant. Quò ſpectat illa Perſij ironia.

——— *Scit tendere verſum* *Sat.1.*
Non ſecus, ac ſi oculo rubricam dirigat vno.

Quòd autem nonnulli gemina conſpectare videantur, efficit oculorum in varias partes diſtractio. Cùm enim oculorum radij non ad idem rei obiectæ punctum ſe dirigant, ſed in diuerſa rapiantur, ac ſpiritus, qui temerè rerum ſpecies concipit, inordinato vagoque motu hinc inde fluctuet, dupla exhiberi videntur: feneſtrata autem diuulſa, diſſecta, rimoſa conſpici videntur, vbi papillę pars ſuffuſo concreto humore offuſcatur, denſi quoque vapores ac fuligines è ventriculo in cerebrum delatæ, varias imagines ac ſpecies rerum viſui inferunt, ita vt aliquando omnia in gyrum flecti, voluique ac rotari videantur, nonnulli feſtucas, culices, muſcas, ſcarabeos, araneas, lemures, ſtriges, ſpectra obuerſari oculis imaginentur, quos affectus parit crapula, ingluuies, temulentia, humor melancholicus, quæ denſiſſimis fumis cerebrum obnubilant. Ceterùm quòd dexter oculus ſiniſtro ſit obtuſior, in ſe quiſque experiri poteſt. Id efficit in adulta ætate craſſior denſiorque ſpiritus, & quòd ferè ex dextri lateris incubitu vapores nocturni eò deriuentur ac confluant: in ſenectute verò magis ſicceſcit oculus dexter, ac calor hepatis humores, qui viſioni adminiculantur, depopulatur: ſiniſter autem humidior eſt, nec in eo facilè vel ſpiritus extenuantur, aut humores areſcunt. Cùm autem cor vitæ fons primùm animari incipiat, aut vitale effici, tum poſtremò moritur, ac diu etiam corpori exemptum animantibus palpitat: Oculi verò, qui poſtremò perfici creduntur; primò adempta mobilitate, mortis argumenta proferunt, atque præ

Cur gemina videntur.

Cur diuulſa ſpectantur.

Oculis cur abſurda obuerſantur.

Oculus dexter ſiniſtro obtuſior.

Cor primũ viuens, vltimum moriens.

Oculi primùm moriuntur.

cæteris emoriuntur, quòd ſpiritus ingruente mo-
te extinguantur, atque euaneſcant, vel ab oculis a
cerebrum mouendi videndique principium rel
Coloris oculorū diuerſitas vnde emergit. hant ac retrahantur. Cęterùm de cauſis colorum
qui in oculis ſe proferunt, nonnihil huic argumen
to inſerendum. Emergunt ij ex circumfuſis hum
ribus, quorum qualitas, copia, defectus, tenuitas
craſſities, miſtura, varias diuerſaſque in oculis co
lorum ſpecies ac diſcrimina pariunt, nempe nigri
cantes, cęruleos, cæſios, glaucos ſeu caprinos, rufos
flauos, fuluos, pallidos, puniceos, luteos, virides, ru
bicundos, igneos, flammantes, ſanguineos, purpu
Vnde nigri oculi emergant. reſcentes, croceos, aureos, lacteos, albeſcentes. Pro
ueniunt autem nigro colore perfuſi oculi, (quo
rum aſpectus gratioſam venuſtatem, modò ſuper
cilia pari pigmento tincta ſint, homini conciliant)
ſi quando ſpiritus viſibilis debilis eſt, humor verò
copioſus, denſus, ſubobſcurus, vmbroſus, ita vt a
ſtantis aciem ob humoris abundantiam ac profun
ditatem non tranſmittat, aut penetrare patiatur
nihil enim luminis, quod ex oculis noſtris emanat
in illius viſum, qui nobis ex aduerſo conſiſtit, in-
fertur, ſed radij velut repercuſſi ac retorti reſiliunt.
Aqua cur nigra in fontibus. Sic in fontibus ac ciſternis altiſq; ac profundis pu-
teis, aqua nigricante colore apparet, ac ſpeculi v-
ſum pręſtat, retorta ob aquę denſitatem, oculorum
acie, & in ſe rurſus deflexa, repellit enim viſum no-
Oculi nigri qua vidēdi facultate. ſtrum, eumque nobis remittit. Sunt autem nigri-
cantes oculi eius conditionis & naturæ, vt interdiu
acutè cernant, quoniam meridiana lux ſubobſcu-
ris atq; vmbroſis oculis ſe ingerit, ac ſpiritus agitat,
illoſque lumine perfundit. Noctu verò obtusè mi-
nuſquè acutè videndi munere funguntur, quia ex-
terno lumine deſtituti ſunt, quo humores ac ſpiri-
Oculi cæſij vnde & tus moueri debent, vt viſus acuatur. Quibus verò
humor, qui oculis ſubeſt, tranſparens quidē eſt, &
pelluci-

qua functione vidẽdi.

ellucidus,ſed vnà cum ſpiritu paucus, exilis,debilis,ijs cæſij oculi ſeu glauci conſpiciuntur, hoc eſt, ex cæruleo & albo contemperati:quali colore ſunt laminæ corneæ trãſlucidæ, ex quibus laternarũ cõficiuntur conſpicialia, tũ noctuæ & quorundã animalium oculi. Qui autẽ huiuſmodi colore oculos habent inſignitos, interdiu debiliter & cõfuſè cernunt, quia diurna lux ac Solis ſplendor, ſpiritus viſorios minus firmos diſſoluit ac diſſipat : noctu verò, quoniam videndi organa, genuina inſitaq; luce illuſtrantur, coacto ac conglobato ſpiritu, obuia quæque dilucidè vident. Scintillant enim in tenebris huiuſmodi oculi, ac collucent, tum velut aſtra micantia, radijs coruſcant, ita vt præter homines, multa animalia, non tam venandi ſagacitate, quàm videndi facultate inſtructa, ex nocturnis tenebris nihil ſentiant incommodi, aut vlla ſui parte afficiantur, cùm diurna lux illis officiat, ac viſionem offuſcet, quod in noctuis, nycticorace, veſpertilione, felibus, ſoricibus, muribus, gliribus obſeruari poteſt, quibus lux meridiana videndi functionem labefactat, nocturnæ tenebræ exacuunt, argumento, quòd ſi faces, candelas, ac funalia illis noctu obijcias, obcæcantur. Quocirca nautæ nocturnis nauigationibus non adeò intenſum Lunæ ſplendorem exoptant, ſed ſubluſtre cœlum, modicisque ac raris nubibus obductum. Sic enim longius ſe porrigit oculorum acies, ac radij à luminoſo obiecto minus diſſipantur, aut euaneſcunt. Cæruleus verò in oculis color ex albo & viridi conflatus, cæteris humidior eſt, ſed minus nitidus, terſus, perpolitus. Quò fit, vt ob craſſiorem humiditatem, qua perfuſus eſt, atque exiguos ſpiritus, minus acuta viſione ſic affecti polleant, in aere præſertim lucido, quo cumprimis offenduntur. Quod ſi humor, & ſpiritus temperie qua-

Lamina cornea glauco colore.

Qui oculi nocte ſcintillant.

Animalia noctu oculata.

Cæruleus oculorũ color quẽ viſum facit.

Oculi & viſus moderatè conſtitutus.

dam inter ſe moderata exiſtant, color inter albedinem & nigrorem clarius elucet, quo exactiſſimè videndi munus perficitur. Variantur autem pro ætatis ratione oculorum colores: pro humorum a ſpirituum craſſitie, tenuitate, copia, defectu: quod ipſum etiam in ſtirpium folijs perſpicuum eſt, qu vbi primùm emergunt, flaueſcunt: deinde matu ritate virorem concipiunt: rurſus ſeneſcente ſtirpe, in cæruleum ac luteum demutantur. Sic infantibus in lucem primùm editis cæſij ſunt oculi, glauci, cærulei, vireſcentes: ætatis acceſſu ad nigredinem deuergunt: ſenectute verò, vt crines, albeſcũt vel ad ſubglaucum degenerant. Medicamentis etiam diuerſos colores oculis induci, Dioſcorides ex aliorum ſententia prodidit. Vſta enim auellanarum putamina, atque in cineris ſpeciem redacta, cæſiorum oculorũ pupillas infantibus denigrant, ex oleo ſincipiti infuſa atque inuncta. Vẽtus quoque, aeris auræq́ue conſtitutio, regio, morbi, affectus ac perturbationes animi, immoderata Venus, inedia, ſomnus & vigilia immodica, crapula, oculorum cùm colores, tùm ſpirituum atque humorum qualitates immutant. Quocirca moderata victus vitæq; ratio inſtituenda, ne videndi organum (quo nihil nobis ab opifice attributum præſtantius) aliquo incommodo afficiatur. Quòd ſi ex humorum defectu atque ariditate caligare oculos, ac cæcutire contingat, vel ſpiritus viſorij inedia, mœrore animi, fletu, vigilia, laſſitudine, ſenio, immodico concubitu, intempeſtiua lucubratione exhauſti ſint & attenuati: quæ vires inſtaurant, atq; oculis fomenta miniſtrant, adhibenda: vt ſunt oua recentia, vina dulcia, vuæ paſſæ, amygdalę dulces, piſtacea, caſtaneæ vel elixatæ, vel molliter toſtæ, rapæ, quarũ vis ob flatus copiam in cerebrum aſſurgit, ac mirificè ſpiritus viſorios euanidos reficit:

Oculorũ color & acies qua ratione variatur.

Simile à ſtirpibus in oculorum coloribus.

Lib.1.cap.

Oculorum colores medicamenta immutant.

Conſiliũ in oculis inſtaurãdis.

Plenitudo aut inanitio obſeruanda in oculis fouendis.

Oculos exhauſtos quæ fouẽt.

ficit: quod ipſum etiam præſtant alitum cerebella, quæ ſe volatu exercent, vt ſunt paſſerculi, miliarię, frigilli. Inconſultè faciunt, qui citra delectum, nulloque adhibito diſcrimine, Rutam, Chelidoniam, vulturum, miluorum, accipitrum fel, quæ mordaci ſunt & adurenti facultate, oculis adhibent; depopulantur ſiquidem ac depaſcunt ſpiritus & humores, quibus viſio perficitur: cùm iſta non incommodè admoueri poſſint, quibus ex humorum redundantia oculi caligine ſunt offuſi, tum quibus ſuffuſiones & glaucomata viſum eripiunt, atque oculos deformant. Diſſoluunt enim concretos craſſoſque humores, qui ſpiritus à cerebro eò deferri prohibent: ita omnia quæ abſtergunt, atque extenuant, huic rei perficiendæ accommoda: vt ſunt raphanus, ſeu vulgaris radicula, quæ appetentiam acuit, feniculi ſemen, & folia, radix, eufragia, ſtechas, & quæcunque cerebrum à craſſis vaporibus expurgant. Quocirca ſtudioſis, qui oculorum adminiculo ſuas lucubrationes perficiunt, allium, cępe, porrum, & quæcunq; graui odore imbuta ſunt, atque halitu viroſo obuios feriunt, atque infeſta ſunt, ſedulò euitent. Officiunt enim hæc oculis, ac memoriæ omnibuſque ſenſibus detrimenta adferunt. Qui verò laboribus indureſcunt, atque exercitationi ſedulò inſiſtunt, nihil horum illis incommodat. Foris autem quæ oculos recreant, aſpectuque grata ſunt, obijciantur, vt ſunt viridia quæq;, quorum innumeras ſpecies & diſcrimina campi, ſiluæ, horti, nemora ſuppeditant: Ex lapidibus verò Smaragdi viror inſatiabilis, & quo oculi exſaturari nequeant, tum Praſius, Topaſius, Iaſpis, Cyanus ſeu cæruleus, Eranos, vulgò Turcoſa, & Lazurium; quibus colliguntur, non euaneſcunt ſpiritus viſorij, atque acumen oculorum exacuunt. Cæterùm quòd ex oculorum obtutu, nonnulli animi

Ruta oculis aliquando noxia.

Ruta & Chelidonia quando oculis ſalutaria.

Raphanus & rapa oculis grata.

Allium & quæ viroſa ſunt, oculis inimica.

Viridia oculos fouēt.

Smaragdi viror, vulgo amoraut oculis gratus.

propenſionē, mentiſque indicia eliciunt: nō equi- dem improbo. Sunt enim horum indices, internoſque affectus, cogitata, conceptus, etiam ſi linguæ ceſſet miniſterium, foris proferunt: ita nonnullis comitas, modeſtia, manſuetudo, placabilitas, clementia, probitas in oculis vultuque elucent, multaque alia placidæ ac ſedatæ mentis argumenta ſe offerunt. Alijs faſtus, arrogantia, ſuperbia, ferocia, calliditas, verſutia, iracundia, inuidentia, odium, ira, indignatio, formido, timor, elatio, lætitia, gaudium, mœror, deſperatio, ex oculorū obtutu perſpicitur. Medici quoque in morbis ſtudioſè oculorum conſtitutiones contemplantur. Si enim rubore perfuſi ſunt, aut ſanguineis filamentis ſtriati, ex cerebri inflammatione furorem ac phreneſim indicant Quod ſi liueſcant, ac plumbeo nigroque colore perfuſi ſint, caloris natiui extinctionē vitęque interitum denuntiant. Inſtabiles autem, pernictantes, mobiles, inquieti, inconſtantes, mentis alienationem & delirium deſignant. Languidi, humētes, flaccidi, lachrymis perfuſi, tenebroſi, tremuli, rigidi, vibrātes, tumidi, caui, conditi, obtuſi, conniuentes, præter diuerſos animi affectus, in ſanis, tum in ægrotis nō ſine vitæ pernicie, cerebri intemperiem ex humorum copia, vel defectu, caliditate aut frigiditate cōmonſtrant. Luſci verò, pæti, ſtrabones, & qui obliquo ſidere, limiſque oculis obtuentur, præter contortos atq; in diuerſum conuulſos muſculos, huius naturæ errorem cōſequuti ſunt. Quod vitium quoniam circa cerebrum mentis domicilium, vel potius regiam conſiſtit, vt foris nonnihil oculos deformat: ita animum quoque quibuſdam vitioſis affectibus imbuit. Sunt enim horum plerique, quibus deeſt educatio, verſipelles, vafri, ſubdoli, captioſi, lubrici, ad circumueniendum aſtuti, ac miris ſtrophis inſtructi. Sic Belgæ, ſiquando vllum deſignant,

Oculi animi indices.

Argumēta animi ex oculis.

Oculorum varia diſpoſitio.

Luſci qua animi conditione.

deſignant, qui ijs notis inſignitus eſt, *Een ſlim gaſt*, Prouerbiũ *Een loos ende liſtich ſchalck Een boos Wicht* vocant, hoc eſt, obliquum, diſtortum, veteratorem hoſpitem, cui non tutò poſſis fidere, vt qui technis, dolis, fallacijs, captionibus, præſtigijs, impoſturis, fucis omnia ſua negotia perficiat, alterius diſpẽdio ac detrimento, ſuo verò luculento cõmodo. Cuius conditionis ac naturæ ſunt participes, quotquot ex præcipua ac primaria corporis parte aliquo vitio ſunt implicati, nempe capite, corde, hepate, de quibus in Phyſiognomia vberius tractatum eſt libri ſecundi capite 36. *ex oculorũ obtutu in nefarios.*

Ratio, cur nonnulli mutilis truncisq́ ac decurtatis membris naſcantur, alij geminis, quæq́ redundant, ac ſuperuacanea ſunt, nec vlli vſui inſeruiunt.

CAP. VII.

NASCI quoſdam geminis agnatiſque membris, nempe digitorum, pedũm, brachiorum, capitum appendicibus articulatim nonnunquam diſtinctis, quotidiana exempla demonſtrant. Vt autem deformes ac monſtroſæ ſpecies ex vitioſo corruptoque ſemine, atque vteri praua conſtitutione promanant, aſtris etiam in huiuſmodi partus vires ſuas conferentibus: ita ex humorum redundantia ac ſeminalis excrementi copia duplicatæ corporis partes producuntur, gignentis imaginatione in tale quiddam elaborando occupata. Siquando enim is ſexus, qui leuiſſimis affectibus concutitur, eoſq; infanti imprimit, aliquid animo menteque concipit, aut dupla oculis obuerſari imaginatur, ex humorum concurſu ac confluuio, qui in eas partes, circa quas verſatur imaginum conceptus, decumbunt, geminatas ac ſuperfluentes particulas, aut *Vbertas materiæ geminata profert.* *Partus deprauati vnde.*

alterius

alterius ſpeciei emolitur ac conficit. Iſtæ etiã abſurdæ imaginationes in animantibus obſeruãtur. Sic nuper ouicula prodijt, capitę Phocæ ſeu vituli marini, conſpecta marina bellua. Sic anno ſuperiore ouis, & vitulus gemino capite conſpecti ſunt, & ego gallinam vidi, & contrectaui quatuor pedibus & totidem alis. Cùm autem fœminis in conceptu, totoque geſtationis decurſu varię ſpecies ac rerum ſimulachra, animo concipi ſoleant, ac nonnunquã dupla ſe offerre ex ſuffuſis craſſis vaporibus, aut cum diſtractis diuulſiſque ſpiritibus, qui in pupillæ punctum dirigi debent, diffindi ac diſſecari cernendi aciem contingat, omnis affectio in pullulantem fœtum deuoluitur, ac nonnullis partibus affabrè elaboratis, ſecundarias ac ſuperuacaneas affigit. Tã efficax enim eſt imaginãdi vis, vt ſi quando mulier oculos ac cogitationes in rem quãpiam defigat, tota naturæ facultas, eaque vis, quæ formationi fœtus inſiſtit, cõcurſantibus vndique humoribus, quos habet obſequentes, eò confluit, atque operi perficiendo ſedulò eſt intenta, quò euenit, vt nonnunquam diuerſas inſolitaſque formas, membra duplicata, particulas atque appendices ſuperuacaneas emoliatur, inſuetaque mẽbra corpori affigat. Ex defectu verò humorum, atque alimenti fomentique penuria, aut vbi naturales facultates in elaborandis articulis ſunt inualidæ, ſuiſq; viribus minus inſtructæ, imminutis mutiliſque membris produci homines contingit, aut quarũdam partium vſu ac miniſterio deſtitutos. Et quanquam natura vberem nonnunquam propagandæ ſobolis materiam ſit nacta, ſuiſque viribus ac facultatibus affatim exiſtat inſtructa, illã tamen ſubinde impediri contingit, quò minus omnia exactè perficiat, ac venuſtam corporis formã, decenteſq; articulos exprimat atque effingat, ita vt infans aliquando

Dupla quãdo obſeruantur.

Imaginatio in muliere quid efficiat.

Vnde membrorum defectus.

Manus ac pedes vnde trunca & mutila.

quando in lucem prodeat parte aliqua trunca aut inelaborata: fit enim plerunque vt vterum conſequatur anguſtum, ſplenem induratū ac calloſum, coxendices eminentes, atque introrſus retortas, aliaſque obices & obſtacula, quæ infantem adoleſcere prohibent, atque omnibus ſuis numeris abſolui; teneræ ſiquidem corporis partes ob tantas difficultates atque impedimenta dilatare ſe ac diffundere nequeunt, oblatoque alimento frui: ſed ſiſti contingit & cohiberi, quò minus in ſpecioſam atque vtilem articulorū formam excreſcant ac proferantur. Simile enim quiddam huic rei obuenire mente concipio, quod arboribus, quæ in ſaxoſo ſolo conſitæ ſunt, ita vt radices ſe vndique diffundere nequeant, ſed obſtaculo impeditæ retorquentur, atque incurueſcunt, repulſæque reſiliunt. Sic in corpore humano, cùm infans effingitur, vel loci anguſtia, vel alimenti inopia, aut callii cuiuſdam obiectum obſtat, quò minus membra articulatim diſtincteque efformari queant. Sic puellam vidi non ignobilem trunca ac tuberoſa manu, quam cùm contrectandam mihi exhibuiſſent parentes, deprehendi digitorum contactu articulos, qui naturæ munere erupturi erant, intus conuolutos, atque in ſe retortos, ita vt nullā digitorum effigiem exhiberent; ſiquidem omnes membri huius partes, tum oſſiculorum ſeries & connexus, quibus manus complicari vel expandi ſolet; intrò delituiſſe comperti ſunt, *Stompen* noſtri vocant. Ita errorem hunc ac naturæ vitium inde contractum pronuntiaui, quòd ea vis ac facultas, quæ formationi fœtus inſiſtit, omnibuſque ſuis partibus conſummare hominem nititur, aliquo impedimento prohibita ſit, quò minus articulos potuerit perficere: atque in ſpecioſam decentemque manus formam producere: cùm enim mater ſplenis duriciei eſſet obnoxia,

Simile ab arboribus in ſaxoſis locis cōſitis.

Rei geſtæ narratio.

noxia, ac fæmellæ in id latus, nempe ſiniſtrum de clinent, ex affectu eius viſceris, cui partes illæ tanquam ſcopulo ac cautibus illiſæ incubuerunt, informem atq; indecoram ſpeciem ſunt cōſequuta

An Induſia, vulgò Camiſiæ, tegumenta, lintea febricitantibus mutanda. Et an ſtatim à morbo conualeſcentibus barbam radere, aut capillos adimere expediat. Tum in quibus morbis pedes ablucre conſultum ſit.

CAP. VIII.

SIQVANDO in morbis contagioſis ac peſtilentibus carbunculi ac bubones aliæque, vt aſſolet, puſtularum eruptiones in extima corporis parte ſe proferunt; nunc eminentes ac verrucoſæ, nūc planæ ac ſeſſiles; pro humorum craſſitudine ac tenuitate: colore modò plumbeo, lurido, nigro, luteo, viridante, verſicolore, quæ deteriores: modò rubicundo, florido, albeſcente, quę ſecuriores; quarum omnes ſpecies ac differentias, in morbillis ac variolis, Belgis *Pocken & Maezelen* denominatis, perſpicimus: in ijs, inquam, omnibus papularum generibus lintea, culcitras, puluinaria, tegeticulas, induſia, tegumenta ſubinde mutanda conſulo, ac recentia ſubſtituenda, ſordidaſque corpori exemptas veſtes vento atque auræ flatibus identidem exponendas; quò contagio & grauis halitus, quibus ex infecto corpore tegumenta imbui contingit, & contaminari, diſcutiantur. Siquidem cùm multi tetri ac pernicioſi vapores, ſeu fuligines ex huiuſmodi corporibus emanant, quæ veſtimenta, quibus ægrotus integitur ac fouetur, concipiunt; fit vt decumbentes circumfuſum vndique aerem hauriant, imbibantque, ac ſingulis momentis noua recentique contagione ac labe inficiantur; volutantur

Puſtulæ vnde varij coloris.

lutantur enim in ſordibus tanquam ſcropha, aut lutulentus ſus in volutabro cœni. Quod ipſum eatenus obſeruari velim, quatenus morbi ſæuitia mitescat ac ſopiatur, ipſaque concoctio ac criſis peracta ſit, hoc eſt, certa atque indubitata ſe ſalutis indicia proferant, quæ commonſtrant vires corporis morbo ſuperiores, ac perexiguas intus reſidere morbi reliquias: tunc enim lintea atq; induſia ſoli aut luculẽto igni expoſita, valetudinarijs ſubijci iubeo, aut ea vni ex domeſticis ſalubri corpore biduo induenda præcipio, aut cubili eius inſternenda, quò concaleſcant, nec ab humani corporis calóre ſint aliena, ipſaque innouatio aliquid incommodi ægroto adferat, aut vlla ſui parte morbum exaſperet: hac enim ratione aut errore potius efficitur, vt illa, quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcant. Quocirca cùm iſtis, tum alijs, qui mitioribus etiam obnoxij ſunt, inſtanter præcipio, quò confeſtim affectus ad ſtratum properet, ac primo quoque tẽpore inſultus ſopiatur, ne inquieti ſint, iactabundi, inſtabiles, tumultuoſi, nec aeri locoque frigido ſe identidem exponant, vt ſunt, qui in ancipiti ac periculoſo morbo expanſis brachijs, diuaricatis exporrectiſque cruribus hinc inde ſe deuoluunt, ac ſudorem, puſtulas, apoſtemata, vomicas, abſceſſus, tumores, reliquaſque humorum collectiones, quæ erupturæ ſunt, repellunt ac referiũt. Siquidem frigidus aer corpori circumfuſus, fluxiones ſiſtit ac reprimit, eaſque matureſcere prohibet: Calor verò ac fomenta calorifica, meatus ac ſpiramenta recludunt ac relaxant, vtque ſe fuligines ac vapores proferant, ac diſcutiantur, efficiunt. Quò mihi non inconſultò facere videntur, qui contra ſtatim primùm morbi contagione, ac peſtifero halitu, corpus luculento igni exponunt, vt vndique ſudore madeſcant ac diffluant, citra tamen virium defectum,

In morbi augmento nihil innouandum.

Motus & iactatio corporis ægroto noxia.

Ignis ſudórem & contagia elicit.

defectum, aut animi reſolutionem ac deliquium ſic vt eodem momento expurgato infernè corpore, deiectoque aluo, ea intrò ſumant, quæ conceptam intra viſcera contagionem diſpellant ac diſcutiant, antequam radices agat, penituſque viru infixum eſſe contingat, atque ipſum cor tum partes præcipuas occupet, eò enim malum confeſtim properat.

Simile ab vrbe obſeſſa.

Vt illi, qui vrbem obſidione premunt arces ac propugnacula, ac ducem exercitus primũ inuadunt, reliqua enim eueſtigiò cedũt, ac dã manus. Cùm itaque corpus periculoſo ancipitique morbo tentari occipit: ſi res venæ inciſionem ſi purgationem expoſcat, maturè illa adhibenda ſunt,

Purgatio, venæ inciſionem præcedat.

ſic vt primùm atque inter initia alui purgatio præcedat, mox ſubſequatur venæ ſectio, deinde ea adhibẽda, quę cor propugnẽt ac muniãt, vt ſunt Theriaca & Mitridation ex vino aut ſyropo de fumaria, epithimo, violaceo, aut alio quodam diluto, vt naturæ conditio expoſcet, aut exercitato Medico expedire viſum ſit, in quo mirè illum oculatum eſſe par eſt, nec à ſcopo aberrare. Ex decocto verò, præſentanea ſunt Scordium; quod allij odorem refert, Zelandis copioſum, Caltha, quæ ſudorem elicit,

Quæ à peſte præſeruant, eáq; demoliuntur.

meliſſophillos, ſeu meliſſa, ficus, Cæpe rubicundum, Spondilij radix, quæ angelicæ ac laſerpitio ſiue oſteritio, viribus ac facultate par: inter quæ principatum obtinet Zedoariæ radix, non carioſa, caſſa, euanida, inodora, modò cum vuis

Qui morbo oppreſſis adeſſe coguntur.

paſſis, & quas Corinthiacas vocamus, tũ momento glycyrrhiſæ dentibus attrita diglutiatur. Hac enim ratione etiam ſe munire poſſunt, atque illæſos præſtare, qui morbo peſtilenti infectos adire coguntur,

In cõtagioſis morbis ſudor eliciendus.

illoſque in ſpem meliorem erigere, ac metum animis eximere, tum fiduciam mentibus illorum inſerere, quales ſunt miniſtri Eccleſiæ, medici, chirurgi, obſtetrices. In huiuſmodi autem tumo-

rum

rum eruptionibus, quas expedit maturius proferri: non conſultum arbitror inter initia pauimenta frondibus ac vitium pampinis aut capreolis, caricibus, roſis, myrto, ſalice, populo, virentique gramine conſternere, aut aceto aquaque perfundere, niſi ex immodico ſudore virium ſit defectio; talia enim humores reſilire cogunt, ac cutem meatuſq; corporis denſant atque obſtipant, qui reſerandi potius ſunt, quò halitus contagioſi expirent ac diſſipentur, quod ipſum calida potius fomenta, quàm frigida præſtant, nonnunquã naribus admouenda, quæ ſpiritus recreant, animamque calore immodico languidam inſtaurant, vt ſunt roſæ, violæ, gariophyli, Caphura, vinum, bugloſſus, borago, nymphea, ſuccinum, mala citria, Cotonia, quorum pleraque etiam intrò exhiberi poſſunt vino incocta, vel zaccaro perfuſa, aut in aliam condimenti formam redacta, adiecto croci aut cinamomi momento, quò illa odore ſaporeque cordi ac palato magis gratificentur, & ſpiritus collapſos efficacius erigant. Quanquam enim medici non temerè quidquam circa ægrotos innouare ſoleant, ac ne latum quidem vnguem à ratione diſcedere, in nonnullis tamen ijs obſequuntur, vbi Criſis peracta eſt, hoc eſt, certa ſe ſalutis argumenta proferunt, magnaque humorum pars vel ſudore excuſſa eſt, vel ſanguinis aut alui profluuio commodè exhauſta; tunc enim aliquando illis vel vina, vel aquæ frigidæ potionẽ haud grauatè admittimus, tunc ſtragula, lectulos, tegumenta, conclaue, triclinium mutari ſinimus, quæ ante ſtatũ ac vigorem morbi, ante criſim ac concoctionem conceſſa, præſentaneam vitæ perniciem erant allatura. Siquidem lecti tepor, & quæ corpori adhibentur fomenta, febrilem calorem maturius euocant atque eliciunt, tum denique ad ſudoris ac puſtularum eru-

Quando cœnacula frõde adornãda.

Odores ſpiritus inſtaurant.

Medici aliquando ægrotis gratificantur.

Sudor quãdo maturius erũpit.

ptionem ſunt adiumento, ita vt viſcera, quæ intus fumis ac denſis vaporibus erant oppreſſa, relaxata per calorem cute ac ſpiraculis, ſubleuentur ac reſpirent; hac enim ratione expeditè putredinē diſcuti, oppilationem amoliri, febrem conquieſcere ac ſopiri, omniaque mitiora effici contingit. Vt enim in cœnaculo aut triclinio fumo oppleto, conuiuæ ſuffocari videntur, atque oculorum iacturam perpeti, niſi reſeratis oſtijs, ac patefactis feneſtris, fumus ac fuliginoſi vapores diſſipentur, atque in auras diffuſi euaneſcant: ita quoque in humano corpore cor ſtrangulari videtur ex denſis nebulis & humorum caligine, niſi laxatis meatibus ac ſpiramentis, fuligo & vaporoſi ſpiritus erumpant, & foras promanent. Et quemadmodum in elixandis carnibus ſordes, & quæ ebulliēt ſtrigmenta (*Broem* noſtri vocant) adimi debent, omniaque accuratè deſpumari, ne edulia contaminari contingat, atq; inquinamentis quibuſdam ſeu eluuie pollui: ita inter initia per ſudorem, vomitum, venæ inciſionem, alui profluuium, congeſti in corpore humores expurgari debent, antequam ſe per venas diffundant, arterijſque penitus inhæreſcant. ac ſint infixi. Tunc enim vt maculæ, quæ diu veſtibus inhæſerunt, ægrè elui poſſunt, nec ita facilè extra ſua conceptacula, in quibus inſederunt, exturbari. De barbæ verò apparatu, nam in eo viri decor & ornamentum conſiſtit, & qui in capite capilli fruticantur, quibus quoque robur quoddam virile ineſſe teſtatus eſt Sampſon, nec non omnibus ſeculis plerique alij, qui affatim criniti hirtique ſunt, hoc commonitos quoſque volo, ne etiam ſani ſæpius barbam ac capillos ad viuam cutem deradi ſibi patiantur, aut caput lotione defatigari. Depopulatur enim nimius eius rei vſus vires, atque homines effœminatos molleſque præſtat: quin & ſpiritus ac calorem

Simile à fumoſis ædibus.

Simile à deſpumandis carnib.

Simile à maculis eluendis.

Barbæ raſura aliquando noxia.
Iudicū 16.

calorem natiuum reſoluit atque extenuat, maximamque audaciæ ac confidentiæ partem in adeundis periculis Cordi detrahit, quanquam ſubinde Caput defricare aſpero rudique velamine, barbam demulcere, ac liquamine aliquo abſterſorio macerare, oculis claritatem conciliat, mentemq; reddit erectiorem, valetudinarijs quoque, aut qui paululum modò cõualuerunt, non conſultum arbitror, ſtatim à recuperata ſanitate, nouaculam, cultrumque tonſorium admittere; ſiquidem humorũ fluxiones irritat, & ſi quæ fortè in corpore morborũ reliquiæ reſideant, illas mouet atque agitat, recentemque febrem, vt incendium ſopitum exuſcitat: ex huius enim rei innouatione, non minus morbi recrudeſcunt, aut febres reſiduæ poſtliminio excitantur, quàm ex cibi potuſque nonnulla intemperantia, aut ſubucularũ induuiorumq; mutatione.

Frictio capitis oculis confert.

EADEM ratione in morborum initijs pedes non abluendos cenſeo, præſertim in decocto herbarum, quæ vi attractoria polleant, vt ſunt artheniſia, pulegium, caltha, parthenium, vulgò matricaria, tanacetũ, lauri folia. Nec balnea quoq; adhibenda, niſi, expurgato corpore, morbi furor miteſcat, ac cõcoctionis ſigna appareant, ipſique humores fluitantes excretioni ſint idonei, aloqui in partes aliquas principes irrumpunt, atque inſtabili motu hinc inde fluctuãt. Quocirca quando pedes abluere expediat, obſeruandum, aut ab hoc negotio deſiſtendum: in quo imperita multitudo magno ſuo periculo peccat, cùm nullo delectu aut diſcrimine id factitet, atque in ipſo ſtatim morbi inſultu lotioni pedum inſiſtat. Nam ſi morbi ſupra ſeptum tranſuerſum conſiſtant, aut fluxiones è capite in pectus diſtillant, pedum lotio malum exaſperat. Ita ſiquidem pleuritis infeſtat, pulmonis inflammatio, angina, tuſſis, dolor lateralis, coriſa,

Pedũ lotio quãdo adhibenda.

Balnea quãdo adhibenda.

Pedum lotio quando noxia.

branchos, raucedo, catarrhus, à pedum lotione prorſus deſiſtendum, nec vlla ratione hoc remedium tentare expedit, aut conſultum eſt; defluit enim in ſubiectas partes humor, omniaque exaſperat, ac ſæuiora efficit. In morbis verò, qui ab infernis partibus prodeunt, quas diaphragma diſterminat, nempe ſtomacho, ventriculo, ſplene, hepate, vtero, veſica, renibus, inteſtinis, tuto magnoque commodo id tentari poteſt, præſertim ſi ex ijs partibus, vel animi defectus & deliquium, vel alius quiuis affectus ſuboriatur, in quibus etiam frictiones ac ligaturæ adhiberi poſſunt, tum coxendicibus cucurbitulæ affigi, aut ſi res venæ ſectionem expoſcat in pedis pollice, aut circa malleolum, aut poplitem ſanguis adimi. Hac enim ratione, vt in ouillo pecore.

Frictiones & ligaturæ quando vtiles.

Georg. 3.

Profuit intenſos æſtus auertere, & inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam.

In tremore autem cordis ac palpitatione, in Cardiaca ſyncopi, in anhelitus constructione, ac pectoris anguſtia, in gutturis ac faucium tumoribus, manus vellicari debent, ac digiti confricari, præſertim is, qui infimo proximus eſt, atque auro vinciri ſolet, vena media in brachio incidenda ea parte, qua dolor ſe porrigit, cucurbitæ ſcapulis ac brachijs affigendæ, cute etiam profundius ſcarrificata atque inciſa, modò corpus ſanguine & humoribus redundat atque oppletum eſt, nam macilenti, exhauſti, extenuati, fomentis, vino, ſomno, odoribus recreari debent ac refici, vt quibus nihil adimi poſſit aut decidi.

Manus quando vellicandæ.

Macilentis nihil adimendum.

Quod

Quod mira naturæ vi, atque incredibili efficacia ſingulæ herbæ ſingulis proprijſq; membris ac corporis partibus auxilientur, atque aliæ in alias, vires ſuas peculiari effectu proferant.

CAP. IX.

QVO quiſque magis erga Opificem, qui ſingulari quadam ratione in vſum atque vtilitatem hominum omnia produxit, afficiatur, naturæque ſolertia, quam ab illo conſequutus eſt, admiretur ac ſuſpiciat, commonſtrandum duxi, quàm commodè & appoſitè, quamque ſalutari effectu herbæ, quarum aliæ medicamenti, aliæ alimenti, quędam vtriuſque vſum obtinent, ſingulis membris aſſcriptæ ſint & aſſignatæ, ita vt illarum vires, ad eas corporis partes deferantur, quibus natura ſunt accommodatæ. Itaque ſtirpes hoc inſitum habēt, eaque vi ſunt imbutæ, vt natiua facultate nonnullis membris ſubueniant, atque adminiculentur, ſic vt præteritis alijs, ad illa ſe cōferant, quibus ſunt deſtinatæ, ipſaque membra auidè, non ſolùm nutrimentum, ſed medicamētum etiam ſibi ſalutare & proprium alliciant, eoque fruantur. Sic aliæ, lateri, ſepto tranſuerſo, pectori, vocali arteriæ, ſiquando aliquo illa affectu oppreſſa ſit, adhibētur: Alię ſpleni, iecori, renibus, inteſtinis, vtero, veſicæ, capiti, cerebro, oculis, naribus, auribus applicātur, ac medelam conferunt. Nonnullarum herbarum effectus ac vires in neruos, oſſa, medullas, muſculos, lacertos, chordas, membranas penetrant ac deferuntur, eximia quadam vi, eaque cuique membro peculiari ac propria, qua iuuandis firmandiſque, aut expurgandis ab excremento ijs partibus ſunt imbutæ, ita nonnullæ herbæ certa membra reſpectāt, illiſque ſubleuandis dedicatæ ſunt & attributæ. Siquidem

Mirabilis Deus in operib. ſuis.

Herbæ ſingulis membris conſecratæ.

Mēbra ſibi ſalutaria alliciunt.

quidem affecto iecori Eupatoriũ agrimonia vulgò vocata, Cichorium atque ſeridis ſpecies, inter quas vulgaris Scariola refertur, Sonchos, cicerbita, oxalis, hieracium, vbi calida intemperies noxam infert, mirificè auxiliantur: vbi verò frigida affe-

Epati quæ cōferunt.

ctio huic viſceri ſubeſt, aniſum, abſynthium Ponticum & vulgare, caſſutha: Folli, Rhabarbarũ, Chelidonia, ſcamonium, quę flauam bilem deorſum, ac partem ad inteſtina, partem ad veſicam propellunt:

Spleni quæ conferunt.

Spleni qui velitibus ac curſoribus moram inijcit, vbi intumeſcit hęmionitis, aſplenium philitis, hoc eſt, vulgaris Scolopendria, polypodium, ſeu filicula, capparus, tamaricæ, amygdalæ amaræ, nuclei perſicorum, in expurgandis excrementis, ac conciliando huic viſceri robore adminiculantur.

Cerebro quæ conueniunt.

Stomacho ac ventriculo, menta, macer, maſtiche, zinziber, & quicquid ex his poſſit confici. Cerebro, roſmarini flos, acorus germana, vergiliana amaracus, ſampſuchus, vulgò maiorana, & bethonica, Stechadis vtraque ſpecies, nux muſcata, Pæoniæ

Pectori amica.

baccæ & radix, fruticulus qui viſcus dicitur. Pectori ac pulmoni hiſſopus, ſatureia, tymbria, marrubium, tuſſilago, ſcabioſa vel pſora, glycyrrhiſa, hor-

Cordi quæ accōmoda.

dei decoctum, vuæ paſſæ. Cordi crocus, cinamomum, margaritæ ſeu vniones, roſæ rubentes, citria mala, Corallium, hiacinthus, aurum, gariophylli, ceruini cordis os, panis recẽtis etiam odor, vinum generoſum & meracum, quo cor exhilareſcit ac re-

Renib. quæ conueniũt.

creatur. Renibus ſaxifragia, empetrũ, crithmon, lythoſperma, vulgò miliũ Solis, veſicaria, ſolani ſpecies acino in ceraſij ſpeciẽ rubenti atque orbicula-

Vtero quæ apta.

to, daucus, apium hortenſe. Vtero verò partheniũ, vulgò matricaria, quòd vuluã extergat à ſordibus, ſabina, calamentũ, pullegium, cumula, tymbra. gal-

Neruis quæ auxiliãtur

litricum, vulgò *Scerley*. Sic quædam in remotiſſimas, intimaſq; partes penetrant, atq; ad neruos deferuntur:

feruntur: vt hermodactylus, verbaſcus odoratus, vulgo herba paralytica, erythrodanum ſeu rubea, quæ oſſa pecudum ſandicino rubentiq; colore imbuit, ſiquando herbam virentem depaſtæ ſunt, intacta etiam radice, quæ rutila exiſtit: quod etiam in elixis decoctiſque eius pecoris carnibus perſpici poteſt, & in ouis, quæ rubicundo colore radicis huius decocto fucantur. vt glaſto, vulgò *VVeet*, cæruleo: Carthamo, croco, & ochra luteo. Sic quod ſuccinum marinum vocant, aut ſperma cœti, vulgò *VValſcot*, oſſa fracta, rimoſa, fiſſa, hiantia, ferruminat ſeu conſolidat, cui medicamento eã vim ineſſe experior, vt ſolidas etiã pixides, quibus aſſeruatur, penetret, ac roſido quodã madore, aut ſudoriferis guttis irriget. Sic piſſaſphaltũ factitiũ, quod Arabes muniam vocãt, ad caſus, plagas, ruinas, ad loca rupta, contuſa, confracta, diuulſa prçclarè adhibetur, ſiquidẽ reſinata illa cum carnibus oſſibuſq; humanis concretio, obſtactes, myrrhæ, aloës, croci, aliorumq; aromatum mixturam, qua obrui ac condiri Hebræorum cadauera ſolent: quod in Chriſti corpore factitatum legimus: ſolidandi aſtrigendique vim cõſequitur. Sic ediuerſo quçdã diaphoretica, hoc eſt, diſcuſſoria vi humorẽ reſoluũt ac ſudorem prouocãt. Nõnulla genuina inſitaq; facultate vrinã moliuntur, ac calculos atterunt, vt petroſelinũ, ſeu apiũ domeſticũ. vel hortenſe, daucus, ſeſeli, ammi, lapis Iudaicus, ſanguis hirci, liguſticũ, compluraq; alia. Quædã oculis viſum acuunt, vt euphragia, fœniculus, chelidoniũ, ruta. Alia prçſentanea vi venenis obſiſtũt, vt Zedoariũ, laſerpitiũ, ſcordiũ, alliũ, theriaca, mitridaticũ, tum alia quçdã Galeno miris encomijs decantata. Quædã vi ſpecifica ſeu occultata proprietate non elemẽtari qualitate ſuccũ ſibi familiarem expurgant. Sic radix pontica vulgò Rhabarbarum, & Scamonium flauam luteamque bilem.

Succinum marinum.

Munia fractura apta.

Quæ Vrinã moliũtur.

Quæ Venena depellant.

Ad Piſonẽ.

Quæ bilem expurgant.

Melancholia incommoda.

Quæ pituitam exturbant.

Sãguinem defecãtia.

Simpliciũ lib. 3.

Alius qualitatis in herbis effectus, alius ſubſtantiæ.

Simile ſimili gaudet.

Ratio & experiẽtia exiguntur in artibus.

bilem educit. Sena, polypodium, epithimus, hellęborum atram, & ſuccum melancholicum, Cnicos, vulgò Carthamus, agaricus, mercurialis, eſula, & ſeptem Tithimalli ſpecies pituitam & aquoſos humores. Fumaria, Caſſia, Calyndracia, vulgò fiſtularis violæ, pruna Damaſcena, bugloſſus ſanguinẽ à feculenta eluuie expurgãt. Omnia autem medicamenta, quæ purgandi vi pollent, ſimilitudine totius ſubſtantiæ, vt Galenus teſtatur, atque occulta proprietate formaque ſpecifica hæc ipſa perficiũt. Non enim virtus elementaris, quæ conſiſtit in calidi, frigidi, ſicci & humidi temperamento, efficit, quòd medicamentum vomitũ excitat, ac vel hunc vel illum humorem educit, ſed ſimilitudo totius ſubſtantiæ, quæ caloris impulſu ac cœleſti vi incitata, humorem ſibi familiarem & affinem ad excretionem impellit. Sic Galenus attractionem, ſubſtantiæ ſimilitudine fieri aſſerit, qua indicat ſimilitudinem quandam ac cognationem ineſſe vtriſq; ſubſtantijs, & eius, quod purgat, & quod purgatur: porrò cùm quod purgatur, pituita ſit: id quod expurgat, pituitoſum ſit, neceſſum ſit, neceſſe eſt: quo indicat inter humorem ac medicamentum ſimilitudinem eſſe ac cõuenientiam, naturæq; conſenſum, qui qualitatibus primis non aſcribatur, ſed ſubſtantiæ. Alia itaque ratione herbarum vires explorandæ ſunt, quæ qualitatis vi, hoc eſt, caliditatis, frigiditatis, aut humiditatis ac ſiccitatis ratione aliquid efficiunt, & quæ totius ſubſtantiæ proprietate, effectuque cœleſti, ſeu influxu ſiderum ſuam vim in corpus exerunt. Illæ enim, quę corporis qualitatem immutant, ratione ac iudicio exploraudæ: illę verò, quæ quantitatem atque exuberantiam humorum expurgant, experientia atque vſu quotidiano eruendæ. Ita in prioribus iudicium & delectus: in poſterioribus experimentum exigitur:

quorum

quorum alterum, vt Hippocrates ait, difficilè, alterum fallax & periculoſum. Sic purgantia medicamenta, & quæ humores è corporibus exturbãr, aut denique venenata, quæ corpori pernicioſa ſunt & infeſta, quibus nonnullæ gentes, vt aliæ ferro, in corpora illorum, quos extinctos cupiunt, graſſantur, vſu & experientia exploranda ſunt, non enim caliditatis ratione id efficiunt, alioqui piper, Cardamomum tale quiddam præſtarent, ſed inſita vi ac genuina proprietate: Cui ſententiæ Hippocrates aſſentire videtur, cùm inquit, Pharmacum cùm in corpus ingreſſum eſt, primùm id, quod omniũ ſibi maximè ſecundum naturam familiare, cognatum, ſimile, affine eſt, attrahit atque educit, deinde reliquos etiam humores agitat, eoſque ad excretionem impellit. Vt enim ſtirpes, quæ ſibi maximè naturali propinquitate coniuncta ſunt, alliciũt, eoque ſucco fruuntur, atque in alimentum tranſmutant: ita quoque medicamenta, quæ expurgandis humoribus ſunt deſtinata, ad ſimilia deferuntur, eaque vel per infernas, vel ſupernas partes exturbant. Quocirca nemo vt anile ac ridiculum reſpuat, quod aſſerimus, ſuo cuique membro peculiares herbas eſſe conſecratas atque addictas: cùm Cantharides, quibus eſt natura exhulceratrix, ſi foris cuti admoueantur, nullas partes internas, Galeno teſte, præter veſicam exhulcerent, adeo, vt per ſtomachum & ventriculum inoffensè, ac citra læſionem deferantur, per hepatis meatus ad veſicam penetrent, nec vlli parti, præterquam veſicæ exhulcerandi vi infeſtæ ſint. Sic ſuccus papaueris nigri, & cicuta cordi ac cerebro: Lupus marinus pulmoni perniciem adfert: quanquam omnia venena, niſi vomitu excutiantur, aut antidotis, retundi atque hebeſcere contingat, ſenſim ad cor penetrãt, etiam foris admota, quòd rabidi canis morſus &

Lib. de natur. huma.

Simile à terra & ſemine.

Cantharides exhulcerant.

Ad Piſonẽ.

Venena etiam foris admota, cor petunt.

ſaliua, quæ vulneri inhæſit, commonſtrant: nam penetrabili vi, eroſa primùm cute, ad pręcipuas partes virus deuehitur, ac rabiem concitat. In ſimiles cauſas referri debet, quod magnes ferrum, gagates & ſuccinum feſtucas & quiſquilias, aliaque venti ludibria allicit. Siderum quoque influxus in res ſublunares infernaſque vim ſuam efficaciter exerit. Sic Mars flauam bilem concitat, Saturnus melancholiam exaſperat, Luna pituitæ incremento eſt. Sol & Iupiter ſanguini dominatur, Planetarum quoque vis metallis, lapidibus, gemmis, herbis ac ſtirpibus, omnibuſque ſubterraneis incumbit, auro, argento, æri, ferro, plumbo, ſtanno, & quicquid è terræ latebris vel in vſum & commoditatem, vel in luxum & delicias erui ſolet, quorum quodque vires & incrementa à peculiari aſtro conſequitur.

Siderũ vis humoribus incumbit.

Siderũ vis metallis incremento eſt.

Sexum ineſſe ſtirpibus, atq; alias aliis affici.

C A P. X.

VT homines non eodem ſunt erga omnes affectu atque animi propenſione, tametſi id naturæ ordo ac communis vitæ cōditio exigat, ſympathia quadam, hoc eſt, mutuo conſenſu erga pleroſque afficiuntur, illoſq; habent deuinctiores: ab aliis verò latenti tacitaq; atque arcana diſcordia diſſidēt ac diuelluntur, nec ſuſtinent in vllam vel amicitię vel familiaritatis partem aſciſci: Sic ſtirpes & inanima quædam, inſita occultaque naturæ inclinatione, nonnulla fouent & amplexantur, alia hoſtili odio auerſantur ac refugiũt. Vt enim ex innumeris pauca referā: Argentum viuum auro ita afficitur, ſeſeque illi ſic circumuoluit, vt nullus eius metalli color appareat, adeò, vt niſi igne atque aqua forti eximi exteriq; poſſit, ac priſtino nitori reſtitui, Magnes ferrum rapidè ad ſe allicit, niſi oleo oblitus

Amicitia & inimicitia rerum.

Argentum viuũ auro afficitur.

Magnetis natura.

ſitus ſit. nam tunc ob læuorem reſpu t, nec eius vis in ferrum penetrat. Succinum, gagates, adamas attrahendis paleis ac feſtucis delectantur, omniaq; præter Ocymum, vulgò baſilicum, ad ſe rapiunt. In animantibus Delphinus piſcis incredibili erga homines, atque præcipuè impuberes eſt affectu, illiſque colludere geſtit, ac miris blandimentis gratificari. Lacerta, vulgò *Ectiſſe*, viridanti ac poriaceo tergo, conſpecto homine, mirè geſticuloſa eſt, caudæq; agilitate, ac crebro motu, vt canis animal domeſticum, pueriliter blanditur, atque à latitãte in herba ſerpente tuetur. Elephantus hominis cõſuetudine vnicè frui exoptat, illique in omnibus (modò blandius compelletur, nec acerbius inſtes) obſequitur, atq; ad quiduis paratus eſt, alias calcitroſus & retrogradus. E diuerſò lupus cùm homini, tum omnibus animantibus inhiat. Crocodilus, de quo prouerbiũ, Crocodili lachrymæ, homini inſidias ſtruit, ac deuoratum decerptumq; deplorat. Hyena, quæ inſidioſa calliditate atq; aſtutia vocem hominis imitatur, eumq; dilacerat. Ceraſtes cornicu-lis armata belua tribui Dan aſſcripta, Draco, Hydra, Dipſas, cuius morſus, ſiti atq; inexplebili bibendi auiditate hominẽ excruciat. Coluber, aſpis, vipera, ſcorpius, multæq; aliæ nocẽtes beſtiæ homini potiſſimè inſidiantur, atq; venenatos morſus ac peſtiferos aculeos infigunt. Vtitur aũt pleriunq; Deus horum miniſterio ad caſtiganda hominũ ſcelera, cùm illius verbo ac voluntate minus obſequuntur. Cuius rei multa extãt documẽta in Bibliorũ hiſtorijs. Cæterũ herbis quoq; cõſenſum ineſſe, ac naturę cognationem, denique diſſidium ac diſcordiam plurimæ demonſtrant. Siquidem cucumeres aquam appetunt, eaque affluentius irrigari poſtulant, adeò, vt ſi paulò remotius ab hac abſiſtant, eò repant atque enitantur: Econtra oleum reſpuunt, atque,

Succini natura.

Delphini in hominẽ amor.

Lacerta erga hominẽ ſtudium.

Elephãti in hominem obſequiũ.

Crocodili lachrymæ, prouerbiũ.

Gen. 49.

Deus noxijs beſtijs homines vexat.

Numer. 21.
Deut. 8.
Ezech. 5.

Herbis cognatio & affinitas.

Cucumerũ natura.

atque auerſantur, eoque perfuſi gracileſcunt atque emoriuntur. Vitis verò in oleæ confinio conſtitui gaudet, atque eius inſitionem admittit, illique maritari exoptat. Quercus verò & Olea inter ſe aduerſiſſimæ tanto & tam pertinaci odio diſſident, vt ſi altera alterius ramos attingat, incuruеſcant, ac retorti reſiliant, alioque ſe inclinent. Sic vitis à lauri vicinitate abhorret, quoniam hæc vmbroſa ſit, ſuaque caliditate illius incremento officiat: pari eſt affectu erga Braſſicã, quæ Caulis nomine vulgò innoteſcit, quòd ſuccum terrę depopulatur, quo deſtituta vitis areſcit, vtraque enim ſtirps humoris eſt præauida. Ita ſtirpes aliæ aliarum affinitate & cognatione delectantur, mutuoque ramorũ aut coliculorum amplexu recreantur: aliæ auerſæ ſe ſubducunt, nec vlla ratione vniri ſuſtinent. Sic reſinata quædam, & quæ pingui ſubſtantia conſtãt, inter ſe conſentiunt, hinc pix oleo eluitur, etiamſi veſtes ſericæ, holoſericæ ſeu villoſæ, quæ flueta vulgò vocantur, denique coccineæ, oſtrinæ, vermiculatæ, quæque purpura ac muricę tinctæ ſunt, ex ea næuos ac maculas contraxerint. Omnia enim huiuſmodi inquinamenta ac ſordes butyrum ac oleum tam nitidè eximunt atque emaculant, vt ne veſtigium quidẽ vllius lituræ appareat. Sic Smegma & qui Sapo vulgo vocatur, quo lintea confricata lotione niteſcunt, ex oleo, pingui fuligine, butyro rancido, cineribus piceæ arboris conficiuntur. Atqui vt inter tot ſtirpium genera tantus eſt conſenſus & conſpiratio, vt inuicem ſe amplexari ac tetigiſſe geſtiãt: ita inter eiuſdem ſpeciei herbas, ſexus diſcrimen deprehenditur. Eſt enim inter has coniunctio, & quaſi quædam coniugij ſocietas & communicatio, ſic vt plantæ in alterius, cui afficiũtur, confinio conſtitutæ, ſpecioſius adoleſcant, ac ſint cùm fructu, tũ frondium pompa ſpectatiores: languеſcant

Vitis Oleæ amica. *Quercus Oleæ aduerſatrix.* *Laurus vitis inimica.* *Braſſica vitis inimica.* *Pix oleo eluitur.* *Butyrũ & oleũ ſordes eximunt.* *Sapo vnde conficitur.* *Sexus in ſtirpibus.*

ſueſcant verò & contrahantur, ac nonnunquam intercidant, cùm ab ijs diuulſæ ſunt ac diſſociatæ. Atque hinc emerſit, quòd herbę quædam, aliæ maris, aliæ fœminæ nomine deſignētur: fœminæ quidem, quę minus habent virium ac roboris, frigidaque atq; infœcunda humiditate imbutæ ſunt; quo fit, vt ſuo tempore floreſcant quidem, ſed propter caloris inopiam aut debilitatem, fructu, baccis, acinis, ſemine deſtitutæ ſunt, ita quæ poſt floſculorum dęfluuiũ nihil tale exhibent, ſed exile quoddam atque inane fructus rudimentum; quod ob caloris penuriam, ac naturæ impotentiam nõ perficitur, in fœmineum ſexum referuntur: Maris verò nomine inſcribũtur, quæ magis ſpectabiles ſunt ac ſpecioſæ, pompaque atque apparatu foliorum ac frondium luxuriant, tum ſpectatiſſimè adoleſcunt, ipſaque maturitate, fructum ac ſemen proferunt, quo propagari poſſint, ac reuiuiſcere, quod ipſum alteri ſexui denegatum eſt, niſi fortè maris vicinitate blandoque amplexu fœcunditatẽ aſciſcat, illique maritata in ſemen & fructum protuberet, atq; intumeſcat; quod in palma perfici Plinius teſtatur. Siquidem fœmina afflatu halituq́; promanante à maſculo concipit, ac fertilis fœcundaque efficitur: nutante ac prona blandioribus comis, in marem fœmina, quę ſterileſcit maſcula arbore exciſa; itaque non ſine maribus gignere fœminas Arabes confirmant, concepto flore ac lanugine, aut aliquando puluere inſperſo fœminis. Simile enim quiddam huiuſmodi ſtirpibus euenit, quod gallinis, quæ oua quidem abſque galli opera edunt, ſed quæ animari formarique in pullos nequeãt, quantumuis gallinæ incubitu foueantur, atque incaleſcãt. Nec diſpar eſt ratio in mulieribus, in quarum vteri conceptaculis ex ſanguine ac ſeminalis excrementi confluuio maſſas quaſdam conglobari ac

concipi

Quæ herba fœmina, quæ mas.

Fungiperdæ ſtirpes.

In herbis affectus Venereus.

Lib. 13. c. 4.

Palmæ natura &c.

Simile à gallinis, & fœminis, quibus mas deeſt.

Fœminæ informes maſſas edunt.

concipi cõtingit citra viri miniſterium, aut adminiculum. ſed quoniam virile adiumentum deſideratur, ac cauſa efficiens, quæ formam ac vitam miniſtrat, ſpirabilemque vim confert, abeſt, tota illa concretio ac congeries informis eſt, atque inanimata. Quocirca herbæ vegetante vi præditæ non minus, quàm animantes, quæ lubrico vdoque ſemine ſe propagant, generandi vim ac vitalem ſpiritum aliæ in alijs transfundunt, mutuoque complexu ac concubitu fruuntur, atque id ipſum tacito quodam naturæ conſenſu, ac latenti occultaque inſpiratione, quam ab aeris ſoliſque calore conſequuntur, ac genitali mundi ſpiritu, quo ſtirpes viteſcunt, fouentur, germinant, animantur, florent, ac ſemina fructuſque concipiunt & proferũt: quæ vis toti mundo, omnibuſque eius partibus infuſa eſt, qua cuncta continuata perennique ſerie ſubſiſtunt. Scitè itaque Theophraſtus, tum alij rei herbariæ indagatores in marem ac fœminam ſtirpes diſcriminant, ratione, qua ſemine fructuq; fœcundæ ſunt, aut effœtæ & ſteriles. Sic Pæonia maris nomine inſignita dehiſcentibus ſenſim corniculatis folliculis ac ſiliquis, hic baccis atro colore perpolitis, illic rubentibus ac coccineis ſpectabilis eſt; atque oculos reficit, non ſine præſentanea expurgandæ epilepſię efficacia: quo blandimento fœmina deſtituta eſt. Mandragora quoque fœmina vel ſterilis eſt, vel fructu exili. Maſcula verò amabile blandumq; atque odoratum pomum profert, gallinacei oui vitello aſſimile, cuius auiditate atque illecebra Rachel paſſa eſt Liam Iacobi Patriarchæ concubitu potiri, quò, vt eccleſiaſtici quidam ſcriptores opinãtur, fœcunda effici poſſet, & cõceptu impleri. Cui rei nulla mihi naturalis ratio ſubeſſe videtur, nec veriſimile eſt, Mandragoram ſterilitatẽ expugnare, cùm inſigniter refrigeret, niſi fortè calidæ

Spiritus mundi omnia fœcunda præſtat.

Lib 3 c.9.

Pæonia ſemen ſpectatiſsimum.

Cantic.7.

Geneſ.30.

Auguſti. in Geneſim.

Mandragora an con-

calido atque æſtuanti, torridoq; vtero, quẽ conceptui inidoneũ, vt etiam impensè humidũ teſtatur Hippocrates, prodeſſe ſtatuas, illumq; ad tẽperiem reducere, vel etiam quòd ſomnifica vi ac ſoporata, retinendi ſeminis vim vuluæ cõferat. Huiuſmodi etiã ſexus diſcrimen in lauro, palma, corno, olea, viola lutea, quercu, multiſq; alijs obſeruari poteſt, quarum quæ maris nomine deſignantur, floribus, fructu, ſemine fœcundæ ſunt: quæ verò fœminæ, ſterileſcunt, atque effœtę conſpiciuntur. Inter ſylueſtres quoque & vrbanas ſeu hortenſes cura atq; induſtria hominum excultas nuſquã non tale diſcrimen ſpectatur, ſic tamen, vt ſilueſtres, & quæ ſponte emergunt, cultu edomitæ in vrbanas ac domeſticas trãſeant. Vt enim ruſticus quamlibet impolitus & rudis, ſi in aulam transferatur, cultiſque veſtibus adornetur, ac victui delicato aſſueſcat, diutino vſu & conſuetudine in aulicũ, viruṃque generoſum tranſit, licet aliquando nonnulla ruſticani incultique hominis veſtigia ſe proferant: ita quoque herbæ agreſtem conditionem, naturamq; ſilueſtrem exuunt, culturæ beneficio, atque hominum induſtria. Econtra vrbanæ atque hortenſes ſtirpes ſilueſcunt ac degenerant, niſi diligens cura ijs adhibeatur, non ſecus, quàm generoſi aliquot proceres, qui inter ruſticanos homines verſantur, frequenter inurbanorum commercio, ab auita nobilitate, à moribus ingenuis, à liberali educatione, ab heroica maieſtate, à vitæ comitate deſciſcunt, atque ab humano ciuilique cultu ad feram atque agreſtem viuendi conditionem deuoluuntur. Et quemadmodum hortenſes herbæ ac frutices ſpectatiores ſunt induſtria cultuque hominum, atque magis miteſcunt, quàm ſilueſtres; ab ijs tamen emerſerunt ac propagatæ ſunt, ita vt in eaſdem rurſus deficiant, niſi excolantur. Ex his coniecturam

ceptum perficiat.

Simile à ruſtico.

Simile ab Aulico qui in ruſticũ degenerat.

Herba ſilueſtres priores hortenſibus.

facito

facito ſtudioſe lector, quid cùm in rebus omnibus, tum in homine potiſſimum momenti adferat cultus atque educatio, quid corporis ac tuendæ valetudinis cura, vt vtriuſque pártis ſalus & incolumitas ſubſiſtat ac conſeruetur, qua profectò nihil homini obtingere poteſt optabilius.

Ab herbis ad homines reducenda cultura.

Murenæ, quas Belgæ Pricken *vocant, in fumario exiccatæ, tædæ atque ardentis facis vicem, vſumq́ præbent, ſi accendantur.*

CAP. XI.

Lampetræ vnde nomẽ ſortitæ.

MVRENAE, Lampetris, quæ à ſugendis lambendiſque petris hoc nomine appellantur, forma figuraque corporis ſunt affines, licet magnitudine impares, piſciculi lubrici, longo teretique corpore, minutis illis anguillis, quæ Belgis *Ael* vocantur, (nam *Palinck* procerior eſt) aſſimiles, ſeptem foraminibus læua parte diſtinctæ. Porrigitur autem iјs piſciculis à capite ad caudam non ſpina vt reliquis, ſed neruus cartilagine mollior, quo flexuoſa ac viuaci agilitate ſe conuoluunt, agitant, intorquent, in gyrum flectunt, contrahunt, dilatãt, ſubſiliunt, geſticulántur, prorepunt, ac ſerpendo progrediuntur Nam ſpiritus vitalis in extrema caudę parte conſiſtit, qua perimuntur potius, quàm contuſo capite. Belgis autem *Pricken* vocantur, quoniam acuminato roſtro nauium tabulatis, naſſis, ſagenis, hominumque corporibus mordicus adhæreſcant vt hirudines, atque omnia, documento ſæuitiæ, morſu appetant, pungant, ſtimulent, decerpant, dilanient. ſic quòd ſtimulos admoueant, atque aculeatos dentes infigant, *Pricken* vocãtur. Piſciculus hic experimentum nobis exhibuit, non cuiuis, vt opinor, obſeruatum, cui etiam naturalis ratio ſubeſt, ac fidem factura eſt, ſi experiri libeat.

Murenæ deſcriptio.

Murenis in caudá ſpiritus vitalis.

Præbet

Præbet enim piſciculi hoc genus, quod inuerſæ cã-lelæ formam ac ſpeciem exhibet, faculæ aut funa-is accenſi vſum ac commoditatem, vbi in hypo-auſto aut vaporario exiccatur, vt mos eſt Belgis; ialeca ſeu triſſas atque haringas, ſalmonem, ſucci-liam, pernas, armos, ouillos, coxendices, petaſo-ies, tomacula, farcimina fumo indurata, aut A-quiloni, rigidoque alicui vento expoſita, in mul-am æſtatem aſſeruare; itaque admotus igni piſci-ulus, aut fomite aliquo accenſus, vt ſunt ſtipulæ, ut ſtramenta quædam ſulphure oblita, quorum ommoditate candelas ſebaceas, cereos, tædas, fu-ialia accendimus, flammam confeſtim concipit, tque inardeſcit, eoque tanquam face accenſa, diſ-uſſis nocturnis tenebris, ædes paſſim collucent, in ieri, ac familiæ, vernarumque miniſterium. Cùm :nim reſinata quadam pinguedine imbutus ſit, at-que ambiente adipe vndique perfuſus ac conſtipa-us, ita vt etiam in craticula toſtus, anguillæ more itiſſime flammam concipiat, ac tractantis digitos leurat, in fumanti camino exiccatus, cõgeſtis bi-uminoſis glebis & ceſpitibus, non minorem com-noditatem, quàm candelæ ac funalis accẽſi flam-ma exhibet. Cùm enim neruus, qui ſpinæ loco illi per tergum producitur, elychnij, hoc eſt, contorti funiculi vicem præbeat, cui tanquam baſi erectæ flamma incumbit, illique fomitem miniſtrat con-creta pinguedo, ac ſeui ambientis incruſtatio, fit vt igni aut flammæ admotus, luminoſa face cœna-cula illuſtret: tametſi properè liqueſcat, nec tã diu-turnum eius rei vſum præbeat, quàm candelæ ex bubulo, ouilloque adipe confectæ, quę minus dif-fluunt, ac ſerius abſumũtur. Quocirca vbi funalia, tedæ, cerei, faces, candelæ, lucernæ, aliaque lumina-ria deſunt, in horum inopia piſciculi huius vſu & commoditate vti licebit, præſertim ſi eo tempore

Murenæ exſiccatæ inardeſcũt.

Murenæ ſpina neruus eſt, non os.

Murenæ quo tempore pingueſcant. ſint exiccati, quo adipoſi efficiuntur & pingueſcũ quod ineunte vere ipſoque Martio ac Aprili fieri conſueuit, denique appetente autumno, hoc eſt duobus æquinoctijs, quibus nullus caloris aut frigoris exceſſus eſt.

De Ouo à Gallo edito, & qua ætate, atque annorum decurſu id proferat: deniq; quid ex eo progeneretur, tũ de lapide Gallinaceo, & Aetite gẽma

CAP. XII.

GALLVS inter cicures & manſuetas alites præ cæteris animoſus atque erecta rubentiq; criſta in vertice inſignitus, crocitante ſonitu, plauſuque alarum, leoni ferarum generoſiſſimo atque impauido formidinem terroremque incutit: hic tanto virium robore creditur, vt non facilè ſubigendis gallinis defatigetur aut laſſeſcat, quamlibet id ſæpius factitet. Et cùm omne animal à coitu, peractaque Venere contriſtari ſoleat, atque animo cõtrahi, ſolus hic exhilareſcit, ac cantu alacritatem ſpiritus teſtatur; vbi verò decrepitus eſſe incipit, ac ſenectute confici, quod nonnullis ſeptimo, nono, aut ad ſummum decimoquarto euenit, pro virium vel robore vel imbecillitate, aut etiam concumbendi aſſuetudine, qua nulli non animantium naturæ vis deijcitur atque eneruatur, ouum profert æſtiuis menſibus, ac Caniculæ ſideris exortu, ex putrefacto, opinor, ſeminis excremento, aut humorum colluuie conflatum, forma non oblonga, vel ouali, vt gallinis aſſolet, ſed rotũda atque orbiculata, colore modo luteo, buxeo, flaueſcenti, verſicolore, lurido, ex quo produci Baſiliſcũ, Latinè Regulum, nõnulli opinantur, venenatã beſtiam, ſeſquipedali magnitudine, triplici frontis apice, tanquã regio diademate inſignitã, erecto infeſtoq; corpore, atq; oculis

Gallus leoni formidabilis.

Venus omne animal mœſtũ efficit præter gallum.

Gallus quo tempore ouum edat.

Baſiliſci deſcriptio.

aculis vibrantibus, quibus obuios halitus contagione conficit. Vulgus in tota Europa ea opinione eſt imbutum, vt ex hoc ouo Baſiliſcum prodire ſtatuat, ſiquando à rubeta ſeu bufone fotum ſit: quod an fabuloſum & commentitium, non auſim certò pronunciare: hoc tamen experientia comprobatum habeo, gallum incubatu id ipſum perficere. Ita noſtra memoria in ciuitate Zirizæa, atque inſulæ huius ambitu, duo annoſi galli ægrè etiã fuſtibus abacti, ab oui incubatione abigi depelliq; potuerũt: ita quoniã ciues eam perſuaſionem concepiſſent, ex huiuſmodi ouo Baſiliſcum emergere, ouum cõterere, ac gallũ ſtrangulare viſum eſt. Quod autem gallus ouum concipiat, ſuoq́; tempore, hoc eſt, vndeuigeſimo die rupta teſta excludat, inquiſitione dignũ. Ego ex conglobata intus cõcretione putri, ac calore alitis circũfuſa teſta tale quiddam prouenire imaginor, præſertim cùm à concũbendi vſu & cõſuetudine deſueſcit; tunc enim excrementum intus cohibitum coagulatur atq; indureſcit in ouum, quod vbi vel ab ipſo gallo, vel alio animante foueri contingit, venenatus ex eo vermis, aut alia quædam virulenta beſtia producitur, quã Baſiliſci nomine deſignant, quod ſerpentis genus Aphricæ aliiſq; præuſtis ac ſiticuloſis regionibus peculiare. Vt autẽ lumbrici & vermes humanis corporibus innaſcuntur, atque ex humorum putredine, caloris beneficio animantur, ac viuacem agilitatem concipiunt: vt veſpæ, ſcarabei, erucæ, muſcæ ex fimo bubulo aliiſq; putridis humoribus enaſcuntur: curculiones in tritico: teredines in ligno, glande, nucibus auellanis, caſeo, caloris atq; ambiẽtis aeris miniſterio ſcaturiũt: ſic ex hoc ouo venenoſus vermis, aut alterius generis nocẽs, monſtroſaq́; beſtia Baſiliſco nõ abſimilis, erũpit, quæ contactu, afflatu, halitu, expiratione, ſibilo obuiis infeſta ſit,

An à galli ouo Baſiliſcus prodeat.

Rei geſtæ narratio de Galli ouo.

Gallo vnde concretio oui.

Simile Vermiculorũ naturæ.

Anguis ex ſpina hominis. atq; exitioſa. Sic ex ſpinæ humanæ putrefacta medulla anguem progenerari memoriæ proditũ eſt. Naturam autem ac conditionem Baſiliſci, qui ex venenato alimento nocendi vim concipit, clariſſimi quique ſcriptores depingunt, eoque accuratius, quòd viſu, halitu, ſibilo eminus infeſtus ſit, ac mortem inferat: cùm alij ſerpentes niſi cominus contactu ac morſu, ſparſoque veneno corpus inficiãt. Sic Lucanus cùm multa ſerpentum genera deſcribat, tum Baſiliſci naturam his verbis proſequitur.

Libro 9.

Ante venena nocens, latè ſibi ſubmouet omne
Vulgus, & in vacua Baſiliſcus regnat arena,
Sibilaq; effundit cunctas terrentia peſtes.

Quo indicat, Regulum viſu obuios quoſque percutere, ac venenoſo halitu inferre mortem; antequam venenum corpori propius admoueat. Quod autem vulgus exiſtimet, ac ſeriò ſibi perſuadeat, in noſtris regionibus tam pernicioſum nocentemq; ſerpentem aliquando produci bufonis incubitu, ac nonnunquam in ſubterraneis antris ac ſpecubus Baſiliſcos inferre mortem hominibus, ſiquando in ea loca ſe conferant, anile cenſeo: cùm halitus viroſi pedor, ſitus, graueolentia, fœditas, quæ à tetris horridiſque locis emanant, ſpiritum intercipiant, atque hominem nonnunquam ſtrangulent, quod etiam aliquando venenatas beſtias, quæ in huiuſmodi latibulis delitеſcunt, perficere, non eſt, quod quis ambigat. *Baſiliſci ſilueſtres.* Teſtantur ſcriptores quidam eruditi in Saxonia Baſiliſci quoddam genus ſilueſtre paſſim conſpici capite acuminato, colore flauo, longitudine dodrantali, hoc eſt, trium palmarum, inuſitata craſſitudine, ventre maculoſo, multiſque candidis punctis inſignito, tergo cæruleo, cauda turbinata atque incurua, hiatu rictuq; oris, pro corporis proportione, immenſo: qui ſerpentes an inter Baſiliſcos referri debeant, non auſim certò

Baſiliſci in Germania.

pronun-

ronunciare; neque enim impunè ſe illis opponerent agricolæ. qui intrepidè fuſtibus ac tridenti vel furca illos adoriuntur, nulloque percepto incommodo, aut halitus contagione conficiunt Sunt autem aliquot ſerpentum genera, quæ caulas & ſtabula funeſtant, atq; armentis veneno infeſta ſunt, nempe Hydra, Aſpis, Coluber, Vipera, Baſiliſco noſcēdi feritate ac malitia affines: Quod venuſto hoc carmine expreſſit Virgilius:

Sæpe ſub emotis præſepibus, aut mala tactu Georg. 3.
Vipera delituit, cœlumq; exterrita fugit.
Aut tecto aſſuetus Coluber ſuccedere, & Vmbræ,
Peſtis acerba boum, pecoriq; aſpergine Virus:
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus Anguis,
Squammea ſublato conuoluens pectore terga,
Atq; notis longam maculoſus grandibus alnum,
Stagna colit, ripisq; habitans, hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræq; ardore dehiſcunt;
Exilit in ſiccum, ac flammantia lumina torquens
Sæuit agris, aſperq; ſiti, atq; exterritus æſtu
Voluitur ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Hæc & pleraque alia Serpētum genera non deeſſe Germaniæ exiſtimo, vt etiam aliquam Baſiliſci ſpeciem, ſed quæ non tam exitiali ac peſtifero veneno imbuta ſint, quàm quæ in Aphrica, torridiſque regionibus nidulantur ac ſtabulant. Ab horum ſæuitia atq; immanitate, ſacratiſſimi olim vates multis locis appoſitiſſimas ſimilitudines deſumpſerūt. Siquidem Eſaias ad Baſiliſci partum alluſiſſe videtur, cùm inquit, Concepto facinore nequitiam pepererunt, oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in Regulum. Quo indicat illos in re nihili, nulliuſque momenti anxiè laborare, & quidquid moliuntur, noxium eſſe

Cap. 59.

Eſaiæ locus explicatus.

eſſe ac damnoſum: doctrinam quoque eorum plenam eſſe virulentijs, ac venenato halitu perniciem adferre auditoribus: obiter quidquid ab ijs prodit ac promanat, vt à Baſiliſco ac venenoſis beſtijs exitiale eſt & pernitioſum. Solomon quoque vini intemperantiam, quæ mentem in furorem ſubinde rapit, ac lethaliter afficit, noxijs infeſtiſque ſerpentibus comparat: Non intuearis, inquit, vinũ, quando flaueſcit, & cùm ſplẽduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, at in poſtremo mordebit vt Coluber, & tanquam Regulus venena diffundet. Vt autem lupus obuijs vocem adimit, aut raucedinem afflat, halitus qui ab eo promanat, contagione: ita quoque Baſiliſcus afflatu, ac ſibilo, tanquam emiſſo iaculo, paulò etiam remotiores conficit: Nec ſolũ homini, reliquiſque animantibus inſidiatur, atque infeſtus eſt, ſed etiam fruges ac ſata contactu ſuo fœdat ac polluit. Nec eſt vllum animantis genus, quod aduerſus hunc ſerpentem ſubſiſtat, niſi muſtela, quam Belgæ *een Weſel* vocant, quæ rutæ eſu munita atque armata, intrepidè illum aggreditur, atq; extra cauernas ac latebras, in quibus deliteſcit, protractũ conterit: & niſi muſtela demortuo ſerpente confeſtim ſe ſubducat, paſtuque rutæ rurſus reficiatur, ipſa quoq; ex aeris ambiẽtis cõtagione ac fœditate ſuffocatur. Quocirca nõ inconſultè faciũt, qui in cultura hortorũ huic herbę pręcipuum locũ attribuunt, cùm pręſentanea vi veneniis obſiſtat, nec vllũ ſerpentis genus ſub huius vmbra ſe recondat. Ita ſi quis Mandragorã, cicutam, hioſciamũ, ceruſam, papaueris nigri ſuccum, tum pleraque alia, quæ immodica frigiditate ſtuporem inducunt, aſſumpſerit, Rutæ ſucco, eiuſq; ex vino decocto, reuiuiſcit, ac malum diſcutit. Cicuta quoque, qua Socrates extinctus legitur, aut ſi quæ ſint algentis frigidęque naturæ, quale papauer, lactuca, portula-

Prouer. 23.

Simile à lupo, qui vocem adimit.

Muſtela Baſiliſco hoſtis capitalis.

Plin. lib. 8. c. 21.

Ruta vis.

Ruta frigida venena obtundit.

ortulaca, vim rutæ ſi quando affluentius aſſumpta fuerit, retundit ac reprimit: ſi quidem Ruta effectu feruido atque vrenti, corpori noxam infert copioſius aſſumpta. Sic obſeruaui graſſante morbo populari, ac ſæuiente peſte, quotquot rutã aceto imbutam identidem naribus admouerent, quò aeris contagia diſpellerẽt, puſtulas in ſuprema imaq; labri parte contraxiſſe. exhulcerat enim foris admota, atque vlli parti affricata, veſiculas excitat, quamobrem carbunculis & bubonibus, aliiſq; tumoribus, qui in peſte ſe proferunt, cõmodè adhibetur; elicit enim virus, nec patitur intro reſilire venenatos halitus. Sic ex fermento acri & ſalito, contuſa ruta, ficubus, cãtharide, cæpe & ſcilla toſtis, calce viua, ſapone Gallico, ammoniaco, & theriacæ momento emplaſtrũ cõfici iubeo, quod affectæ parti maturè admotũ, cõfeſtim delitefcẽtes ac reconditos tumores perrũpit: intrò verò exhibitis antidotis, quæ contagioſam fuliginẽ à corde diſſipãt ac diſcutiũt, inter quæ præſentanea, Theriaca, & mitridaticũ, drachmæ aut ſeſquidrachmæ pondere, pro ætatis ratione, aut virium robore, ex vino propinatũ, aut decocto florũ Calthæ, quę Belgis ab aurato luteoq; colore *Goudtbloemen* nominãtur. Cæterũ cùm mõſtroſus hic galli partus, ex cuius ouo Baſiliſcũ emergere vulgus opinatur, nullos non terret, ac formidine concutit, tum lapis alectorius, hoc eſt, gallinaceus omnes afficit, atque à nullo non expetitur: ſi quidem hoc geſtamen virile robur adauget, ac cùm fortitudinem, tum in rebus aggrediendis confidentiam adfert. eximitur autem ex caſtrati galli, hoc eſt, capi, cui teſtes execti ſunt, ventriculo, tenui membrana aut pellicula incluſus, quarto, à quo in ſpadonem & eunuchum deſciuit, anno; gemma hæc colore eſt pellucido, criſtalli ſpecie, magnitudine fabæ. Credo autem

Ruta corpori admota, adurit.

Emplaſtrũ ad tumores peſtilentes.

Quæ cor à fuligine liberant.

Alectoria gẽma quid præſtet.

Capo vnde gemma innaſcitur.

hanc ex ſeminali excremento concreſcere ac conglobari caloris naturalis adiumento. Cùm enim natura ſemen elaborare in hoc alite non deſinat, licet inefficax atque inualidum, ac vires deſint ad profundendum excoctum liquorem, in lapidem is dureſcit. Sic lac in mamillis lapideſcit, vbi non emungitur, atque in apoſtematum collectionibus, lapidoſa quædam congeries ac concretio aliquando eximitur. Vt autem gemma alectoria viris fauorem conciliat, atque apud mulieres gratioſos efficit: denique in proferendo virili robore, quod in congreſſu maritali, ac Geniali thoro exigitur, ſi quando procreãdis liberis operam impendunt, validos robuſtoſque pręſtãt: ſic Aëtites lapis in aquilæ nido repertus, reſonantibus intus minutis lapillis, fœminis lubricis concipiendi vim confert, alligatus pectori aut ſiniſtro brachio, per quod à corde verſus digitum annularem minimo proximum arteria decurrit: quibus partibus ſi toto geſtationis tempore gemma incumbat, fœtum fulcit, nec vllus eſt abortus, aut excutiendi fœtus formido aut trepidatio. Ediuerſo parturiẽtis femori admotus, expeditum facilemq; partum procurat, nulla propemodum enitendi difficultate aut anguſtia. Quæ res mihi experimento comprobata eſt: cùm enim heroina quædam toto geſtandi vteri decurſu, hoc à collo geſtamine, commoda valetudine vſa eſſet, partuque inſtante gemmam adimere, atque à pectore amouere neglexiſſet, ſenſit ilicò pariendi difficultatem, infantemque tardius deſilire, ita detracta à collo Aëtite gemma, eaque admota femori, interna parte non procul à pube, leuem placidũq; partum cõſequuta eſt: itaque matronis ſalutarem eius gemmæ vſum indicaui, & quando vel pectori, vel fœmoribus applicare conuenit. Qua autem vi iſta perficiat, ſi quis fortè requirit, diſcendiq; eſt auidus:

Lac lapideſcit in vberibus.

Alectoria gemmæ vis in viros.

Aetites lapis qua vi polleat.

Experimẽtum in matrona gemmæ Aetitæ.

uidus: ego attrahendi facultate tale quiddã præſtare cenſeo, eadem qua Magnes ferrum, Gagates & ſuccinum feſtucas ac paleas allicit. quod nemini abſurdum videri debet, cùm vterus exquiſita ſentiendi vi polleat, atque rebus odoriferis ita afficiatur, vt ſi eas naribus admoueri contingit: aſſiliat ac ſurſum enitatur, adeò, vt ſuffocatio mulierculis ac virgunculis maturis immineat, niſi cõfeſtim amoueantur, & infernis pudendiſq; partibus applicentur, properè enim deorſum retrahitur, ac reſilire incipit. Quocirca prægnantes & quæ geſtant vterum, ſupernè fragrantiſſima quæque exigunt, quo ſpiritus recreentur, & fœtus ſurſum enitatur: alijs autem quæ pruriunt, ac viri deſiderio tenẽtur, grauueolentia fœtidaque naribus: pubi verò & fœmoribus ſuaueolentia applicanda, præſertim vbi in vteri ſuffocatione ſtrangulantur. Quòd ſi deorſum feratur vulua ac concidat, infernè quæ tetri odoris ſunt, alliganda, ſupernè quæ grato ſuauique afflatu collapſos ſpiritus erigant. Quòd ſi ſecus ac præpoſterè iſta tententur, exaſperari malum contingit, ac grauiſſimè hunc ſexum affici, niſi viris ſubijciantur, ſic vt preter acerrimos dolores, animi deliquio periclitentur.

Vteri natura.

Quibus fœtida, quib⁹ odorata admouenda.

De Mulierum natura, conditione, moribus: & cur is ſexus, vbi incanduit, acriores, quàm vir, iras concipiat, ac rixetur enormius, multisq́ alijs affectibus impotentius ſuccumbat: Obiter quem ſenſum habeat illud Sapientis Hebræi, Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. *Eccle. 25.*

CAP. XIII.

QVOD non ſolum Comici poetæ, Oratores, Philoſophi à ſincera religione alieni, ſed etiam ſa-

Mulieres ab omnib⁹ ſcriptorib. proſcindun tur.

pientes ac vates Hebræi Dei cognitione affatim imbuti mulieres paſſim inſectantur, atque exagitant: quarundam improbitas promeretur & nequitia: quanquam non omnes eodem ſucco perfuſæ, nec pari exiſtunt acerbitate atque amarulentia; ſunt enim matronæ quædam, quæ educationis beneficio multis magniſque naturæ dotibus exornatæ atque inſignitæ præſtantiſſimis viris non cedant, nec ſint inferiores: licet promiſcua multitudo, ac gregaria mulierũ colluuies, procax ſit, ſtolida, ferox, etiam in reges imperioſa, lubrica, varia, mutabilis, & quod ad carnis illecebras, ac cupidinis incitabula attinet, indomitæ libidinis, & quę laſſata nõ ſatietur, ſic tamen vt aliæ alijs in hos affectus ſint propenſiores, ac magis pronæ. Cùm aũt tam multa paſſim huius ſexus vitia conſpici ſoleant, ac multi matrimonio addicti, de mulierũ natura & conditione queritentur, multaq́; indignè perferre ſe ac perpeti apud alios deplorent, nonnullis occaſionẽ præbent, vt ab hoc vitæ inſtituto abhorreãt, atque à fœminæ ſocietate, intimaq́; conſuetudine ſe ſubducant potius, quàm moroſam, querulam, amarulentã, atrocem, acerbam perferre cogãtur, illiuſq́; imperio ac minis ſubijci. Verùm cùm naturę ordo, vitæq́; neceſſitas, tum propagandæ ſucceſſionis amor & propenſio hominẽ impellat, vt poſteritati conſulat, vt ſociã atque adiutorium aſciſcat, conſultò faciunt, qui matrimoniũ adeunt, quò indiuidua ſocietate, ac mutuo animorũ corporumq́ue cõſenſu, vitę curſum placidè ac ſuauiter tranſigant. Id enim exigit humanæ vitæ conditio, niſi prorſus natura repugnet, nec aliud ſuadeat corporis habitus & conſtitutio. Quò ſpectat illa Metelli Numidici apud Romanos laudata concio, qua ciues (ne Reſpublica cõcidat) exhortatur, vt vxorem ſibi quiſque deligere pergat. Si enim (inquit) ſine

Eſdr. 3. c. 4. (margin, beside "dant, nec ſint inferiores")

Matrimonij incommoda. (margin, beside "atque à fœminæ ſocietate")

Deus cur coniugium inſtituit. (margin, beside "illiuſq́; imperio")

Gell. lib. 1. ca. 6. (margin, beside "gant. Id enim")

Metelli dictum de vxore ducenda. (margin, beside "ris habitus")

vxore

vxore vita trāſigi poſſet, non inuiti omnes ea moeſtia atque incommoditate liberari exoptarēt: ſed quoniam ita natura comparatum eſt, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis vllo modo viuere poſſimus, ſaluti perpetuæ potius, qua Reipublicæ incolumitas ſubſiſtit, quàm breui voluptati conſulendum. Quòd ſi fœminæ miniſterium in negotio domeſtico, ac rei familiaris adminiſtratione magnum vſum ac cōmoditatem ſanis ac validis præſtat: profectò valetudinarijs illius opera cumprimis vtilis eſt & neceſſaria. Siquidem, Sapiente teſte, vbi non eſt ſepes, diripitur poſſeſſio: & vbi deeſt mulier, ingemiſcit ægrotus, qui aliena ope indiget, atque alterius fulciri debet miniſterio. Fida enim vxor ſtrenuè officio ſuo fungitur, illiq́ue rerum domeſticarum ac familiæ cura ſedulò incumbit, tota mente & cogitatione in maritum aſſiduè defixa, adeò, vt ſi quid incommodi conceperit, ſi qua clades illata eſt, ſi morbi vrgent, ſi animus mœret ac deiectus eſt, maximam calamitatis partem in ſe transferre cupiat. illius enim incommodis non ſecus, quàm proprijs, condoleſcit, atque afficitur. Quod ipſum efficit mutuus animorū corporumq́; conſenſus & cōſpiratio, qua ex geminato in vnum ac velut ſingulare corpus homo coaleſcit, ac conglutinatur. Hinc ſcitè Horatius: *Eccleſ. 36.* *Matrimonij commoda.* *Geneſ. 2.*

Felices ter & amplius, *Lib. Carm. 1 ode. 13.*
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſus querimonijs
Suprema citius ſoluet amor die.

Cęterùm mulieres omnibus affectionum ac perturbationum generibus eſſe obnoxias, illaſq́ue immanè incandeſcere atque efferari, etiamſi leuiſſima cauſa ſubſit, quotidiana exempla teſtantur, ita vt non minor ſit mulieris furor & intemperies, quàm cœli atque aeris, vbi tempeſtatibus, fulmine,

Mulieris intẽperies tempeſtati ſimilis.

mine, tonitruis exaſperatur: quod præter alios ſapientiæ affectatores Hebræos, etiam quotidiano vſu ac vitæ conſuetudine habuiſſe exploratum, illorum ſcripta abundè teſtantur: opinor enim domeſtica illos ac familiari intimaque neceſſitudine expertos eſſe & cõdocefactos, quid improba ac malitioſa mulier, ſi quãdo irritata ſit ac laceſſita, moliri ſoleat, quas Tragœdias excitare, quàm effusè efferueſcere atque æſtuare. Sic enim quidam illorum inter cætera cõcionem ſuam proſequitur, deſumpta ſimilitudine à venenatis, infeſtiſq; belluis: Summum vulnus eſt animi triſtitia, ſummaq; malitia, nequitia mulieris: quoduis eſto vulnus, dum ne ſit vulnus animi, quæuis malitia, dum ne ſit mulieris rabies & nequitia. Nullum colubri capite nocentius, nulla ira muliebrem iram ſuperat. Commorari leoni ac draconi magis expedit, quàm mulieri nequam atque improbæ. Cùm autem mulier à viro emerſerit ac producta ſit, animal placidum, mite, blandum, manſuetum, molle, imberbe, cuteque glabra ac læuore perpolita, & quod tractari à viro geſtiat, illique ſubijci, mirari ſubit, vnde illi tanta ferocia, ac rixandi libido, affectuſque tam enormes atque effrenati. Ego verò hæc omnia ex animi impotentia, mentiſque ac iudicij imbecillitate in hoc ſexu euenire con jcio; quo fit, vt mulier ira accenſa ſibi excidat, atque extra poteſtatem conſtituta, cupiditatibus ſuis moderari nequeat, aut perturbatos animi motus minus coercere, aut ijs ratione, mentiſque iudicio obſiſtere, more pueri aut infirmioris ætatis, quæ cùm ſit rationis ac conſilij inops,

Eccleſ. 25.

Mulier quale animal.

Mulieris fragilitas vnde.

Horat. in arte poet.

——— *Geſtit paribus colludere, & iram*
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

Siquidem mens mulieri minus, quàm viro robuſta, aut fortitudine fulta, animus prudentia tenuiter

iuiter ſtipatus, oblata leuiſſima, nulliuſq; momen ti occaſione frænum rationis excutit, ſic vt rabidi canis more, decori, ſuique oblita, indiſcriminatim, nulloq; delectu notos ignotoſque adoriatur ac laceret. Quod ſi quis naturalem rationem exigat, hanc ego huius rei cauſam refero, quòd mulier molli ſit carne, laxaque ac fluida, ſic vt bilis incenſa confeſtim ſe per corpus diffundat, ac ſanguinis circa cor ſubitam ebullitionem excitet. Vt enim ignis leuiores ſtipulas citius corripit, ac ſublimem flammam excitat, ſed quæ citò conquieſcat ac ſopiatur: ita quoque mulier celeriter irá inflammatur atque igneſcit, miriſque modis tumultuatur: verùm fremitus ac vociferatio in corpore minus forti atque animoſo, tum etiam humido cõfeſtim mitigatur ac reprimitur, omniſque ardor & ira effuſis lachrymis diluitur, ac velut infuſa aqua deferueſcit: quod in quibuſdam etiam viris effœminatis perſpicimus, quorum magnanimitas ac ferocia puerili more, in lachrymas ferè deſinit, vbi aduerſarius acriter ſe illis opponit. Quod ſi quis proprius rei huius cauſam explicari velit, ac rationem magis exactam exigat: Ego nullam propriorẽ excogitari poſſe video, quàm humorum virus ac colluuiem, quam ſingulis menſibus ex lunæ decurſu congerit, atque expurgat. Vbi enim illam irritari contingit, vt leuiſſimè aſſolet, tota illa humorum ſentina agitata effumat, ac per corpus diffunditur, ſic vt cor & cerebrum huius fuligine ac fauillis affici contingat, ac ſpiritus tùm vitales tum animales, qui ijs partibus deſeruiunt, inflammari. eoque fit, vt mulieres irritatæ, iuniores præſertim (nam aniculæ effœtæ, pacatiores ob menſes reſides) rabioſè latrent ac vociferentur, comploſiſque manibus indecoros geſtus ac fremitus proferant. & cùm ratio in ijs minus vigeat, iudiciũ debile ſit & exile, mens

Mulier cur ſubitò incandeſcat.

Simile ab ignitis rebus.

Mulier citò ira'a, citò placabilis.

Mulier cur irata lachrymetur.

Viri qui citò in lachrymas proni.

Furor mulieris vnde emergat.

Anus minus irritãtur.

mens inualida, acrius efferantur, nec prorſus impetus animi cohibere poſſunt. Et quò quæque in eo ſexu vilior eſt, eò magis tumultuatur atque efferueſcit ira implacabili. Hinc plebeijs & proſtitutis (nam patritiæ aliquando decoro inſeruiunt, tametſi plerumq; corrugatis naribus obmuteſcant, nec viros reſpōſo dignātur, *proncken* Belgæ vocāt) quoniā corpus ferè obtinent vitioſis humoribus cōtaminatum, ſumma impudentia pari malitia cōiuncta eſt, ita vt velut furijs agitatæ, nec conſilio, ratione, pudore, monitis, blandimentis, quibus etiā feræ miteſcunt, coerceri poſſint, quò minus fremāt, atque ab inſanis clamoribus deſiſtant, adeò,

Terēt. Heaut. ſcen. 1. act 4.

Neq; tua, neq; bonum, aut æquum ſciunt;
Meliùs, peius, proſit, obſit, nihil vident,
Niſi quod libido ſuggerit.

Sic ſui oblitæ, fidem, decus, pudorem, famam, probitatem, pudicitiam, exiſtimationem vilē habent, ac periclitari patiuntur. Quò ſpectat illa de huma-

Eccleſ. 7.

na conditione Salomonis inueſtigatio. Rouocaui animum meum ad ea eruenda, quæ ratione & iudicio atque experimento aſſequi poſſunt, quo exploratum haberem improbitatem hominum illorū, inſaniam, furorem, amentiam. Et inuenio ama-

Rara auis mulier bona.

riorem eſſe ipſa morte mulierē, quæ vna eſt inſtar venenatorum multorū, & cor eius ſimile retibus multis, & manus vinculis. Laboraui ad hanc vſque horam, vt mulierem aliquam bonam & cordatam inuenirem, nec ſucceſſit. ex mille enim viris vnum tolerabilem inueni: ex mille autem fœminis nullam. Nec prorſus aliena eſt ab hac, illa in Prouer-

Prouer. 31.

bijs percontatio, Mulierem ſtrenuam, induſtriam, fortem, ſedulam, cordatam, quis inueniet? quaſi dicat, non facilè in vlla regionis parte, in remotiſſimis terrarū angulis reperiri probam ac moratam fœmi-

fœminam, quæ ſi fortè ſe offerat, aut commonſtrari poſſit, ęquari eam pretioſiſſimis gemmis, nec vllas merces quamlibet raras ac ſumptuoſas huic conferri poſſe aut comparari. Cæterùm quoniam in hoc argumentum incidi, ac fœminæ conditionem excutiendam ſuſcepi, obiter diſcutiendum, quid illud Sapientis deſignet: Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Cui ſententiæ hunc ſubeſſe ſenſum interpretor, vt vir etiam ignauus, iners, ſomniculoſus, negotiandi omniſque mercaturæ ac rerum gerendarum rudis atque imperitus, paulò dexterius negotia ſua perficiat, quàm mulier, præceps & temeraria, quæ inani ſapientiæ perſuaſione, atque inconſiderata confidentia nihil non aggreditur, omnia quàm vir, deterius perficit. Vir enim ſui diffidens, cunctanter ac circumſpectè, aliorum fultus adminiculo, quos in conſilium aſciſcit, ſingula conficit, atque exequitur, ita vt ſucceſſum optatiorem conſequantur, quàm ſi eadem à fœmina arroganti, ac ſapientiæ opinione turgida, vt ferè conſpici ſolent, tententur. Siquidem huiuſmodi mulieris conatus & induſtria, magna ex parte in deterius deuergit, quod ita efferri ſolet vulgato idiomate, *Het quaetſte van een man is beter, dan het beſte van een vrouwe*, hoc eſt, Si quid operis muliebri induſtria abſolutum, perfectumque ſit, minus laudis promeretur, quàm viri rude & inchoatum, ob mentis ſcilicet & cõſilij inopiã, tarditatem, atq; hebetudinem, ob caloris naturalis defectũ, & quòd animus languidus humidę materiæ incũbit atq; immerſus eſt, ſic vt ſegnius ſe proferant facultates animę, atq; ad res gerẽdas ſint inidoneæ, parumq; appoſitæ. Quocirca Romani, quibus ſumma fuit ornandæ ſtabiliendæque Reipublicæ cura, Matronas, Cicerone teſte, propter naturæ infirmitatem, in tutorum poteſtate eſſe volue-

Salomonis locus explicatus.
Eccleſ. 25.
Sapiẽtis Hebræi ſentẽtia excuſſa.
Prouerbiũ Belgicũ in fœminas.
Cur fœmina minus ingenioſa.
Romanorũ lex de fœminis.
Pro Murena.

Pauli de muliere præceptũ. voluerunt, nec vlla ciuili adminiſtratione fungi. Paulus quoque, qui mētes hominum indefeſſo labore ad ſolidam fidem inſtruit, ac ſedulò pietati informat, mulieri ob animi impotentiam, hoc eſt, *1.Cor.14.* affectum à temperantia ac moderatione auerſum, in cœtu cōſeſſuque ſolenni ſilentium imperat, nec patitur vel concionandi munus obire, vel in comitijs quæſtionem mouere, aut ſuffragijs intereſſe, vllamque proferre ſententiam. Cùm autem tanta ſit muliebris naturæ fragilitas, imbecillitaſque & im- *Platonis ſentētia de fœmina.* perfectio, vt Plato non citra ſexus huius contumeliam, ei ferè mentem adimat, ac vix hominis nomen promereri cenſeat, aut nominis huius honore dignetur; tamen Paulus, qui rerum domeſtica- *1. Cor.11.* rum tranquilitati paterno affectu conſulit, illi ſuum honorem exhiberi vult, nec prorſus deſpici, aut abiectam vilemque cenſeri, cùm pari propemodum ſit conditione ac dignitate, eiuſdemque muneris, cum viro particeps, nempe ex eo ab opifice *Geneſ.2.* deſumpta. Ità vir imago & gloria Dei eſt, teſte Apoſtolo, mulier viri gloria: non enim eſt vir ex muliere, ſed ex viro mulier, cùm non propter mulierem creatus ſit vir, ſed propter virum mulier. Cæterùm neque vir ſine fœmina, neque fœmina ſine *Epheſ.5.* viro in Domino, qui ſic temperat ordinem vniuerſi, vt mulierem ſubditā viro eſſe voluerit. Quē- *Coloſſ.3.* admodum enim ex viro fœmina, ſic vir per fœminam in generandi ratione ac producendis liberis: ita vtrobique oſtēditur ſocietas ſubſidiaria, ac mutua vtriuſque opera, amor, conſenſus, conſpiratio. *1.Pet.3.* Quocirca æquū eſſe Petrus cenſet, vt mulieres maritis ſint obſequentes: illi verò ſe commodos præbeant ac faciles vxoribus, vt vaſi infirmiori, leuiores errores condonent, offenſiunculas remittant, ad multa conniueant ac muſſent: non enim par eſt, vt vir plus ſatis in ſexum fragilem, ferox ſit, imperio.

imperioſus, amarulentus, modò in officio perſi- *Adulteriũ*
ſtat: nec vllam pudicitiæ iacturam ſibi inferri pa- *muliebre*
tiatur, quæ macula tametſi viro, vbi reſciſcit, plus *indelebilis*
indignationis, quàm damni adferat, vt mœchi di *macula.*
ſtitant, nunquam tamen ea labes in muliere elui *Mœchi ad-*
poteſt, aut illatum vulnus obduci, quãquam Chri *ulteria io-*
ſtiana charitas, ac maritalis amor non nimis rigi- *co eludunt*
dus eſſe debet, aut inexorabilis: cùm penes Deum *prouerbia-*
ſit reconciliatio, ac diuinum numen ſcelere, impie *li.*
tate, idololatria exaſperatum precibus ac pœniten-
tia placari ſoleat, atq; anteactæ vitæ errores ignoſ-
cere, vbi ea animus reſipiſcens deſpicit ac deteſta-
tur concepto ſeruatoque melioris vitæ propoſito.
Cæterùm magnæ moleſtiæ pars in hoc ſexu ex ge- *Mulieres*
ſtationis tædio, ex lactandi nutriendique moleſtia *vnde mo-*
oboritur: nõ minima ex ſuppreſſa cohibitaq; men- *roſæ.*
ſium ſcaturigine: quæ ſi ſtato fixoq; tempore pro-
fluant: iracundiæ atq; acerbitatis æſtus excutitur,
auerſa à corde & cerebro fuligine, triſtique halitu
diſcuſſo; qui ſurſum effumare ſolet. Quàm verò
placidam ac blandam experiatur vxorem maritus,
vbi Genialis thorus identidem exornatur, ac con- *Mulier*
cubitu amplexuq; frequenti hic fundus excolitur, *quando*
ijs, qui matrimonio addicti ſunt, notius eſt, quàm *pacatior.*
vt multis verbis amplificari debeat. Quanquam
autem verboſius, pauloque fuſius Sapientis Hebrei
paradoxum, hoc eſt, inopinatam, atque alienam à *Eccleſiaſt.*
communi ſenſu, vulgataque conſuetudine ſenten- *locus expli-*
tiam explicaſſe videri poſſim, aliam tamen inter- *catus.*
pretationem comminiſci poſſe video, ita vt is ſen-
ſus eruatur. Potior eſt nequitia viri, quàm proba
quidem mulier, ſed quæ poſtmodum cauſa ſit in-
famiæ, & ex cuius commercio naſcatur dedecus,
hoc eſt, præſtat cum viro improbo contrahere, aut
negotiari, quàm cum muliere fucata rem habere:
tametſi enim in ſpeciem, primaque fronte probi-

tatem ac decus præ ſe ferre videtur, nec aliquid fu-ci aut fraudulentiæ foris oſtētare: poſtmodum tamen inconſtantem experieris, verſipellem, captioſam, lubricam, fallacem, fraudulentam, atque impoſturæ intentam, ita vt ſi vir quiſpiam alicui imponat, aut in negotio quenquam defraudet, fraus & impoſtura viri, iuſtitia ſit, præ mulieris nequitia ac fallacia. Similes loquendi formulæ paſſim in Biblijs obuiæ ſunt. Sic Deus apud Ezechielem exaggerat Hieroſolymæ ſcelera in immenſum, & iuſtificatam Sodomam ac Samariam pronuntiat ab ea: quo indicat ipſam ſceleratiorem eſſe, illaſque gentes ſuperare improbitate, nequitia, neſandiſque ſceleribus, ita vt Samaritani & Sodomitæ inſontes videri poſſint, ſi illi comparentur. Sic in opinionum prauitate, ac ſtabiliendo pernicioſo dogmate, aut ſecta, alius alio nocentior, ac magis pernicioſus, ita vt nonnulli hæretici, orthodoxi videri poſſint, ac ſalutarem ſanamque doctrinam proferre, ſi cū alijs conferas, qui magis abſurdas, impias, blaſphemas, execrandas opiniones ſtabiliāt: quod etiam populariter efferri ſolet, *Deſe is een Goddelyck ende heylich man by den anderen*, hoc eſt, tametſi vterque nequam eſt & improbus, tamen ſi ad æquitatis normam, ac iuſtitiæ amuſſim omnia exigere velis, ac metiri, alter innocens ſtatui poſſet & abſoluendus, ſi cum alterius ſceleratiſſimis facinoribus conferatur. Ita etiam alius alio ſuperſtitioſior, atque à ſincera religione, ac pietate, cultuque diuinitatis remotior, ac magis alienus:

Ezech.16.

Ezechielis locus explicatus.

Inter homines alius alio nequior.

Sic plerunq; agitat ſtultos inſcitia veri, &
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit, vnus vtriq;
Error, ſed varijs illudit partibus omnes.

Hor. lib. 2. ſermonum.

Ignorātia veri errores parit.

Ita virum æquè ac fœminam inuoluit error, nequitia, dedecus, improbitas, ſed iſtam magis deteſtabilis

ſtabilis & execranda. Sic melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, hoc eſt, vt Belgæ dictitant, *De deucht van een vrouwe is ergher, dan eens mans booshey t.* Quo Prouerbio exaggerant malitiam eius ſexus, vt ſi vitia vitijs componantur, ac fraudes, impoſturas, fallácias, technas excutias, longè grauiora ſint, ac præponderent, quæ à muliere, quàm quæ à viro prodeunt.

Cur ouum duobus extremis verticibus, quibus oblonga atque anguſtiore ſui parte (vt polus Arcticus & Antarcticus) ſubnixum fulcitur, digitis aut complicatis palmis comminui frangiq́ nequeat, quamlibet premas. Et cur aceto acri maceratū, in tractabilem teneramq́ membranam molleſcat: denique id ipſum aquæ vitæ, hoc eſt, vino ardēti immerſum, non ſecus, quàm ferrum ab aqua forti, conſumatur.

CAP. XIIII.

SI ouum in acerrimo aceto maceres quatuor aut potiſſimè ſeptem dierū ſpatio, pro liquoris illius acrimonia, putamen eius ſeu teſtam in eam membranæ teneritatem attenuari experieris, vt per annulum, qui humanis digitis geſtari ſolet, adigatur. Pari ratione atque effectu ouum aquæ vitæ immerſum abſumi, atque in nihilum redigi, experimēto comprobatum, ſic vt etiam aceto perfuſa ſilex, ac Tophus lapis, cuius opera Cementarij parietes incruſtant, & ciſternas conficiunt: quale Belgis *Teras* vocatur, liqueſcat, atq; in puluerem reſoluatur. Siquidem vtrique liquori conſumens, igneaq; vis ſubeſt, ac penetrabilis, quæ ſolida quæque depaſcit ac conterit: quò fit, vt qui horum vſu

Ouum in aceto liqueſcere.

Tophus Teras *gipſo affinis.*

Quid homines macilentos affiiat.

affluentius vtuntur, vt etiam ſalis immodico & cumini, macilenti efficiantur atque areſcant, prorſuſque extenuentur, adeò vt impuberũ incremento officiant, & quò minus in decoram longitudinem adoleſcant, prohibeant. Depopulantur enim humorem natiuum, cuius adminiculo in ſpectabilem decentemque proceritatem corpus aſſurgat.

Humores praui oſſa corrodunt.

Sic humores ſalſi, mordaces, vrentes, nitroſi membranas in corpore, carnem, muſculos, neruos, oſſa ſolida, & quæ lapidoſa ſunt duritie, vt dentes & capitis oſſa petroſa, erodunt, atque vt erucæ caules

Simile à vermiculis.

atque holera, vt vermiculi ac teredines lignum, ærugo ferrum, exedunt, ac carioſa efficiunt. Cæterùm ouo crudo tam ſolidam infractamque ineſſe firmitudinem, qua parte in longum ac geminos vertices ſe porrigit, vt ne à robuſtiſſimo quidem viro comminui poſſit, ſi cui explorare libeat, non vanum aut commentitium experietur: niſi enim in obliquum nonnihil inflectas, atque in latus inclines, non cedet prementis articulis, nec colliſum duriſſimo obiecto frangetur: ſi quidem ita renititur teſtacea illa firmitas, vt rumpi, aut ſoluta compage diſſilire nequeat, etiam ſi quis compreſſis manibus omne robur, omneſque vires adhibeat; lateribus enim ſtipatum, vndique ſe fulcit, nec intorquetur, aut inflexum lenteſcit. Sic ſudes, ligna, trabes, ferramenta erecta, ac ſublime conſtituta, immenſa pondera ſuſtinent, nec incurueſcunt aut inflectuntur. Cùm autem huius rei non ſint ignaræ villaticæ mulieres, quæ nundinarum diebus vrbes frequẽtant, ac merces alimentarias oppidanis adferunt, oua in caniſtris non ſemper prona, aut in aluum depreſſa, in quam ferè ſpõtè decumbunt, ſed erecta ac reſupina conſtituunt, ita vt anguſtior pars, quæ vtrimque turbinata eſt, ſublimis exiſtat, atq; eminentior, quod ea ratione ab ijs perficitur,

quò

quò minus collidantur, ac pondus impoſitum perferant, quibus etiam partibus ouum ſalſugine, aut aqua aluminoſa immerſum fluitat, quemadmodum etiam ſuccinum, vulgò Ambra. *Ouum ſalſugine immerſum innatat.*

Luna mira naturæ vi ſingulis menſibus, ſecus quàm alia aſtra, ſingulas corporis partes ſanas latenter & tacitè, valetudinarias manifeſtè, nec citra doloris ſenſum perreptat, illiſq; modò duobus, modò tribus diebus inhæret. Obiter an in ea parte, cui ſidus incumbit, tutò vena incidi poßit.

CAP. XV.

SIDERA vim ſuam in res terrenas effundere, ortus & incrementa rerum, totiuſque mundi vniuerſitas demonſtrant, neque enim otioſa eſt, iners, ignaua natura rerum, ſed viuida, alacris, erecta, efficax, magniſque viribus ab opifice, cuius verbo omnia vigent ac ſubſiſtunt, inſtructa. Nec ſolùm ad oblectandos paſcendoſque oculos (tanquã inanis pictura) exhibita nobis tam ſpectabilis cœli ſpecies, aſtrorum decurſus, ordo, continuatio, ſeries: ſed vt aliquem ex his effectum atque vtilitatẽ conſequamur. Siquidem Deus, qui prętcr oblectamentum ac contemplationem tanti operis, quam ex his concipimus, accumulatè fruimur, ad vſum ſingularem omnia condidit: ipſæque ſtirpes, maria, amnes, flumina, metalla, gemmas, lapides, & quæcunque vel è terra eruuntur, vel eius ſuperficiem exornant, ac varietate rerum diſtinguunt: ipſaque hominũ corpora atque inſitos humores cœlo ſubiecit, ſic vt ex aſtris aliquam agitationem ac motum impulſumque percipiant, atque effectum experiantur. Nam mentes humanas à concretione mortali ſolutas ac liberas ſolus Dei ſpiritus, à quo *Sidera res infernas regunt.* *Geneſ. 2.* *Pſalm. 31.* *Terrena aſtris obſequuntur.* *Natura rerum aſtris ſubiecta.* *Mens ab aſtris libera.*

decerptæ ſunt, impellit atque incitat, nec vllum ijs cum aſtris cõmercium aut ſocietas, niſi fortè conſenſus & conſpiratio corporis, cuius miniſterio ac ſubſidio cuiuſque mens atque anima vtitur, aliquando obluctante ratione, tranſuerſa rapiatur, ac corporis voluptatibus obſequatur. Cæterùm cùm Luna ſidus ſit, homini familiare ac proximũ, terræque citimum, præ cæteris in corpus humanum vim ſuam exerit, ac per ſingulas partes peculiari vi effectuque voluitur, non ſine acerrimo nonnunquam cruciatus ſenſu. Si quid enim latentis occultique vitij vlli mẽbro ſubeſt, doloribus acerbè concutitur ac dilaceratur, vellicante illas partes Lunæ vi, aut agitatis humoribus, qui illi infixi ſunt, ac tenaciter inhæreſcunt. Ita omnes morbi, affectus, intemperies, Lunæ vi aſperantur, atque incrudeſcũt, vbi articulis inſidet, adeò, vt vulnera ægrè ſaneſcant, aut cicatrice obducantur, ac nonnunquam lætalia efficiantur, ſi quando illi membro illata ſunt, cui incumbit. Pari ratione caput, fauces, pulmo, pectus, hepar, lien, renes, veſica, inteſtina, tum neruoſæ partes incommodum percipiunt, aut in ijs intemperies ingraueſcit, ſubſiſtente in ijs viſceribus ſidere. Sic pectus aſtrictum eſt & anheloſum, nerui, mẽbranę, muſculi contrahuntur ac rigeſcũt, vbi hâc Luna decurrit. Humores enim, quibus omnia membra imbuta ſunt, & aluntur, cùm ſalubres, tum inſalubres & vitioſi, Lunæ motibus effectibuſque expoſiti ſunt & ſubditi. Cæterùm cùm Lunæ decurſus magna ex parte damna ac detrimenta corporibus infirmis & valetudinarijs inferat, in controuerſiam ac diſputationem vocari poſſit: An in ea parte, qua conſiſtit ac moratur Luna, vena incidenda; nam in hac re plerique meticuloſi ſunt, nec tale quiddam tentare audent, etiamſi morbus vrgeat, atque huiuſmodi præſidium confeſtim

Paulus. Rom. c. 7.

Vulnera ex effectu Lunæ lætalia.

Singula mẽbra Lunæ motus percipiũt.

An pars, in qua luna eſt, ferro tentanda.

ſtim expoſcat. Ego verò intrepidè magnaq; ſubſidij morbiq; propulſandi fiducia, maturè id aggrediendum iudico: acuti enim celereſq; morbi nullas admittunt inducias, nullas moras, aut deliberādi ſpatia: ſed vt hoſtes in bello, vt incendium in ædibus, peſtis in vrbe, in agro ac ſegete rubigo & depopulatio, graſſantur, atque in perniciem properant. Nec quis etiam deterreri debet, aut ab incepto deſiſtere, etiamſi aduerſo aut maligno ſidere id tentari videatur. Sic in pleuritide, angina, pulmonis atque hepatis inflāmatione, neglecta aſtrorum anxia obſeruatione, ac ſiderum aſpectu, maturè ad venæ ſectionem properandum etiam in ea membri parte, quam Luna occupat. Vt enim ingruente tempeſtate, ac ſæuientibus ventis nauclerus etiam æſtu aduerſo, ventoque minus ſecundo celerrimè ſaluti proſpicit, ac fidam tutamque ſtationem ac portum remis veliſque conſequi tentat: vt deniq; agricola vel ſementis, vel meſſis tempore properè ac feſtinanter, pluuię metu, omnia perficit. matura enim ſatio ſępè decipit, ſera ſemper: ita quoq; Medicus ratione atque experientia fultus, prima quaque occaſione atque opportunitate, quàm poteſt expeditè, ſalutare remedium adhibere ſatagit, ad humorum redundantiam, morbique ferociam potius, quàm ad aſtra intentus. Sunt quidem obſeruandi cœleſtium corporum decurſus, quos Deus in ſigna & tempora, in annos, dies, & menſes conſtituit, ſed excluſa temeraria pronuntiandi vanitate atque impudentia, quam Eſaias ac plerique alij inſectantur atque impugnant, prorſuſq; indignantur illos de cuiuſque fato, hoc eſt, re, quæ cuique ex Dei ordinatione cōſtituta eſt & deſignata, illiq; impendet, de hominum ſucceſſu, & quid illis obuenturū ſit, indubitanter atque exertè pronuntiare, ſuamq; ſententiam proferre. Nō deſunt primarij ac

Simile ab externis calamitatib.

In acutis morbis negligenda aſtra.

Simile à nautarum induſtria.

Ab agricolarum induſtria ſimile.

Geneſ. 1.

Quatenus obſeruāda aſtra.

Cap. 47.

Hier. 10.

præcipui nominis viri, cum quibus mihi aliquando fuit diſceptatio, qui rerum publicarum progreſſus & incrementa, vel etiam defectus atque interitus, religionis innouatæ vel inſtauratæ myſteriū, & qui eius cauſa exoriuntur tumultus, & perſecutio, quorū magna pars ad inſontes, hoc eſt, qui piè viuere volūt in Chriſto Ieſu, deuoluitur, ad ſiderū aſpectus ac reuolutiones referunt, cùm propagatio Euangelij, quo per ſpiritum Domini fides, & qua illi innitimur, fiducia in mentibus noſtris accenditur, ex Diuinitatis arbitrio, ac voluntate patris æterni pendeat ac profecta ſit, quæ ab omni æternitate, vt Paulus ait, apud Deum, qui vniuerſa per Ieſum Chriſtum condidit, abſcondita fuit, ac ſuo tempore reuelata ijs, quos hæredes conſorteſq; promiſſionis conſtituit per Chriſtum. Sic patefacta veritate, viſum eſt illi coruſcante euangelij ac verbi ſui luce, nullo non tempore extirpatis erroribus, ſuperſtitione, idololatria, impietate cōculcata, ſincerum cultum inducere, ſuique agnitionem hominum mentibus inſerere: quod ab illo conceptum decretumque & ante mundum conditum, ac cœlum ſideribus illuſtratum. Quocirca deſinant, qui aſtris plus nimio inhærent, nec altius aſſurgunt, aut cogitationes ſuas ad Opificē referunt, res cæleſtes, hoc eſt, mentē atq; animum ſiderū inclinationibus ſubijcere; tametſi enim ſanguis cæteriq; humores, ſpiritus quoque cùm naturales, tum vitales aſtrorum vires influxuſque manifeſtò percipiant, mens tamen atque anima ab archetypo Diuinitatis deprompta, nec ſiderum vi impellitur, nec vlla ab ijs vel incommoda vel commoda percipit: niſi fortè cōſenſu quodam, cum corpore affici ſtatuas. Mens ſiquidem in homine, ratio, intelligentia, voluntas, fidei cognitio, & qua Deo innitimur fiducia, religionis amor, & veneratio, qua ſummus Dei cultus

2. Tim. 3.

Epheſ. 3.

Religio nō aſtris, ſed Dei ſpiritui ſubiecta.

Mēs aſtrologis in Deū erigenda.

Humores ſiderib. expoſiti.

Mēs humana ab aſtris aliena.

ultus ſubſiſtit ac continetur, ab æterna illa mente tque immutabili emergit ac promanat, nec humanus animus vi alia, quàm afflatu numinis ac diuini ſpiritus inſtinctu ad optima quæque ac ſalutaria incitatur. Sic cùm cæteræ animantes naturæ mpetu ferantur, ſolus homo ratione ducitur & onſilio, modò intra conditionis ſuæ limites conſiſtat, nec prorſus à dignitate & præſtantia, qua à Deo excultus eſt, degeneret. *Mẽs hominis à Dei ſpiritu, non ab aſtris impellitur.*

Conſilium, quo iuuenibus gratificari ſoleo, vt maturè pubeſcant, venuſtaq́; lanugine mentum decoretur: Obiter graminum fruticumq́; cum crinibus ac capillis non inſcita comparatio.

CAP. XVI.

PVELLAE nubiles, quæ primo quoq; tempore maritis deſtinari cupiunt, hoc potiſſimũ habent in votis, vt in decentem venuſtamque proceritatem adoleſcant, ac iam maturę aptæque matrimonio cenſeri poſſint, atque à procis ambiri. Iuuenes verò hoc exoptant, vt aliquid virilis roboris cõſequantur, ac maturè pubeſcant, mentumque ſpecioſa barba decoretur. Hoc enim perſuaſum habẽt præter Belgas, cæteræ nationes, glabros atque imberbes minus virilis roboris obtinere in præſtanda Venere ac procreandis liberis, ita vt plerique grauatè ſuas filias ijs elocari ſuſtineant: tametſi aliquando ſecus res habeat, atque imberbes, quique nulla lanugine criniti exiſtunt, in congreſſu maritali viros præſtent, licet frequentius caloris naturalis inopia illis vires langueant, ac facultates naturales flacceſcant, ſperatæque prolis deſiderio fruſtrentur. Cæterùm qui barbatuli videri affectant, alendæq; barbę ſtudioſi ſunt, ſæpius illam ſegetem *Puellæ venuſtæ, iuuenes viriles videri exoptant.* *Imberbes minus viriles cenſentur.* *Barba vt adoleſcat, ſæpius radenda.*

 ſibi

ſibi adimi patiantur, quò laxatis ſpiramentis, atq; agitatione crebra excitato calore, qui humorem elicit, affluentius pili erumpant: quod vernis potiſſimum menſibus tentari debet, quo anni tempore calor & humor in corpore augeſcit, atque in illas partes diffunditur. Vbi enim ſæpius barbam reſecari contingit, vt gramina, denſius frutificantur pili ac cæſaries. habent enim crines ratione͂ cum gramine ac virgultis, quæ crebrius detonſa ac demeſſa, celerius ſuccreſcunt, ac ſe proferunt vberius. Quocirca iuuenculis, qui nullo ſunt barbæ apparatu, nec virili ſpecie, nouaculam cultrumque tonſorium identidem admouendum ſuadeo. Siquidem ſi mentum ac ſupremum labrum ſubinde aqua egelida madeſcat atque elixetur, excitato calore & humore, qui in eas partes confluit, crinita efficiuntur ac piloſa. Cæterùm quo glabri ac depiles, hirſuti efficiantur, atque eleganti comptaque barba niteſcant, remedium aliâs à me deſcriptum in libro, De corporis habitu, quo iuuentus maturius venuſta lanugine cohoneſtari queat, ac ſupremum infimumque labrum ſilueſcere, quò ſocero non diſpliceat gener, cui filia deſtinanda, quę nonnunquam non minus appetens eſt, auidaque ſponſi, quàm ſponſus illius, plerunque in rem voluptariam, quàm in dotem intentior. Inter ea, quæ barbam emoliuntur, ac paſſim obuia ſunt, minimeq; operoſa, mel ſtatuo, butyrum ſalis expers, ſuccum cæpe rubicundi, radicem arundinis internodijs diſtinctam, colore cãdido, ſapore mellito, axungiam melis, vulgò taxi, vel *Das*, vrſi, leonis, radicem brioniæ, betę, raphani, lepidij, liliorum alborum, iridis: ex ijs linimentum confici poteſt. nam mentum eo delibutum, primum teneram lanuginem profert, poſtmodum denſam promiſſamque barbam, quæ ne præmaturè caneſcat; aqua frigida potius, cui momen-

Capillorũ ac graminum comparatio.

Lib. 1. c. 7.

Barbã quæ præſtant.

omentum vini admixtum ſit, irrigari debet, ſi uando adornari illam contingat: nam calida aut gelida, hoc eſt, quæ tepeſcit & rugoſam faciem ef. cit, & propropere caniciem accelerat, ſic iuueni ıs aqua calida barbam cōfeſtim elicit: prouectio. bus verò incanam reddit. Ceterùm eunuchis vel atura, vel quibus teſtes execti ſunt, omnia fru ra tentantur in emolienda barba, ob caloris ino. iam, qui humores excitare nequeat. Quò fit, vt oce exili exiſtant & fœminea, tum corpore gla-ro, licet antea criniti eſſent. *Aqua calida canam barbam & faciem rugoſam efficit.* *Eunuchi cur imberbes.*

Quatenus, aut qua ratione medicina conſeruatrix in peſte atq; aeris contagione adhiberi debeat, tum quæ hac vi effectuq; polleant.

CAP. XVII.

OBSERVAVI in Gallia Belgica, graſſante eſte, ac ſæuiētibus morbis alijs popularibus, com-lures diu inuictos ſubſtitiſſe, atque illæſos aduer-us ingruentis mali contagia, quorundam antido-orum vſu ac conſuetudine: cuius generis ſunt Theiaca andromachi, Galeno miris encomijs celebra a, Mitridaticum, ſcordium, zeduaria, angelica, la-erpitium, cui affine oſtrucium herba imperatoria, vulgò *MeyſterWortel*, aut Magiſtrantia. Verùm vbi illos peſte corripi contingeret, nulla remedia am efficacia excogitari potuerunt, quæ morbum diſcuterent; quamlibet enim præſentanea antido-ta adhiberentur, omnia fruſtra tentata ſunt, nec ſucceſſit curatio. Siquidem cùm valida eſſet ac fu-rioſa veneni vis, quæ munitum vallatumque anti dotis corpus inuaſit, illiſque præſidijs in tuenda valetudine nihil effectum ſit, nulla erat aut perexi-gua in reliquis medicamentis ſpes, ſic vt re prope-modum conclamata. *Quæ peſti obſiſtunt.* *Præſeruatiua cautè adhibēda.*

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem. *Virg. lib. 2. Aeneid.*

Quocirca

Quocirca vbi me ad illos acciri cõtingat, exquiſitiſſima remedia eaque duplicato pondere exhiberi curo, vt iuxta Prouerbium, malo nodo malus adhibeatur cuneus, ac primùm roborato corde, omne virus ad extimas corporis partes elicio, nulla tentata in eiuſmodi affectibus (niſi aliter expedire viſum ſit, & res exigat) venæ ſectione, ne contagio vt in fumanti igne agitato aſſolet, latius ſe diffundat, maiorque in corpore ad præcipuas partes, ad quas omnes venarum atque arteriarum riui producuntur, veneni fumus atque exhalatio ſe proferat. Quamobrem cùm imperita vulgi multitudo etiam plerique patricij nullo delectu ac diſcrimine omnium cõſilia admittant etiam cerdonis ac proletarij, magno valetudinis detrimento, hoc cuique perſuaſum eſſe cupio, vbi regionem inuaſit morbus peſtiferus, vel ex aeris contagione, qui omnes indiſcriminatim, cùm nobiles, tum plebeios corripit, vel alimenti vitio, aut commeatus inopia, qui populares vexat, ne quiuis temerè ijs antidotis aſſueſcat, quibus vti ſolent, atque in corpus admittere peſte contaminati, ne deſint poſtmodum remedia, quibus illa expugnari aut confici poſſint: ſed victus temperantia, & frugalitate ſedatiſque affectibus ſe muniat ac tueatur. Hac enim ratione ſubſtitiſſe legimus Socratem in ſæuiſſima peſtilentia, ac vaſtitate, quæ totam Græciam atque Aſiam exhauſit ac depopulata eſt, ea vſus moderatione vitæ, vt à tanta clade liber perſtiterit & immunis. Interim non improbo (quod ipſum crebrò factitare ſoleo) lenioribus remedijs imminenti malo obſiſtere, ac ne vllam contagionem concipiat, corpus obdurare ac præmunire, ita vt nemo extra limen prodeat, atq; aeri ſe committat impaſtus aut ieiunus, modò intemperantia atque ingluuies excludatur; rebus autem odoratis ac redolentibus, aqua roſacea,

Aliquando in peſte nõ incidẽdam venam.

Nõ omniũ conſilia in re medica admittẽda

Peſtis ex aere omnibus communis.

Peſtis ex prauo cibo plebi peculiaris.

Socratis tẽperantia.

Sani vt cõtra peſtem ſubſiſtant.

)ſacea, vino, aceto, floribus ſambuci ac rubenti-us roſis medicatis, os, nares, oculos, aures, manus, aciem perfundere, atque irrigare ſalubre eſt: fau-es fouere attrito Coriandro, cinamomo, zedua-ia, gariophyllis, mali Medici cortice. Hæc enim mbientis aeris contagia diſpellunt, quæ vltrò ci-roque reciprocante anhelitu cor ac vitales ſpiri-us inficiunt. Ego verò cùm graſſante peſte, nuſ-quam non intrepidè, ſuccurrendę plebis ac ciuium tudio, me conferrem, illis præſidijs, ac potiſſimè Mali citrei, aut eius, quod citranguli aut limonis nomine paſſim innoteſcit, attrito dentibus ſuccu-ento putamine recens diſſecto, me munire ſoleo, ac coniecta in Deum Opt. Max. fiducia, peſtiferos halitus diſcutere; nihil enim huius pomi cortice, ſucco, ſemine magis efficax, ac præſentaneum. Quod Virgilius etiam non ſubticuit: *2. Georg.*

Præſeruatiua in peſte.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem,
Felicis mali, quo non præſtantius vllum:
Pocula ſi quando ſæuæ infecêre nouercæ,
Auxilium dabit, & membris aget atra venena,
Flos apprimè tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo, ac ſenibus medicantur anhelis.

Mali Medici aut Citrei vires.

Fortiſſima autem illa antidota expugnandę peſti, conficiendiſque venenis dedicata, parciſſimè deglutire ſoleo. Corporis ſiquidem habitum, eiuſque qualitatem, quæ in calidi, frigidi, humidi, ſicci miſtura conſiſtit, immutant, ac deſtruunt, & ſiqua ſubeſt corpori humorum redundantia (niſi prius adhibita purgatione) illam vndique diffuſam inflammant, atque accenſa bili febres vrentes excitant.

Cui rei aſsignanda tanta in numeroſiſsima hominum multitudine, formæ diſsimilitudo, ac tam multiformis diuerſaq́; in facie, vultu, oculis, ſpecies, ita vt nonnunquam ne vterini quidem partus conformes ſint, ac ſibi aſsimilentur.

CAP. XVIII.

VT in natura rerũ mira ac ſpectabilis varietas: ita quoque in ſpecie, formaque humana, colore, vultu, oculis, lineamentis, oris habitu & conſtitutione innumerabilis mirandaque diſſimilitudo ac diſpar conditio. Hanc cùm nonnulli ad ſiderum influxum referant, ego aptius, magiſque appoſitè ad ſeminis naturam ac matris imaginationem referendum cenſeo. Siquidem cùm mulier in ipſo conceptu totoque geſtationis tempore, ac nouem menſium decurſu multa animo concipiat, ac ſingulo momento in diuerſas cogitationes rapiatur, oculis quoque in obuia quæque continenter defixis, fit, vt quæ in oculos influunt, ac cogitationi infixius inhærent, in fœtum deuoluãtur. Cùm enim natura muliebris ſolicitè formationi fœtus inſiſtat, nec aliud, quàm decentem formam atq; effigiem meditetur, omneſq; vires eò conferat, ſi qua ſpecies aut ſimulachrum oculis influat, aut mente concipiatur, in pullulantem embrionem deriuatur ac confluit. Interim matres iam recẽs in lucem edito infanti operam ſedulò impendunt, quò corpus concinnum, elegans, venuſtum, lepidum, ſpecioſum, membris articuliſque diſtinctum cõſequatur. Nam puerile corpus, vt cera & argilla ſequax eſt, ac tractabile, omnemq; in partem flecti poteſt. Itaque ſi os diſtortum eſt, atque indecorè conſtitutum: fingunt, conformant, reſtituunt, vultũ componunt,

Diſsimilitudo hominum cui aſſcribenda.

Imaginatio mulieris multa molitur.

Vitia naturæ corrigi poſſunt.

ponunt, faciem (ſi ea tetrica ſit & torua) blandam perficiunt, ſpecioſam, amabilem : oculis decoram venuſtatem conciliant, atque ex glaucis ſeu cæſijs: quos ferè impuberes obtinent humiditatis ratione, nigros efficiunt copioſo lactis vſu, ac potiſſimè ſi nutrix calidæ naturæ exiſtat, ipſeque infans in loco opaco ac ſubobſcuro contineatur: nam luminoſum conclaue, ac ſole vel luculento igni illuſtratum, tenellis oculis officit : luſcioſos verò, pætos, ſtrabos, atque in obliquum obtortos oculorum orbes in ſuam ſedem reuocant inclinata in oppoſitam aduerſamque partem oculorũ acie, ita vt muſculi obtutu contrario in naturalem ſitum reducantur, retortique reſiliant: nares reſimas ac collapſas contrectatione placida ac molli erigunt atque inſtaurant: Aquilinas verò ac roſtratas premendo ad decentem figuram reducunt, ita vt naſi perpendiculum à fronte ac ſupercilijs ad ſupremi labri lacunam, tanquam gnomon & recta linea vt ſolarijs aut horologijs aſſolet, nec extrorſum nec introrſum defixa, porrigatur. Similiter ſi labra tumida ſint & obœſa, quod Aethiopum generi familiare, vt naſus ſimus ac depreſſus, arte ea tractant, atque identidem premunt, quò attenuentur ac ſubſidãt: pari ratione mentum vel propenſum vel contractum, frontem, caput, genas, ſupercilia deformata, in decoram ſpeciem confingunt, atque artifici habilitate decenter conformant, ita ſi qua parte claudicat natura, atque ab optima abſolutaque formatione alienata eſt, vt ſunt nonnulli obtorto collo, varis, repandiſque atque incuruis cruribus, aut gibbo deformati, huiuſmodi errores in ætate tenera facilè corriguntur, ac membra obliquè torta, luxata, ſuiſq; ſedibus mota, cura atque induſtria hominum inſtaurantur. Sic efficit nutricum ſedula ſollicitaque cura, vt infantes ſpecioſè adoleſcant,

Vt oculorũ orbes nigreſcant.

Naſi forma quæ decora.

Vnde corporis deformitas.

nec vllis membrorũ vitijs reddantur obnoxij, pleríque verò matrum incuria ac ſupina negligentia non ſolùm in deformem ac deſpicatam ſpeciem degenerant, ſed gibboſi, claudi, luſci, torui, aſpectúque inamabili efficiuntur, atque ab humani corporis dignitate ac præſtantia deſciſcunt. Nonnullæ nutrices plus ſatis ſedulæ atque officioſæ impuberum ijs partibus, quæ micturientibus ac reddendo lotio inſeruiunt, quæque aliquando propagandis liberis futuræ ſunt vſui, aliquam etiam operam impendunt, quò maturè pubeſcant, nec à ſpe prolis excidant, & matrimonio addicti pudore ſuffundantur, ſi minus ſtrenuè officio maritali perfungi contingat, cùm obſeruent acerbas contentiones atque intemperies hac de cauſa inter affines exoriri, ita vt ſubinde genero diuortium minitentur, niſi ſe virum præbeat, ac melius nuptæ gratificetur: quanquam hoc molle & effœminatum nutricum officium improbare ſoleo, cùm impuberes hac vellicandæ mentulæ ratione intempeſtiuè, ac præter ætatis rationem, cùm nondũ virili robore polleãt, in Venerem incitentur, eaque præſidia conſumãt, eos humores ac vitales ſpiritus profundant, quibus poſtea validos vegetoſque liberos poſſent procreare: cùm intempeſtiua Venere, vel nullos vel flaccidos proferant, minuſque vitales. Quocirca conſultum arbitror, ne præmaturè ex ſe natos coniugio alligari patiantur, niſi vires robuſtæ ſint & confirmatæ, vllumque in matrimonij ſocietate inſultum perferre poſſint, quod ipſum ætati teneræ denegatum eſt, ſiquidem prima quaque impreſſione labaſcunt, atque euirantur; præſtat enim, vt ſponte ſua, ipſoque naturæ impulſu abditæ partes turgeſcant potius, quàm aliqua illecebra incitatæ.

Nutrices notantur.

Præmatura Veneris incõmoda.

Multa

Multa animantium, piſcium, alitum, inſectorum genera abſque ſemine progenerari, vt etiam herbas: multaq; animalia atque auiculas inſolita ratione ac modo abſque mutua maſculi opera concipere.

CAP. XIX.

MVLTA emergere ac propagari in natura rerum ſpontè, nulloq; alterius complexu aut fœtura, ex ſordibus ac putredine, vt glires, ſorices, cochleas, limaces, erucas, bruchos, veſpas, crabrones, cimices, ranas, blattas, bufones, anguillas; in corporibus humanis vermes, licet intus ſemine ſcateant, quo poſtmodum numeroſa ſobole ſe propagant, quotidiana exempla commonſtrant. Inter herbas quoque multæ ex limoſa terræ pinguedine atque vligine progerminant, nullo ſparſo ſemine, aut cōmiſſis ſolo, ſubactaque ſcrobe plantarijs: vt ſunt zizania, lolium, vrtica, oleaſter, alga, & quæ iniuſſa, ſponteque vireſcunt gramina. Ita ſunt apud Belgas Corniculæ, quas monedulas vocant petreas, quòd in præruptis ſaxis atque excauatis petris, non in arboribus nidulentur, vulgò *Steen crauWe*, quæ ſe non ineunt cæterarum alitum more, quod paſſim in gallis multiſque alijs auibus obſeruamus, quæ in dorſum inſilientes, compreſſoque fœmellæ corpore Venerem perficiunt: ſed inconniuentibus fixiſque oculis ſeſe obtuentur, ita vt fœmina ex maris oculis, obtutu continuo lachrymas ac roſidas guttas eliciat, quas abſorbet, atque ex ijs, vt exiſtimant nonnulli, concipiunt. An verò ore concipiant ac pariant, vt apud nos Sepia, Squilla, Loligo, Locuſta, Polypus & Galeus piſcis plebeius, vulgò *Haye*, cute ſcabra, qui ore fœtum etiam in foro piſcario euomit, non auſim certò ſtatuere. De Galeo vè-

Multa ex ſordibus enata.

Quæ Cornicula ore cōcipiant.

Galeus piſcis ore parit, & qui alij.

leo verò piſce nihil exploratius, nec magis cōpertum, ore illum fœtum effundere. Cùm enim nuper ruſticus quidam aliquot Galeos vili pretio emptos, humeris geſtaret, ſpectantibus ciuibus ac popularibus, erepſerunt ex hiante ore aliquot piſciculi, ita vt ruſtic⁹ à plebe irriſus, ac faſtidio affectu erga piſces, illos in ſterquilinium abijceret. Eſt autem Galeus alterius differentiæ, leuore perpolitus, cuteque molli nec ſcabroſa, qui circa vmbilicum dehiſcente ruptaq; aluo fœtum excutit, ita vt lōgo amento maternis viſceribus adhæreſcat. Audiui enarrantes piſcatores fide dignos vidiſſe ſe recens è mari exemptos ſubductoſq; Galeos dilatatis faucibus, oriſq; hiatu ſenos ſeptenoſq; piſciculos eiecisse mirè agiles, ita vt confeſtim in mare cōiecti, ſe natatu exercerēt: quemadmodum videmus pullos teſta exemptos ſcalpturire, ac roſtro quæque impetere. * Hoc autem admiratione dignum, cùm Galeus piſcis per oris hiatum pariat, piſciculi aluum maternum identidem ſubeunt, vterique latebras repetunt, ac ſubinde intra viſcera ſe recōdunt, mox luſitātes erepunt, quod Plutarchus admiratus, Galei paterna quadam, inquit, indulgentia nulli animalium palmam cedunt, oua primùm, mox animalia aquatilia, numeroſo partu non foris, vt cætera, ſed in ſeipſis edunt, educantque ac geſtant in vtero velut ſecundo quodam partu: ac vbi adoleuerint, euagari patiuntur, ac rurſus per os recipiūt, incolendumque corpus præbent, atque inibi tantiſper hoſpitium ac refugium, cibumque indulgēt, dum ex ſeſe præſidium ſit, & natandi peritia penitus ſint inſtructi, quod quo expeditè conſequantur, & ludere & natare docent, tum voluere ſe, atque agilitati inſueſcere, quò tutius aduerſus marinas beluas periculo ſe ſubducant. Sunt autem in noſtro mari multa Galeorum genera, quorum alij,

De induſtria animalium.

alijs

alijs artibus ſunt inſtructi: inter hos Galeus glaucus à colore, Belgis *Sprinckhaye* dictus, quòd incredibili agilitate quatuor cubitorum altitudine è mari exiliat, ac celerrimo curſu extra periculum ſe ſubducat, ne prædæ ac lanienæ pateat. Eſt nobis etiã Galeus maculoſo ac variegato tegmine, velut nigris guttis inſperſo, noſtrates *Gheſpickelde haye* vocant, quemadmodum videmus canes & equos maculis infuſcatos: hunc noſter Geſnerus ſub caniculæ ſaxatilis nomine depingit. Aduehitur etiam in forum piſcarium Galeus Centrina, vulgò *Speerhaye*, quaſi dicas, lanceatos aut aculeatos galeos. nam duobus in dorſo aculeis armati ſunt, quibus hominibus periculoſo vulnere infeſti ſunt: noſtrates aculeos hos argento incluſos expurgandis dentibus accommodant. Hæc de aquatilibus, quæ ore concipiunt, & pariunt, noſtratibus compertiſſima. De Cornicularum verò conceptu, qui ore, vt fertur, perficitur, non auſim indubitanter quiddam pronunciare, cùm illæ columbarum naturam mihi exprimere videantur, quæ roſtro ſubinde ſe baſiant, ac quodammodo oſcula figũt, vt proci amaſijs aut nouis nuptis. Vnde in illos, qui ſatis inter ſe iuuenantur ac laſciuiunt, atque identidem in oſcula atque amplexus proruunt, Columbare prouerbium iactari ſolet, ac columbatim ſe inire atque amplecti: quod Belgicè *Duuebecken* à Columbarum geſtu, dici ſolet, ita vt ineunte vere illa ſint Veneris præludia, ac velut prooemia. Non deſunt, Plutarcho teſte, qui mures citra virilem operam concipere, ac grauidos effici afferant, ſi crebrò ſalem linguant. Virgilius quoq; huic rei quiddam non abſimile memorat de equarum conceptu, *Columbare colũbatim prouerbiũ.*

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum, *Georg.3.*
Continuoq; auidis vbi ſubdita flamma medullis,

Vere magis (quia vere calor redit oſsibus) illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantq; leues auras, & ſæpè ſine vllis
Coniugijs vento grauidæ, mirabile dictu,
Diffugiunt.

Simile à famelicis. Non diſſimile quiddam equino generi euenit, quod nonnullis famelicis, qui nidore culinæ ſaturantur, atque alimentorum penuria, odoribus reficiũtur, aut puellæ nubili, cui cùm amaſio frui negatum eſt, illum tacitè fouet gremio, illum animo menteque etiam abſentem concipit, ita vt ex crebra imaginatione maſſam quandam informem concipiat, conglobatis collectiſque in ijs partibus humoribus, qui conceptui inſeruiunt, quæ informis concretio imaginaria Venere perficitur, nullo conceptu, virique opera.

Imaginaria Venus quid in vtero moliatur.

Manus vel aliæ corporis partes frigore, geluq;, aut pruinis obſtupeſcentes ac rigidæ, vt reſoluantur, ac calore rurſus imbutæ reuiuiſcant.

CAP. XX.

Frigore obrigeſcunt corpora. CONTINGIT aliquando cœlo aſpero atq; inclementi, flanteque hibernis menſibus Aquilone, aut vento alio rigido, quo omnia paſſim cõcreta conſpiciuntur ac conglaciata, hominibus etiam manus, parteſque alias corporis intolerando cruciatu obrigeſcere, ac ſtupore affici, ita vt emortuæ decidant, vel ſectione adimi debeant, atque vt areſcentes rami, detruncari, ne pars ſana inficiatur. Vbi autem tale quiddam inciderit, vt ijs aſſolet, qui per loca gelida ac pruinoſa iter faciunt, aut illiſa naue, tabulatis inſident, ac fluctibus hinc inde iactantur, non confeſtim ſic affecti igni admouendi, ſed paulò remotius ab hoc collocandi, ne dolor repentino atque immodico calore exaſperetur,

:que incrudeſcat. Interim affectæ partes placida ıitique frictione demulcendæ defricantis manu leo Chamemellino, aut anethino vel amygdali-o perfuſa, mox aqua egelida fouendæ, aut lacte ubalo tepēti ac recēs mulcto, cui incocta ſunt lau-i folia viridia, quæ oleoſa ſunt, roſmarinus, ſal-ıia, ſtechas, ſpica celtica vel lauendula, quo reuo-ari ſanguis poſſit, ac partes emortuæ reuiuiſcere.)mnia autem hæc ſenſim perfici debent, ne dolo-em irritari contingat. Nemo autem, opinor, non ıliquando in ſe expertus eſt, quàm acerbò dolore ırticuli neruorum ratione, qui exquiſitiſſimo ſen-ſu pollent, afficiantur, vbi intenſiore ac penetrabi-ıi frigore rigeſcunt, vel extincto vel refugiente ad intimas partes ſanguine, ita vt primo frigoris oc-curſu rubeſcant manus, mox frigeſcente ſangui-ne liueſcant, atque emoriantur, vitali ſpiritu ac ſanguine deſtitutæ. Quocirca molli agitatione vellicandi articuli, atque admouēdum liquamen, in quo decocta quadrupedum inteſtina, pedes, far-cimina, omaſa: quod in omnibus vrbibus paſſim obuium eſt ac parabile: in quo liquamine, vt etiam lacte bubulo elixari poſſunt herbæ paulò antè me-moratæ, quo poſtliminio calore viuifico membra imbui queant, atque inſtaurari: fouent enim mem bra huiuſmodi fomenta, ac roborant, doloreſque mitigant, vt etiam thermæ, hypocauſta, aquæ dul-cis balnea: partes quoque ſic affectæ, modò ne pror ſus frigore rigeſcant, ac nonnullis ſanguis ſubſit, aqua gelida immerſæ, eaque ſubinde irrigatæ, in priſtinum vigorem reſtituuntur, ac ſenſim incaleſ-cere incipiunt: per antiperiſtaſim enim ſeu cōtra-rium expulſo frigore calor inducitur: quod ipſum experiri quiſque poteſt, contractata niue aut gla-cie, confeſtim enim manus ferueſcunt, ac rubore ſuffunduntur. Sic poma congelata, in aquam fri-

Frigus inimicū neruis & oſſibus.

Membris frigore oppreſſis qua auxiliētur.

Nix & aqua gelida calorē excitant.

gidam demerſa ad naturam ſuam redeunt, totaq́; illa conglaciata cōcretio liqueſcit ac reſoluitur. Ita glacies in puteū demiſſa, eueſtigio liqueſcit ac diffunditur. Sunt enim aquæ puteales hibernis menſibus calore quodam imbutæ, vt penuaria ac ſubterranei ſpecus: æſtiuis verò menſibus intenſiſſima frigiditate. Cæterùm quò ab internis etiam partibus ad externas calor ac vitalis ſanguis propellatur, intus exhibendæ ſorbitiones ex vino ac calorificis rebus confectæ, quibus natiuus calor, vt ignis ſopitus, exſuſcitari poſſet: propinandum quoq; ex vino lectiſſimę theriacæ momentum. foris corpori applicandæ lagenæ ſtanneæ aut fictiles aqua calida oppletæ, in qua herbæ incoctæ ſint, quæ ſudorē eliciunt, ac corporis ſpiramēta relaxant, vt ſunt feniculus, apium paluſtre, liguſticum, oluſatrum, & ſmirnium, lauri folia, meliſſa, angelica, ruta, origanum, ſatureia, &c. quod ipſum etiam in peſte factitare ſoleo: quò à corde omnę virus & contagio diſcutiatur. Quod ſi quis à naufragio in littus eiectus, præter membra artuſque frigore rigentes, aquam etiam marinam affatim hauſerit, quæ vrinam affluenter prouocant, illi exhibenda, & ne ſalſugo internas partes exhulceret, potiunculam confici iubeo ex hordeo, ficubus, vuis paſſis, ſemine aniſi, feniculi, eiuſque radice, ac rubenti cicere, addito radicis glycyrrhizæ momento: hæc enim marinæ aquæ ardorem atque acrimoniam retundit, parteſq́; exhulceratas lenit ac mitigat. Quòd verò ad cibi rationem attinet, omnia ſalſa, acida, acerba, acria euitētur: Aqua mellis, lactis bubuli potus cum modico zaccari, ne coaguletur, præclarè iis auxiliatur. Ptiſina & quicquid ex hordeo conficitur, vel in ſorbitionis, vel pulmentarij, aut cremoris modum, mirificè confert. Quòd ſi cutis foris (vt aſſolet) ex vrenti ſalſugine erodatur, linimenta ex recenti

Putei æſtate frigidi, hieme calidi.

Lagena corpori applicata, ſudorem eliciunt.

Naufragi qua ratione inſtaurandi.

Potio ſalutaris, qui marinam hauſerint.

Veteratæ cutis ex a.

:nti butyro, adipe ſuillo non ſalito, axungia, ana-s, anſeris, gallinæ, vnguento roſaceo, atque è po-ulo nigra, vulgo *Popelier*, admouenda. *qua ſalſa linimētum.*

Vnde exoriantur, atq; emergant in homine conſcientiæ ſtimuli: & an, vt affectus & animi perturbationes, humoribus aſſcribendi: an in animo menteq; ac voluntate conſiſtant.

C A P. XXI.

CONSCIENTIA, hoc eſt, bonorum malorumque in cuiuſque mente teſtificatio, quæ recordatione quadam actorum, rectè facta approbat, vitioſa ac nequiter tranſacta arguit ac deteſtatur, omnibus à Deo inſita eſt. Ita pura atq; integra mēs nullius ſibi criminis conſcia, ex benè actæ vitæ recordatione emergit: perturbata autem, tumultuoſa, pauida, inquieta ex ſceleratæ vitæ conſuetudine oritur, ſeſeque vel inuitis profert, ſic vt nonnullos in deſperationem ac diffidentiam impellat, vt Cain, Saulem Regem, Iudam: alios in ſpem ac fiduciam conſequendæ ſalutis erigat, vt Dauidem, Petrum, Magdalenam. Homo itaque angore quodam mentis atque animi cruciatu afficitur, ſi quando conſcientia patrati ſceleris memoriam animo obijcit, vindictæque metu terret ac concutit, quibus ſtimulis mens nonnunquam in Deum erecta, vt in filio prodigo contigit, reſipiſcit, ac diſcuſſa trepidatione, tranquillitatem conſequitur, ſic vt mens rurſus exhilareſcat, atque erigatur, ac diffuſo per corpus ſanguine, erectiſque ſpiritibus, qui paulò antè ſopiti erant, color effloreſcat, qui tabeſcente corpore, contractoque mœrore animo, extinctus erat, atque exanguis. Cùm enim ſe proferāt vitia, affectuſq; animi in vultu ac corporis habitu,

Conſciētia quid.

Cōſcientia vis.

Timor quādo ſalutis ac reſipiſcentiæ cauſa.

habitu, ſiquando aliquid latentis occultique faci-noris in mēte reſidet, huiuſmodi ferè homines ob-lata vel leuiſſima occaſione expalleſcunt, tumultu-antur, æſtuant, contremiſcunt, ſuſpirioſi ſunt, ge-mebundi, taciturni, ſuſpitioſi, exanimes, varijſque cogitationibus diſtrahuntur, quod, vt Dauid ait, peccatum iugiter animo obuerſetur, ita vt non pro voto aut animi ſententia excuti poſſit, aut oblite-rari admiſſi criminis recordatio, ſed ſubinde recru-deſcat, ac redintegretur: quò ſpectat illa Dauidis precatio, cùm in tali affectu eſſet conſtitutus, atque
Pſalm. 50. huiuſmodi fluctibus æſtuq; iactaretur: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, ac ſpiritu principali confir-
Pſalm. 41. ma me: Tum illa cum animo ſuo expoſtulatio, vel potius deploratio, Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam ad-
Pſalm. 4. huc confitebor illi. Rurſus parta animi tranquilli-tate, diſcuſſoque mœrore, Introito anima mea in requiem tuam, etenim Dominus benefecit tibi. Dediſti lætitiam in corde. Ita ſi omnia nobis aliter peracta ſint, quàm æquitas exigit, ac praua volun-tas, ipſaque in malum inclinatio aliò, quàm intel-lectus concipit, mens dictat, ſuadet ratio, impelli-tur, poſtmodum excruciat animum hominis ma-lè actorum recordatio. Cùm alij ſepti ac muniti conſcientiæ fiducia, ac mentis ſecuræ teſtimonio fulti, nihil metuant, aut exhorreſcant, nec ingru-entibus etiam calamitatibus, peſte, bello, fame, re-rumque penuria, perſequutione, tyrannorum ſæ-uitia, deijciantur, aut labaſcant. tametſi enim ea ſit humanæ naturæ fragilitas, vt nemo non inopina-
Matth. 26. to inſultu concutiatur, cuius rei Chriſtus ſpecimen edidit, iamiam immolandus: vir tamen integer & qui propugnatore Deo nititur, impauidè atque in-trepidè aduerſus imminentes tempeſtates ſubſi-ſtit, illoque munimento ac præſidio ſe fulcit ac tuetur.

Conſciētiæ fiducia quid efficiat.

tuetur. Sic Dauid anguſtijs vndique circumſeptus, inuictum infractumque animi robur periculis opponit. Spiritu ſiquidem potenti fultus ac vallatus, confidentius loquitur; Etiamſi conſiſtant aduerſus me caſtra, non timebit cor meum; etiamſi exſurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſperabo. Similiter Iob,: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Impij verò, ſcelerati, ſontes, nefarij, facinoroſi tametſi ſepti ſint ac ſtipati magna clientela, muniti opibus, aucti latifundijs, atque ampliſſima agrorum poſſeſſione, rerumque omnium affluentia fruantur, carnificinam tamen animi percipiũt, omnia metuunt atque exhorreſcunt, ipſaq; mens conſcientia ſcelerum tanquam gladio, vt Sapiens ait, pungitur. Cùm enim ſubit animum maleficij recordatio, confeſtim tanquam furijs agitati, contremiſcunt, palleſcunt, circumſpectant, omniaque vel tuta timent. Eſt enim cuique natura inſitus delectus rerum, iudicium, boni maliq; diſcrimen, impreſſaq; Dei notitia, quam Paulus appellat legem, ſeu inſtinctum ductumque naturæ, qua ferimur ad honeſta, auerſamur turpia, atteſtante, vt is ait, cuiuſque conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus. Magna itaque in omni vitæ actione vis & effectus conſcientię, ſic vt homo, quamlibet atrocia illi impingantur, conſtantiam tueatur, ſemperq; in propoſito ſuſceptoque conſilio perſiſtat, nihil metuat, non cõtremiſcat, aut vllis minis concutiatur, ſi nihil commiſerit: qui verò aliquo crimine contaminatur, aut labem aliquam in mente conceperit, pœnam continenter ante oculos verſari imaginatur, paratumq; interitum. Timor enim, quo & ſanguis ſe recõdit, ac ſpiritus conſopiuntur ex peccatorum conſcientia exortus, homini mentem eripit, ac vultum totiuſq; corporis ſpeciem immutat: ita etiã in medijs

Pſalm.26.
Cap.13.
Prouer. 12.
Lex naturæ quid.
Rom. 2.
Conſcientia ſpeciẽ corporis immutat.

delicijs, in tripudijs, in ſympoſijs, in amplexu coniugis carnificinam ac morſus animi experiuntur: cùm vitæ integritas omnia pacata efficiat, trãquilla, placida, quieta, minimeque turbulenta, aut tumultuoſa. Quod vnum argumento eſſe poteſt, mentem hominis à Deo profluxiſſe, illius vi incitari, illius ſpiritu & afflatu impelli, denique ſupereſſe à morte animam, quæ reuolutis annis, vbi ſupremo Iudici cum hominibus diſceptare viſum erit, corpus poſtliminio eſt amplexura. Mane autem atque antelucano magis elucet, ac ſe profert conſcientiæ vis ac ſtimulus, diſſipatis fumis ac diſcuſſo fuliginoſo vapore, quo mens ex heſternis ac pridianis vel actionibus vel epulis, ſympoſijs, cruditate, crapula, ingluuie, alea fuit oppreſſa, ita vt eo potiſſimum tempore ſubeant animo anteactæ cogitationes, eaque in mentem recurrant, quæ deteſtari ſolet vel improbare. Sic Propheta: Mane exaudies vocem meam. Mane adſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Mane, mane eriget mihi aurẽ Dominus. De mane vigilabo ad te. Iuſtus tradet animam ſuam, vt vigilet ad Deum, qui fecit illum. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Ita euigilatis, ieiunis, impranſis, abſtemijs magis ſe ingerunt conſciæ mentis affectus, ac Deus diluculo aurem homini vellicat. Quis enim vino obrutis, crapula, ingluuie, ebrietate oppreſſis cultus adferri poſſit, aut ſalutaris vel admonitio, vel afflatus adhiberi? Ita noui pleroſq;, quibus cùm identidem ſuboriri ſoleat, ac repullulaſcere rei malè actæ recordatio, vino affatim ſe obruiſſe, ne obreperet animo, ac tacitè ſe inſinuaret facinorum memoria: quanquam poſtridie malum recrudeſceret, ac mentem ob cruditatem ſæuius infeſtaret. Simile enim quiddam ijs euenit, quod morbo infectis, qui non detegunt, ſed celant hulcera ac tumores,

Argumentum validũ immortalitatis.

Cõſcientia quo diei tẽpore ſe profert.

Cur mane ſe profert conſciẽtia.

Pſalm.5.

Eſa.50.

Eſa.26.

Eccleſ.39.

Pſalm.62.

Simile ab ægrotis.

nores, quibus ſcatent, quo fit, vt acerbius intus dilaniari illos contingat: ad quod exemplum alluſit Dauid, cùm inquit: Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die: ita peccatum, terror animæ, mentis inquietudo conſcientiæ anguſtia confeſſionem ſceleris extorſit, & tamen non induci potui, vt commiſſum ſcelus confiterer, ac pœnitentia id expiarem. Cæterùm multum momenti adferunt in permouenda mente, in excitandis ſopiendiſque conſcientiæ motibus vitæ inſtitutio, corporis habitus, inſiti humores. Sic nautæ, milites, baiuli, caupones, trapezitæ, vſurarij, lenones, plerique negotiatores, ſeu minuti mercatores nō magnoperè mouentur conſcientiæ impulſu, ita vt eam largam ſint conſequuti, & qui, vt laxiora ac patentiora retia, omnia tranſmittant, colantes culicem, camelum, vt Chriſtus ait, deglutientes. Nonnulli ſolitarij atque vmbratili vitæ addicti, plus ſatis anxij ſunt, ac trepidant timore, vbi nullus timor. Sic ſuperſtitioſos pluſquam par eſt, aut res exigit, Conſcientiæ motus agitat, nec inanem perſuaſionem ſibi eximi patiuntur. Ita melancholici præ cæteris anxij ſunt. Cholerici ob humorum tenuitatem & feruorem, vilem habent conſcientiam, eamque vel excutiunt, vel extenuant, vel obliuione obruere tentant. Sanguineis non magnoperè cordi eſt ille animi motus, nec aſſurgit vlla in mentem tranſactæ vitæ cogitatio: quò ſpectat illud: Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Quæ enim nobis in ætate iuuenili inſolenter tranſacta ſunt, nec magnoperè commouebant, ea in ſenectute, in morbis, in calamitatibus, ingruente clade aliqua recrudeſcunt, ac menti, tanquam rationes expunctæ atque obliteratæ, obijciuntur: vt ijs, quibus cùm olim multum æris alieni cōflatum ſit,

Pſalm. 31.

Locus Dauidis explicatus.

Quibus deeſt conſcientia.

Simile à regibus.

Matth. 23.

Iob. 13.

Iobi locus explicatus.

Simile elegans ab ære alieno oppreſſis. ſit, ac iampridem rerum creditarum ſolutio animo excuſſa, rurſus appellari incipiunt, atque vt debita refundãt, iure adiguntur. Phlegmatici autem, deſides, ignaui, veternoſi, ſocordes ne cogitãt quidem, quid ſit conſcientia, nec eorum mens aut incaleſcit, aut vllis ſtimulis excitari poteſt, ad ea concipienda, quæ ſalutaria ſunt, vtpote immodica humiditate immerſi. Impij, qui in profundum ſunt demerſi, quique vel à verbo, vel Dei cognitione alieni exiſtunt, omnia contemnunt, irrident, ſubſannant. *Pſalm.1.* Nonnulli intermedij palliant, excuſant, tergiuerſantur, aliò transferunt; quod ipſum deprecatur Dauid, nec in eum errorem deuolui exoptat, *Pſal.140.* Nec declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Multa itaque conſcientiæ lumini officiunt, idque obumbrant, adoleſcentia, crapula, ingluuies, intemperantia, amor, nox, deliciæ, voluptates, quæ omnia pudoris ac modeſtiæ frenum excutiunt. Sic Plautus,

Nox, vinum, mulier, nihil pernicioſius homini adoleſcentulo:

Amor. li.1. Eleg.6. Cui Ouidius conſonat:

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent,
Illa pudore vacat; Bacchus Amorq; metu.

Siquidem conſultores illi parum ſalutares ad deteriora animum rapiunt, mentemque à ſanioribus *Iuuentus conſcientiã negligit.* conſilijs auertunt, & ſi quis horum conſcientiam pungat ac ſtimulet, ſi ad optima quæque impellat atque exhortetur; contemnunt, negligunt, irridẽt, cauillantur, omniaque obnubilant, eleuant, extenuant, ac cauſantur iuuentutem, ac florentes annos, genialiter, nulloque nubilo tranſigendos, poſtremò cogitationes tetricas ablegandas, atque in ſenectutem transferendas: ita cùm rationis documenta reſpuant, ac conſcientiæ dictamen cauillatione illudant, ad Voluptatis amuſſim potius,

quàm

quàm ad æquitatis ac moderationis normam omnes ſuas cogitationes exigunt. Vnde appoſitè Salomon, Adoleſcentia vana, præceps, temeraria, lu- *Eccleſ.11.*
brica, incogitans, improuida, inconſiderata, & quę illam comitari ſolet, voluptas & deliciæ fugaces *Adoleſcentia conſilij inops.*
atque euanidæ, nonnunquam damnoſæ, & quæ luctuoſum funeſtumq; exitum cōſequantur. Quoniam autem huic ætati ferè comes ſit imperitia, incogitantia, conſilij inopia, ob id minus perſpicit, quæ ipſi ſalutaria ſunt, frugifera, fructuoſa. Eſt etiam nonnullis, qui in conſiſtenti ac firmata ætate conſtituti ſunt, & penes quos ſumma rerum publicarum, ac religionis columen conſiſtit, aliquando errore & caligine inuoluta conſcientia, ita vt plerunq; non omnia exactè atque ad amuſſim demetiantur, aut excutiant, aut adhibita in conſiliū ratione, judicio, delectu rerum, Dei verbo, ac ſpiri- *Homines non conſcientiæ motu, ſed affectibus ducuntur.*
tus Diuini afflatu negotia ſua perficiant, ſed nonnunquam illos impellat, vel affectus humanus, vel principum fauor & gratificatio: quod Paulum factitaſſe legimus: vel etiam ſtabiliendæ ſuperſtitionis inueteratæ error, & inolita vitioſa cōſuetudo, quæ irrepſit non bonorum conſenſu & auctoritate, ſed imperitæ plebis errore, quám tamen nemo, *Errores inueterati ægrè eximūtur.*
tanquam legem ac regulam vitæ aboleri ſuſtinet & obſoleſcere: quò fit, vt in delectu rerum, in boni maliqúe diſcrimine, in erigenda inſtaurandaq; ac propaganda ſincera religione, ac Dei cultu hallucinentur ac cæcutiant, prorſuſque à ſcopo aberrent, magno conſcientiæ detrimento. Sic Iudæis *Ioan.16.*
perſuaſum erat, ſe obſequiū præſtare Deo, cùm in illos ſæuirent, qui Chriſto nomen dederant. Pari impulſu ac ſtudio incitatus Paulus, Chriſtianis in- *Act.9.*
feſtus erat, illoſque minaciter perſequebatur, zelo quidem pietatis, ſed qui errore inuolutus eſſet, & qui, vt Apoſtolus ait, nō ſecundum ſcientiam per- *Rom.10.*
ficeretur,

Act. 5. ficeretur, hoc eſt, non iudicio, non ratione, nō ex
1. Ioan. 4. cuſſa cognitaque cauſa, vt Gamaliel factitauit, non animaduerſa cognitaque Dei voluntate, non ſpiritus Diuini impulſu atque afflatu, quem probari vult expreſſo Dei verbo, atque an ex eo proficiſcatur, explorari: itaque erratum eſt in delectu religionis non affectu & propenſione pietatis, quòd ſpiritu diuino, qui certa atque indubitata mentibus hominum ingerit, eſſent deſtituti. Sic videtur
Prouer. 14. via homini iuſta (vt ſapiens ait) & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Cuius rei ſpecimen nobis exhibet Paulus ex perſequutore factus præco ac propugnator, aſſertorque Euangelij Chriſti, qui ſe miſericordiam conſequutum profitetur, quòd ignorans fecerit per incredulitatem, & quò in eo oſtenderet omnem clementiam Chriſtus Ieſus, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri eſſent in ipſo, ad vitam æternam. Hæc autem de conſcientię motu videbuntur fortaſſe quibuſdam verboſius à me amplificata, præſertim cùm hoc argumentum ad ſacrarum literarum profeſſores atque Eccleſię miniſtros ſpectet, quorum intereſt, & munus expoſcit, cuiuſque mentem ſalubri exhortatione tranquillam ac pacatam efficere, animoq́; pauores eximere. Verùm cùm hi affectus, qui ex conſcię mentis angore emergunt, valetudini officiant, ipſiq́ue ſpiritus atque humores vitiati, huic rei fomenta miniſtrent: Medici quoque officium eſt, huiuſmodi perturbationes mēti eximere, vt ijs ſublatis corpus omnibus ſuis numeris inculpatè ſubſiſtat. Operoſum enim eſt, atque admodum difficile, corpus à ſanitate collapſum reſtituere, atque inſtaurare, vbi mens vitiorum ac labe conſcientiæ contaminata eſt, vbi ſenſuum organa, ac ſpiritus animales ac vitales ſunt vitiati. Nec minus moleſtum eſt viro eccleſiaſtico, animo medelam adferre, vbi

1. Timot. 1.

corpus

corpus vitioſis humoribus oppletum eſt. Siquidem ob arctiſſimam vtriuſque partis cognationem & conſenſum, animi vitia redundant in corpus, corporis verò morbi in animum mentemque tranſferuntur. Exemplo ſunt lymphati, melancholici, phrenetici, amentes, deliri, ebrij, apoplectici, veternoſi, paralytici, maniaci, lunatici, tum pleriq; alij, quorum morboſi affectus ex cerebri intemperie oriuntur, quocirca capiti, quod mentis ſedes eſt, tum vtriuſque partis ſanitati accurate proſpiciendum.

Animi & corporis cõſenſus.

Ad quotum menſem hominis geſtatio in vtero producatur, partusq́; tempeſtiuus cenſeri debeat. Obiter de corporis humani formatione, quóve dierum aut menſium numero fœtus abſoluatur, ac vitalis exiſtat. In qua narratione omnia tractantur accuratius, quòd hinc acerbæ contentiones exoriantur, non ſolùm in legitimo congreſſu, ſed alia quauis Geniali ſolutaq́; Venere.

C A P. XXII.

QVVM magnæ ſubinde contentiones ac controuerſiæ inter pleroſque ſuboriri ſoleant de geſtationis ac partus tempore, ac queritentur nonnulli, qui ſiniſtram opinionem de ijs concipiant, quas olim vel in matrimonium, vel vitæ ſocietatem aſciuerunt, non expletum legitimum pariendi tempus, ſic vt aliquando in ſuſpicionem deueniant, vel pellicatus & violatæ pudicitiæ, quodque alijs furtim corporis ſui poteſtatem vſumq; fecerint: non inconſultè viſum eſt, hac de re nonnulla commentari, eoque magis, quòd Iuriſperiti, qui lites diri-munt, huius rei iudicium Medicis deferãt, illamq; cauſam

Iudiciũ de ventre inſpiciẽdo Medicis defertur.

Digeſt. tit. 2. de ſtatu hominis.

Lib. 3. c. 6.

Lib. 7. c. 5.

cauſam per illos tranſigendam ſtatuant. Sic enim Paulus Iuriſconſultus lib. 19. Reſponſorum: Septimo, inquit, menſe naſci perfectum partum receptum eſt, propter autoritatem doctiſſimi viri Hippocratis, & ideo credendum eſt, eum, qui ex iuſtis nuptijs ſeptimo menſe natus eſt, iuſtum eſſe filium. Tractat hoc argumentum Gellius, ſed hominum opinione potius, quàm rei veritate, aut naturali ratione nixus, vt qui nullum certum tempus pariendi ſtatutum exiſtimet, idque ex Plinij autoritate; qui decimotertio menſe quendam geſtatum in vtero pronuntiat. Cæterùm quod ad ſeptimum menſem attinet, noui compluresapud Belgas maritimos etiam gemellos, qui ad extremam deuexamque ætatem crudo ac viridi corpore menteque vegeta deuenerunt. Quocirca futilis eſt, nulliuſque momenti illorum perſuaſio, qui ſeptimi menſis partum inabſolutum, minuſque vitalem ſtatuunt, & non niſi exactis nouem menſibus, infantem omnibus membrorum numeris conſummatum, in lucem producendum.

Septimi menſis partus vitalis.

Narratio contentionis de prole ſuſcitata.

Sic exorta eſt nuper apud nos non leuis ſanè velitatio, ſed atrox & cruentum certamen, funeſtaque ac luctuoſa dimicatio, ob expugnatam pudicitiam cuiuſdam virgunculæ, non ambiguæ quidem famæ aut nominis, ſed cerebri imbecillis aut vacillantis, quæque mentis iudicio minus polleret, quarum pleræque omnium citiſſimè labaſcunt, minuſq; fortiter aut animosè, vel minis, vel inſidioſis blandimentis obſiſtunt, aut obluctantur, ſecus quàm feroculæ quædam puellæ & clamoſæ, quæ ſe vnguibus & dentibus vlciſcuntur, ac ſtrepitu inſidiatorem integritatis abigunt. Acrius autem magiſque acerbè in hac Tragœdia incruduit diſceptatio, quòd pater, qui ex ea prolem ſuſtuliſſe, vel concubitum extorſiſſe ferebatur (nam id aduerſarij ſunt criminati tanta acerbi-

âcerbitate, vt illum ad cruciatus expoſceret, & tormentis explorandam rei veritatem contenderent) conſtanter factum pernegaret. atque nec vteri veſtibula primoſque aditus ingreſſum, aut perfregiſſe Hymena integritatis velamen, nec prorſus intimos vteri receſſus penetraſſe, per ſacra (qui iudicijs præeſſe, ac ſacra tractare ſit ſolitus) deierare ſe paratum confidenter pronuntiauit. Quocirca nulla ratione pater deſignari ſuſtinuit, nec prolem ſibi addici paſſus eſt, inter alia eo quoque innixus argumento in ſui innocentiam, quòd infans vix ſeptimo menſe eoque inchoato potius, quàm expleto in vitam productus ſit, membris omnibus exactè elaboratis, præter vnguium appendices, quos obſeruamus in noni etiam menſis partu nonnunquam deeſſe, ac deſiderari, præſertim vbi grauidæ immoderatius ſalſamentis vtuntur, aut ſalem liguriunt, vt eſt is ſexus in appetẽdis ſalſis & acidis maximè procliuis. Itaque non ſeptimi menſis partum euincere contendit, ſed noni, eoq; ſupputato menſium decurſu, atque obſeruata temporis ratione, alium inquirendum patrem; qui paulò antè cum illa congreſſum iniuerit, eiuſque conſuetudine ſit vſus. Quum verò ex ſententia Iudicum infans conſpiciendus explorandusque Medicis exhiberetur, accita obſtetrice, atque honeſtis aliquot matronis, quarum vna patritia, vndeuiginti liberorum parens erat, & cui non ſemel ſeptimeſtris partus editus, nec prorſus expletum ſeptimi menſis curriculum: pronuntiatum eſt ab ijs, nõ excuſſa facti cauſa, nec vlla habita ratione patris, húncne an quem alium deputent ſeptimi menſis partum eſſe, qui ſeptem & viginti ſeptimanis in vtero ſit geſtatus. Quod ſi in nonum menſem proferri potuiſſet, futurus erat infans magis ſolidis firmiſque mẽbris, atque ipſa compages ſeu ſtructura corporis magis

Stupri illati inficiatio.

Quãdo infanti vngues deſunt.

compacta ac coagmentata, minuſque diſſolut: erat enim os pectoris, quod velut ſcutum ac mun mentum cordi incumbit, Belgæ *Borſtplate* vocan denique enſiformis cartilago, quæ ſtomacho in minet, eminentior quàm natura fert, nec in pla num redacta, ſed incurua ac turbinato mucrone, v conſpici ſolet pullorum gallinaceorum thora: qui ineunte Vere, ac præſertim menſe Martio, ex cluduntur. Vngues quoque huic infanti, qui ſe xus fœminei erat, in manibus deerant, atque extre mi digitorum articuli, in quibus ex cutis muſculo ſa vel cartilaginoſa materia vngues læuore perpo liti indureſcunt, vix tenues quaſdam notas & exi gua veſtigia exhibebant, non cornea duricie, ſe molliſſimæ membranæ tenuitate. In pedum vero articulis nulla ſe proferebant vnguium indicia quòd illæ partes non tanto calore imbutæ eſſent quanto manus, atque à corde caloris fonte remo tiores: quum manuum articuli per brachia pecto ri annexa, beneficio caloris, qui à corde diffundi tur, omnia conſpectiora in digitis exhiberent. Itaque Medici obſeruatis multis naturalibus cauſis, ſolidiſque rationibus fulti, nullius partis vel fauore, vel iniuria, ita vt patiantur reo, ſi actori viſum ſit, conſtare ſuam innocentiam, vitæque & morum integritatem, pronuntiauerunt adſtantibus iudicibus, quibus ea res demandata erat ab ijs, qui apud Belgas in Aula Bruxellana Regis Hiſpaniarum vices obeunt, non noni, ſed ſeptimi menſis partum ſtatuendum, producto geſtationis tempore per ſeptem & viginti hebdomadas, qui partus etiam ſeptimeſtris cenſeri debet, tametſi non prorſus expletus ſit, atque vna aut altera ſeptimana deſideretur, atque aliquot adhuc dies ad complementum reſtent. In hoc autem negotio Lunæ circuitus obſeruari debet, qui quatuor ſeptima-

Vngues vnde.

Medicorũ de partu pronuntiatio nullius vel fauore, vel iniuria.

Luna menſes cõſtituit in puerperis.

ſeptimanis, hoc eſt, plus minus octo & viginti dierum reuolutione perficitur, quo temporis decurſu, agitato Lunæ vi ſanguine, menſes mulieribus decurrunt, quibus defluxis, vteroque à menſtruo profluuio defecato, vt plerumque quinto die aſſolet, vel ſeptimo, ſi ab eo dierum numero vir fœminæ congrediatur, conceptum maximè naturalem perfici contingit, adeò; vt poſt ſeptimi vel noni menſis decurſum infans in vitam productus, ſaluberrimus exiſtat, ac nullis morbis, quibus infantia expoſita eſſe ſolet, obnoxius. Multis enim morbis ætas puerilis infeſtari ſolet ob ſanguinem menſtruum conceptus tempore vtero inhærentem, vt ſunt ἐξανθήματα, hoc eſt, eruptiones floridæ, vulgò varioli & morbili, Belgicè *Maeſſelen ende Poexken*, aliæque rubentes vel liuidæ puſtulæ, quæ ex menſtrua alluuie contractæ, in extima corporis parte ſe Vere & Aeſtate proferunt. his accedit ἐπιληψία, ſeu morbus comitialis & caducus, qui hinc Belgis *Vallende ziecte* nominatur. Quem morbum, quoniam plures differentias haberet, ſuperſtitioſa gentilitas olim in certos Diuos referre ſolet ante lucẽ Euangelicã mortalibus exhibitam; quum ex naturalibus cauſis, atq; præſertim ex ſpumoſa tenaciq; pituita excitetur. In ore quoq; tenellæ ætati ipſo ferè vitæ aditu vligo quædam palati ac faucium hulcuſcula innaſcuntur, Alcolam Arabes, Greci ἄφθαι, Belgæ *de Sprouwe* vocant. Subter linguã verò Αγκυλόγλωσσον, vulgò Ránula, Belgicè *Span are*, quæ vel inciſione, vel vngue, vel ſalis frictione, aut, vt ego factitare ſoleo, vbi ferrum metuunt, Oxymelite Scillitico aboletur. ne ijs addam ὑδροκεφαλόν, hoc eſt, caput tumore fungoſo ac pituita turgidum, multaſq; alias humorum collectiones ex vitioſo lacte ac menſtruo ſanguine conflatas, quæ etiam adultam ætatem comitari ſolent,

Poſt menſtrua conceptus naturalis.

Epilepſia morbus puerilis.

Alcola quid.

Ránula quid.

Fungoſum caput.

ac quum iam conſanuiſſe viſa ſint, identidem recrudeſcere. Quocirca quum in agricultura ac ſatione, tum in adeundo concubitu, excolendoque fundo muliebri, ac procreandis liberis, etiã ex Moſis præſcripto, obſeruandus eſt Lunæ decurſus, cuius vi ſtatis vicibus menſtrua fœminis, vel defluunt vel ſubſiſtunt. Perficitur autem Lunæ ambitus emenſo Zodiaco ſeptenis vicenisq; diebus, & tertia diei parte, qui dies plus minus quatuor ſeptimanas complexi, Lunarem menſem conſtituunt, præſertim ſi id tempus eximas, quo ſidus hoc occultatur, nec ſit conſpicuum. Siquidem triduo plus minus in coitu, hoc eſt, vt vulgò dicunt, in cõiunctione morata inuiſibilis eſt, quo tempore nõdum in hæc terrena vim ſuam exerit, nec ea immutare eſt idonea. verùm vbi conſpici incipit, hoc eſt, noua exiſtit, & quum in orbem circinata eſt, hoc eſt, quum Soli ex aduerſo oppoſita, plena apparet, mirificos effectus in conceptu, ac pleriſque alijs rebus obtinet: nam & frumenta ſegeteſq; adauget, conchilia implet, carnes laquearibus affixas, radijs ſuis in tabem reſoluit, ſomnoque ſopitis vel diutius ſub eius lumine moratis, pallorem tremoremque, ac capitis grauedinem inducit, pueris epilepſiam, ſtuporem, paralyſim adfert, multaq; alia perficit, non quòd cæteros planetas poteſtate ſuperet, ſed vicinitate. Siquidem in infimo orbe collocata, ac terrę proxima, ortus & incrementa rerum moderatur ſic, vt huius effectu poſt ſeminis conceptionem etiam fœtus in vtero materni ſanguinis irrigatione augeſcat ac vegetetur. Totum quoque geſtationis curriculum ſiue diebus, vel menſibus, vel ſeptimanis metiri ac dinumerare libeat, vt grauidę ferè ſupputant, ad Lunæ motum exigi referrique debet. Explicat autem vires ſuas in corpore efficacius, vel quum primùm cum Sole congreſſa illuſtrari

Simile ab agricolatione.

Luna quot diebus curſum perficiat.

Vide Galenũ de diebus decretorijs.

Luna ſidus terra proximum.

Geſtatio infantis ad Luna curſum referenda.

ncipit, aut quum in orbem cõglobata, plena conſpicitur: medio autem orbe diuiſa, minus virium obtinet; minimè omnium quum falcata eſt, ſenſimque deficit & obſcuratur. Eo enim tēpore nullus in Oceano concurſus aquarum, nulla in corporibus humanis humorum redundantia, nulla in oſſibus medullarum collectio, ita vt tunc expediat tenellis corpuſculis à concubitu deſueſcere, atque inducias ſibi imperare. Ego autem multoties grauidis ac prægnantibus placidum facilemq; partum denuntiare ſoleo, atque illarum mentes in optimam enitendi ſpem erigere, ſiquando Luna noua aut plena parturire occipiunt, præſertim quum Lunæ vis pubi incumbit, aut inguina fœmoraque occupat. nã ſidus hoc ſingula membra percurrere, iiſque biduum, nonnunquam triduum inſidere, aliâs teſtati ſumus. Quum enim circa illas partes moratur, vterus vdus & lubricus promptius dehiſcit ac dilatatur, ipſique infanti expeditum exitum perficit. Quod ſi Luna ſeneſcente atque imminuta partus inciderit, laborioſus ferè eſſe conſueuit, magnoque conatu ac molimine elidi. Hæc quoniam ſæpius à me obſeruata ſunt, nec à ratione aliena videntur, huic argumento adiicere viſum eſt. Cæterùm quum Lunæ vires aliqua ex parte ſumus complexi, hoc in mentem reuocare expedit, quod paulò antè monui, etiam in excitandis tempeſtatibus, ac conſtituenda aeris temperie nullas vires proferre, niſi à Sole illuſtretur, atque ampliſſimum illud ſidus ſua facie, ſuoqe fulgore illam irradiet. quo efficitur, vt minimo effectu polleat, primo ipſo cum Sole congreſſu: verùm vbi tertius, aut potiſſimè quartus dies eluceſcit, manifeſtò vel tempeſtatem portendat, vel ſerenitatem polliceatur, ita vt quartus dies totius mēſis temperiem vel intemperiem conſtituat. Quos Lunæ Soliſque effectus

Quando partus placidus.

Part⁹ quãdo laborioſus.

Prognoſtica ex Luna.

eleganter his verſibus expreſſit Virgilius, obſeruata colorum varietate, qua ex aeris terræque exhalationibus ſuffundi ſolet.

Georg. li. 1. *Luna reuertentes quum primùm colligit ignes:*
Si nigrum obſcuro comprenderit aera cornu,
Maximus agricolis, pelagoq́ parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namq́ is certiſsimus auctor)
Pura, nec obtuſis per cœlum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluuia ventoq́ carebunt.

Totidem verſibus Solis poteſtatem complectitur, qua res mortalium, ac non ſolùm corpora, ſed animos quoque hominum immutat.

De hominis procreatione vtilis & iucunda narratio, in qua illuſtratur altera argumenti pars.

CAP. XXIII.

QVVM multos in naturæ rebus, præſertim quę ad corporis humani ſtructuram attinent, hallucinari, ac cæcutire contingat, multaque nugamenta adferre ſoleant de formatione fœtus, eiuſque ſitu, de geſtationis tempore, & menſium decurſu: atq; an ſeptimus menſis tempeſtiuus ad partum ſtatui debeat, atque is ſit vitalis: conſultò me facturum ſum arbitratus, ſi obiter hominis formationem explicare aggrediar. Eſt enim diuini huius opificij artificioſa conſtructio, omniumque membrorum, quæ vel foris ſe proferunt, atque oculis conſpicienda exhibent, vel intus ad ſingularem vſum deliteſcunt, elegans & concinna cõformatio.

Humani corporis origo. Conſtat autem Homo ex vtriuſque ſexus ſemine, ac primis ſeptem diebus confluente materno ſanguine, in oui ſpeciem coaleſcit ac conglobatur.

Subeſt

Subeſt verò vis & facultas formatrix, diuino quodam cœleſtique munere, Semini, quod ſpiritu vitali atque æthereo abundè imbutum, atque vndique perfuſum, effigiem formamque fœtui imprimit, ſic vt ſingula membra, totaque corporis moles, quæ tanto menſium decurſu perficitur, ac ſenſim in decentem ſpeciem, decoramque hominis figuram abſoluitur, in eo conſiſtant, & quodammodo adumbrata ſint. Quod etiam obſeruauit atque admiratus eſt Dauid rex maximus, diuinorũ operum contemplator vnicus. Conſtituuntur autem à Medicis, qui naturã humanam intimè ſunt contemplati, quatuor diſcriminata tempòra, quibus hominis formatio perficitur. *Seminis hũmani efficacia.* *Pſalm. 137.* *Quatuor formationis infãtis tempora.*

Primum, quum ab inito ſtatim congreſſu, amplexuque mutuo ſeminis naturam obtinet, quo tempore conçeptus & genitura dicitur. Quoniam ſemina inter ſe fermentata coaleſcunt, vt cremor & velut lactis quædam concretio: quod ita deſignat Iob: Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Hic conceptus ac ſeminum maris & fœminæ coalitus & conglobatio (modò ne effluxus oboriatur, vt lubrico ferè, hiantiq; vtero aſſolet) prima ſeptimana perficitur. *Primum.* *Cap. 10.*

Secundum formationis tempus conſtituitur, quum natura vterique facultas ſuis viribus atque inſita vi vſa, manifeſtam ſeminis mutationem efficit, adeò, vt tota ſubſtantia carnea potius & ſanguinea, quàm ſeminalis conſpici incipiat, idque duodecimo ferè aut decimo quarto ab inchoato formationis die. & quanquam hæc concretio, maſſaque carnea ſanguine æſtuanti ac calido redundet, rudis tamen eſt & informis, nullamque membrorum figuram, nulla lineamenta exhibet. nam corporis partes præcipuę nondum diſtinctam *Secundum.*

formam ſunt conſequutæ. quò fit, vt nulla hominis ſpecies aut figura conſpiciatur, ſed rudimẽtum tantum & inchoatio humani opificij, infantem effigiare condiſcentis. Exemplum à figulis deſumi poteſt, (imitatur enim ars naturam) qui ex vda tenacique ac tractabili argilla imagunculas aliaque teſtaceaque confingunt, primùm informia atque indigeſta, mox artificioſa tractatione figurata. In pictoribus tale quiddam obſeruare licet, qui primùm rudiori penicillo, vel denique carbone aut creta ſuſceptum opus adumbrant, Belgæ *beVVerpen* vocant, mox expoliunt vltimamque manũ admouent, ſic vt quæ ante horrida viſa ſunt, abdita, inculta, opaca, obſcura, vmbroſa; mox nitida, peramœna, colluſtrata cõſpiciantur. In ſtatuarijs quoque atque opificibus argẽtarijs tale quiddam imaginari licet, qui vel æs, vel lignum rude & impolitum dedolant, atque excauatum manubrio, adhibitaque aſcia poliunt, atque opus affabrè celatum exhibent. Par eſt ratio, prorſuſque huic rei affinis ſatio, quæ ſparſo humi ſemine perficitur. id enim terræ gremio mollitum ac tepefactum vapore ſenſim adoleſcit, atque in ſtirpem emergit fructumque profert, & ſemen omni illi ex parte ſimile. Vt itaque terra fertilis & fœcunda complexu ſuo ſemen fouet, atque eiuſdem ſpeciei ſtirpem, vnde prognatum eſt, elicit: ſic vterus mulieris, niſi prorſus effœtus ſit, ex recondito in ipſo ſemine fœtum effingit, atque emolitur, ſtatoq; tempore, hoc eſt, exactis vt plurimum nouem menſibus, hominem ſexu maris vel fœminæ, ea qua progenitores ſunt, forma ac ſpecie in lucem producit. Cæterùm vt reliquam inſtituti noſtri partem exequar;

Similitudines ab opificibus.

A pictoribus ſimile.

Simile à ſtatuarijs.

De ſatione ſimile.

Simile à terræ fœcunditate.

Tertium.

Tertium ſtatuitur conſtruendæ fabricæ tempus, cùm euidenter & perſpicuè ſe proferunt tres illæ partes principes, Cor, ex quo arteriæ emergũt,

Cerebrum,

Cerebrum, ex quo vt filamenta quædam ex colo, nerui producuntur, Hepar, ex quo venæ propagantur. Quibus elaborandis ab ipſo cõceptus tempore ad decimum octauum primi menſis diem vteri facultas inſiſtit atque occupata eſt,

Poſtremò autem quod tempus ad vigeſimum octauum aut trigeſimum diem porrigitur, extrema membra articulatim atque exquiſitè elaborata conſpiciuntur, ac iam pullulaſcere ac palpitare fœtus incipit, à quo dierum progreſſu, quoniam omnes artus diſcreti ſunt, totumque opificium exactè formatum conſpicitur, non amplius fœtus aut embrio, hoc eſt, pullulans concretio, ſed infans aut puer indigitari incipit. Mares autem vt plurimum trigeſimo die perficiuntur, Fœminæ quadrageſimo ſecundo aut quinto. Quod autem maſculi properantius abſoluantur, caloris ratione id euenit, qui humorem vt mollem ceram, extendit, diffundit, dilatat, ſuaque vi fingit formatque. Sic calor & vigor corporis, ipſaque naturæ alacritas maribus trium menſium ſpatio, fœminis quatuor motum accelerat: quo tempore erumpentibus etiam capillis & vnguibus, agitari infans in vtero, ac calcitrare molitur, ita vt grauidæ motum non obſcurè percipiant, ac nauſea cibique faſtidio infeſtentur, denique abſurda quædam edulia, atque à natura aliena appetant, rudera, carbones, teſtas, putamina. non deſunt, quæ crudos piſces, armoſque viriles appetant. Sic noui, quæ ſpirantes anguillas, ac congros dentibus attritos fruſtulatim deuorarent. Sũt tamen multæ patritiæ, quæ huic affectui atque enormi appetentiæ non ſint obnoxiæ, vt quibus minimum excrementi aut vitioſi humoris in corpora aceruetur, ſecùs quàm plebeijs, quę voraces ſunt, multumque ſordidi humoris ac feculenti ſanguinis in conceptaculis internis congerunt, ex quibus

Quatrum.

Mares cur citius, quã fœmina abſoluantur.

Infãs quando moue-tur.

circa tertium à conceptu menſem nauſea, faſtidiũ, ructus acidus, ac præter naturam multarum rerum deſiderium & auiditas excitatur. Conſpectus eſt mihi ſuperiorib⁹ annis Brugis ciuitate Flandrorũ abortus gemellorũ trimeſtris, ſexus maſculini, qui ex huiuſmodi affectu, negataq; re quapiã, cui grauida auidè inhiabat, excuſſus eſt. Erat autem digitali, aut paulò plus longitudine, pariq; craſſitudine, mẽbris omnibus exactè elaboratis, nec vlla ſui parte mutilis, adeò, vt ſe oculorum orbes nigricante pupillæ puncto inſigniti, nares, aures, digiti diſcreti, vmbilicus, mentula, femora, ſuræ, tibiȩ, tali, & quibus forma pedis diſtinguitur, digitorũ articuli perſpicuè ſe ſpectanda exhiberent. Cùm aũt infantium vterq; palpitaret, atque indubitata certaq; vitæ argumenta præberet, ad ſacrum baptiſma concurſum eſt, quo peracto, nullũ amplius vitæ indicium præferebant. Cȩterùm quem habeat in vtero ſitum infans, obiter indicandũ. Geſtatur is in aluo materna longo amento vmbilico annexus, vt pomum petiolo ſuo affixũ arbori. per quem venȩ vmbilicalis adminiculo, puriſſimi ſanguinis ſcatebra alitur, atq; nutrimenta capeſcit, nõ per os ac labra, quæ nondũ illi vſui ſunt ad edẽdum, vt nec podex aut veſica ad egerendũ. Vena ſiquidẽ vmbilicalis à matrice orta, iecur, diuiſa eius parte, ingreditur, atq; in venã portæ terminatur, à qua ſanguis puriſſimus per vaſa ſeminaria in vterũ deriuatur. quo efficitur, vt ſanguis & ſpiritus tanquã auxiliares & ſuccenturiatæ copiæ, continenter deorſum ferantur, nequando horum aliquid deſideretur. Per hos itaque venarũ ductus, atque arteriarum riuos, qui ex corpore materno emergentes, in vterũ deferuntur, atq; mox vmbilico inſiguntur, fœtus alitur, ac facultate ſeminis, quod vteri calore fouetur, ac ſanguine irrigatur, omnibus ſuis membris, ſpatio temporis

Exemplum abortus gemellorum.

Situs infãtis in vtero.

poris perficitur. Infans autem in media vteri capacitate, ac velut centro libratus ſuſtinetur, totus in ſe conglobatus, atque oblongo velut productu in orbem conuolutus, ita vt capite paululum inclinato, mentum pectori, talos calceſq; natibus, manus genis, oculiſque applicet, crura verò ac femora incuruato poplite ſurſum elata, imum ventrē attingant. prior aduerſaq; corporis pars, nempe frons, nares, facies dorſo materno imminet, capiteq; deorſum inclinato oculos ac faciem verſus κόκκυγα, hoc eſt, os caudæ, quod oſſi ſacro annexum Belgæ *de Stiet* vocant, in partu vnà cum oſſe pubis dehiſcit ac relaxatur. quo fit, vt plerumque mares proni prodeant, aut capite nōnihil in obliquum inflexo, vt facies conſpici queat: fœmellæ verò aduerſo ſitu magna ex parte collocantur, ita vt egreſſu reſupino, ploratuq; edito cœlū obtueātur. Verùm hæc nō ſemper ordine naturæ procedunt, quum multi contra naturā partus eueniant, ac nōnulli infantes non ſemper capite præuio ſe proferāt, atq; in longū exporrecto corpore, manibus femoribus applicatis exitū affectent. ſed alij pedibus nonnunquam diſtortis vel diuaricatis, oſtio ſe obuoluunt: nōnulli inflexa ceruice, contortoq; in obliquum capite, manibus exporrectis, ac natantium more expanſis, proniſq; humeris procidunt, magno ſuo & enitētis periculo, nec minori obſtetricum anxietate & moleſtia. Quum autem omnia decenter, naturæq; ordine procedunt, infans expleto geſtationis curriculo, eruptionē molitur, ſeſeq; inclinās deorſum voluitur. nec enim diutius in his latebris deliteſcere poteſt, quàm illi per vmbilicum alimentum ſuppetat, ac calor Cordis abſque externa reſpiratione poſſit ſubſiſtere. Quocirca grandior factus, alimenti luciſq; eſt auidus, atque aerem captare nititur, adeò, vt ruptis membranis atque inuolucris, quibus

Partus contra naturā ordinem.

quibus obductus, ac cõtra attritus munitus erat, acerrimo parturientis cruciatu in vitam producatur, idque non ſolùm ob aſtricta minuſque laxa vteri veſtibula, ſed quòd hæc calamitas & pariendi anguſtia ob Adami atque Euæ lapſum à Deo inuecta ſit, illique hoc onus impoſitum, viro quoque in non mitiorem miſeriæ ſortem deiecto. Magna autem ex parte nono menſe vterus dehiſcit relaxato oſſe pubis, parturiente pro virili enitente, quę quod grauat, excutere nititur, infante inſita vi, ductuque naturæ erumpente: quo adiumento in partu mortuo, aut inualido mulier deſtituta eſt. Infans enim viuus atque alaçer non minus, quàm mulier operi inſiſtit, atque aeri inhiat, auramq; captare nititur. Cæterùm ſunt complures, qui exacto completoque nono menſe in decimum deueniãt, quos partus decimeſtres Hippocrates vocat, inchoato quidem decimo mẽſe Lunari, qui viginti octo diebus perficitur, non prorſus finito. Sic Sapiẽs decem menſibus in vtero ſe cõformatum memorat, atque ex fæminę viriq́ue ſemine coagulatum, voluptate concubitum comitante. Pari ratione, qui iam expleto ſexto menſe (in quo partus nulla ratione vitalis exiſtit, quòd membrorum firmitas deſideretur) ſeptimum ſunt ingreſſi, atque vel duas aut tres ſeptimanas in eo ſunt conſtituti, ſeptimo menſe editi dicuntur. Eadem eſt ratio in ſupputandis hebdomadibus & menſibus, qui certo dierum numero terminantur. ſiquidem elapſa antecedente ſeptimana vel menſe, atque inſequẽte inchoata, ab hac deſumitur temporis ratio, illiq; geſtationis curriculum aſcribitur, atque ab eo mẽſe, quem prægnans ingreſſa eſt, aut partus inciderit, (vt aſſolet, vel ſeptem vel nouem Lunæ curſibus) dinumeratio ſumitur. Par eſt ratio de annorum ſupputatione, vel à Chriſto incarnato vel paſſo, ita vt in-

Vnde labor parturiendis.

Geneſ. 3.

Decimeſtris partus.

Sapien. 7

vt inſcriptio obſeruetur inſequentis anni, etiam primi menſis initio, obliterato, neglectoque præcedente. Quod autem ſeptimi menſis partus vitalis exiſtit, nõ prẹter rationem eſt, ſed certa huic rei cauſa ſubeſt. Siquidem infans eo tempore inſita vi ac naturæ ordine circumagit ſe, ac conuoluit, locumque ſuum mutat, ac commodiorem captat. Et quemadmodum militiæ Dux vel anguſtia ac difficultate loci, vel commeatus aut rerum neceſſariarum inopia exercitum aliò transfert, ſic tamen vt in metandis mutandiſque caſtris miles continenter in éxcubijs agat, ac velut in procinctu conſtitutus ad omnem euentum belli, atque inopinatum impetum, inſultumque hoſtium erectus ſit atq; expeditus: ita ſi illo temporis momento, quo ſeptimo menſe is naturæ motus cieri ſolet, pariẽdi tempus inciderit, atque vltro citroque collatis viribus infans in lucem prodeat, citra omnem dubitationem vitalis eſt. Simile autem quiddam huic infanti euenit, quod noctu euigilatis ſolet, qui ſe in aliud latus deuoluunt, ac molliorem culcitræ partem, minuſque preſſam captant: quibus ſi quid inopinati obueniat, aut à re quapiam repentina interpellari contingat, quò minus ſe denuò in lectũ deuoluant, confeſtim cubile deſerunt, excuſſoq; ſomno, tametſi aliquid noctis reliquum eſt, ad ea peragenda, quæ vrgent, ocyus ſe accingunt: alioqui ſi ſomno oppreſſis præter opinionem, aut ſpem aliquid euenerit, tumultuari illos contingit, ac cõtremiſcere, omniaque confusè ac nullo ordine vel aggredi vel perficere, ita vt res nec felicem nec optatum exitum conſequatur: vt in octauo menſe aſſolet, in quo impetrata quiere denuò refocillari incipit infans, ac materno hoſpitio, eiuſque alimento perfrui. Sunt quidem nonnulli ſeptimo menſe editi, corpore flaccido minuſque firmo, & qui calorem

Partus ſeptimi mẽſis quur vitalis.

Simile à duce militiæ.

Simile ab euigilatis.

lorem natiuum languidũ obtineant, ſed nutricum cura atque induſtria fulti, diu ſubſiſtunt, vitamque in multos annos proferunt. Simile enim quiddam ijs euenit, quod pomis alijſque fructibus arboreis, qui pręmaturè vel decidunt, vel decerpuntur, quos arboratores, qui ex his quæſtum venantur, recondunt, ſtramentiſq; fouent, ac paleis obruunt, quò tẽpeſtiuè matureſcant, atq; eſui reddãtur idonei. Siquidem huiuſmodi infantes opera ſtudioq; matrũ, aut quibus alendi cõmittuntur, vires concipiunt, atq; adhibitis fomentis robur conſequuntur: quo ſubſidio vitã in multos annos prorogãt. quod nulla ratione obtinetur in octimeſtri partu, qui rariſſimè vitalis eſſe ſolet, quòd ſedatus ſopituſq; ſit motus illæ naturæ & agitatio, quæ ex certa cauſa excitari cõſueuit, ſeptimo menſe, quũ à matre, tum ab infante. quocirca ab inquietudine ſeptimi menſis laſſus, vires colligere incipit, atq; ad præfixũ geſtationis tẽpus in materno gremio refoueri. Quò fit, vt ſi oborta aliqua vel intẽperie vel perturbatione, infantem ſedibus ſtatiuiſq; ſuis exturbari contingat, lethale exiſtat, propter cauſam extraneam, atque à naturæ ordine alienam, quam etiã Saturnus ſidus ferale & noxium exaſperat, ſuaque frigiditate infanti vires deijcit: quamobrem ad nonum menſem in ſua ſtatione conſiſtere ſalutare eſt, quò vires colligat, iuſtumque robur aſſequatur. Quum aũt nonus mẽſis aduentare incipit, infans alimenti inopia ſubſidit, ac deorſum deuoluitur, vteriq; veſtibula primoſque in lucẽ aditus perſequitur, atque exitũ affectat: nonnunquam in ipſo pariẽdi calore ac feſtinatione, impetu quodã per lubrica labitur, ac dehiſcente vtero, nullo obſtetricis adminiculo, dicto citius (vt pomum maturũ leui attactu) decidit. Quòd ijs potiſſimè vſuuenit, quibus vterus ampliſſimè dilatatur, atq; infans omnia cumulatè eſt conſe-

Simile à fructibus maturandis.

Octrimeſtris partus non vitalis.

Saturnus infanti grauis.

conſequutus, ſuiſq; viribus abundè inſtructus. Nã quę ſtricti oris ſunt, infantemque geſtant valetudinariũ vel imbecillem, difficulter enitũtur, ac laborioſo conatu, ſummoque molimine partum excludunt. Ex hac preſſura atque enitendi difficultate deſumit appoſitiſſimam ſimilitudinem Seruator, *Morale à partus anguſtia.* ſuoſq; animat, atque vnicè ſolatur, ne animo deficiant, ac labaſcant ob calamitates ac clades illis Euangelij cauſa inferendas, quũ exemplo parturiẽtis, *Ioan.16.* mœror in effuſam ſolidamq; lætitiam ac ſubitum gaudium ſit cõmutandus. Itaque periculũ immi- *Ex partu & pariẽte exempla.* nere indicat, anxietatem, triſtitiã, trepidationem, ſed hęc omnia cõfeſtim exorto inopinato gaudio, ac ſuauiſſima Spiritus paracleti cõſolatione diſcuſſum iri. Impijs autem minatur paſſim Deus, ac deſumpto ex partu exemplo, inexpectatũ ac repentinũ interitũ imminere denunciat. Sic enim illorum mentibus apud Eſaiã terrorẽ incutit: Vlulate, quo- *Cap.13.* niã prope eſt Domini dies, quaſi vaſtitas: virorum cor tabeſcet, & manus diſſoluentur, terrores, cruciatus, & dolores illorum animos occupabunt, & vexationibus correpti, parturientium ritu dolebũt & ingemiſcẽt. Hieremias quoque quum Iſraelitas *Cap.4.* in ſummo luctu atque extrema calamitate conſtitutos deſcribit: Vocem, inquit, audio, quaſi parturientis, anguſtias & cruciatus primo partu enitentis, qui ferè inſuetis acerrimus eſſe ſolet, quòd nunquam tale quiddam inciderit, aut huiuſmodi laborem ſint perpeſſæ. Sic etiam Regibus Deus formidabilis eſt, & tremendus, quum aduerſum illũ criſtas erigunt, vt apud eundem prophetã de Ioachi- *Cap.22.* mo rege Iuda refertur, quem in eas anguſtias coniecit, vt dolorem & anxietatẽ perpeſſus ſit, qualis conſpicitur dolor parturientis. Militũ quoq; Moa- *Hier.48.* bitarum animis (tametſi hoc genus hominũ ferox ſit & impauidũ) eam trepidationem ac pauorem

iniecit,

iniecit, qualis eſt animus parturiētis fœminæ, quæ diſſoluitur ac liqueſcit, niſi adſtantium ſolatio fulciatur, niſi matronarum ſubſidio ſubleuetur. Eſt autem apud Eſaiam elegans cumprimis ac conſolatoria concio, ornata excultaque inſigni comparatione: Propheta ſiquidem illos, qui afflicti ac caſtigati reſipiſcunt, ductique pœnitentia ad Deum confugiunt, parturienti comparat, quę in anguſtia conſtituta, atque enitendi difficultate non ſine vitæ diſcrimine oppreſſa; adſtantium opem implorat, ac dimotis vndiquaque oculis, ſuſpirijs, gemituque ac lamentis ſubſidium ac ſolamen expoſcit. Sic enim concionis huius seriem proſequitur, vt obiter quædam delibem: In ſemita iudiciorū tuorum ſuſtinuimus te Domine, & memoriale tuum in deſiderio animæ noſtræ. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & in ſpiritu meo, & præcordijs meis, de mane vigilabo ad te. Quo teſtatur, ſe inniti Domino, ingruente calamitate, & admotis flagellis, in eoq; ſpem fixam habere, atque oculos intentos, denique memoriam Dei impreſſam eſſe animo ſuo, totaque mente atque animo inuigilare mandatis illius, ac nullo non tempore meditari in ſalutari illius doctrina; non ſolùm media luce, ſed intempeſta etiam concubiaque nocte, atque antelucanis horis. Quid autē obliuioſos ad hunc mentis feruorem impulit, ac tam ſolidam fiduciam extorſit, mox ſubijcit: Domine, inquit, in anguſtia & tribulatione rebuſque aduerſis ac deploratis, nominis tui maieſtas & amplitudo in mentem venit, tuique ſubit memoria ac recordatio: res afflictæ ac deſperatæ tacito tuæ Diuinitatis afflatu atque impulſu ad reſipiſcentiam nos pertrahunt. Sicut quę concepit, quum inſtat tempus partus, clamat & vociferatur: ita facti ſumus coram te Domine. Paulus quoque ſocordes atque oſcitantes ad excubias, ac vigi-

Cap. 26.

Eſaiæ locus explicatus.

Afflictio religioſos facit.

1. Theſſ. 4.

ſe vigilandi induſtriam extimulat, atque parturientis exemplo in Dei aduẽtum expeditos paratoſ- 2.Pet.3.
que eſſe vult. irruit enim vt fur & nocturnus op- Apoc.3. 16.
preſſor, dies illius, & tanquam dolor repentinus parturientis. Hæc ſtudioſe lector, quoniam non prorſus ab inſtituto aliena ſunt, viſum eſt adijcere: quò quiſq; ex ijs aliqua vitæ documenta deſumat, ac conſideret, quàm luculentas appoſitaſque ſimilitudines ſacri vates ſuis concionibus accommodent, ex notiſſimis naturę rebus depromptas. quod eò obſeruant ſtudioſius, quò auditorum animis efficacius influant, ac concepto emendatioris vitæ propoſito, alacri promptaq; voluntate ad frugem, Deique cultum ſe conferant.

Quoto ætatis anno Puellis pubeſcentibus concubitus deſiderium excitetur, & conceptui efficiantur idoneæ. Rurſus quando prouectioribus fœcunditas deſinat, ac deſinentibus menſtruis vterus ſterileſcat. In qua narratione virilis quoque naturæ conditio excutitur.

CAP. XXIIII.

QVO optimè conſulant pudicitiæ virginum ſuarum progenitores, illorum intereſt curioſè obſeruare, quando expediat, aut ſit tempeſtiuum ex ſe progenitas, aut quarum ijs cura incumbit, elocare, ac coniugio deſtinare. Eſt enim is ſexus fragilis, ac ſolicitantibus vndique ad defectionem procis, ad ruinam procliuis. Multis autem argumentis huius rei propẽſio, ac naturæ puellaris inclinatio deprehendi poteſt. Siquidem pubeſcente corpore, ac profluentibus ſtato tempore menſibus, vt aſſolet decimo quarto aut quinto ætatis anno, alijs ſerius, alijs maturius pro cuiuſque habitu & cõſtitutione,

ſemen augeſcit, ac ſanguis, qui nō amplius in corporis augmētum aſſumitur, redundans, rei Venereæ imaginationem menti infert. quocirca in ętate nubili cōſtitutæ, ſe comunt ac poliunt, oculoſq; ac genas non ſolum ſpeculo, ſed iuuenibus continenter obijciunt, ſeſeq; ſpectandas exhibent, adeò vt à procis demulceri tractariq; cupiant, ac blandius appellari, oculis eius rei cauſa in obliquū detortis, atque in amaſios ſuauiter coniectis. quæ res efficit, vt oborta tētigine, atque intimarū partium titillatione, prurire vtrique incipiant, atque impotentius ad concubitū incitari. eoq; fit, vt plerumq; excuſſo pudore, nec obſeruata voluntate parētum, qui aliquando tardi ſunt & difficiles in cōferenda dote, aut ægrè illas abs ſe diuelli patiuntur, vltro ſe procis offerant, ſubijciantque magna cū pudicitiæ iactura, tum totius proſapiæ infamia & dedecore. Vnde noſtratibus prouerbium iactatur: Periculoſa merx virgo nubilis maturaque viro, *Rype dochters zorghelycke ende brooſche VVaere*. Quanquā quod ad continentiā attinet, virginū, quàm viduarum conditio Belgis cōmendatior. Tale enim ſpargitur de ijs dicterium, Virgines in amore ſtabiles & ſedatæ mentis: Viduæ tumultuoſæ, lubricæ, inſtabiles, inquietę, nec vnius mentis aut ſentētiæ. *De maechden hebben eenen zin: de VVeduVVen hebbē den duuel in*, ob deguſtatas, opinor, rei Venereæ illecebras, quas animo cōceptas, auidius expetunt, quàm virgines, quibus nunquam illæ voluptates delibatę ſunt, ipſiuſq; Genialis thori ſunt expertes & ignaræ. Cæterùm quum virgines decimo quarto ætatis anno, aut paulò ſerius aliquod ſpecimen edāt maturitatis, defluētibus iā menſtruis, cōceptioni aptæ efficiuntur. quę vis illis porrigitur ad annum vſque quadrageſimū quartum, nōnullis quæ valido ſunt corpore & vegeto, ad quinquageſimū quintū fœcunditas

Virgo cultus ſtudioſa.

Virgines maturius elocandæ.

Virgines fragiles.

Prouerbiū de Virginibus.

Prouerbiū in Viduas.

Mulier quādo primū fœcūda efficitur.

Mulieri quādo menſes deſinūt.

cunditas producitur, vt in noſtratibus aliquando obſeruaui. Scio equidē fluxum menſtruū in nonnullis boni habitus vlterius proferri, verùm id rarū eſt, nec ſemper ex naturali cauſa humor ille excrementitius profluit. Quocirca explodenda illorum ſentētia, qui exiſtimant, vt muliebris profluuij, ita conceptus indefinitū eſſe terminum, nec ſtata his rebus fixaq; tēpora poſſe aſſignari. Quanquā enim nonnullæ anno ſexageſimo huic fluxui ſint obnoxiæ, nō tamen ex naturali cauſa is prouenit, ſed ex affectu aliquo contra naturam oborto, qui etiam partum excutit. Siquidem ira, indignatione, excandeſcentia, ſubitaq; atque inopinata conſternatione dehiſcere contingit conceptacula, ac meatus reſerari, ſic violento humorum concurſu tale quiddam prolui contingit, pleriſq; ex caſu & ruina conuulſis venarum fibris. Quum autem magna ex parte mulieribus circa annum quadrageſimumquintum, aut ad ſummū quinquageſimum menſes ſubſiſtant, ac nulla ex harum congreſſu ſoboles ſperari poſſit, præter naturæ rationem faciunt, quæ ſe iuuenibus in matrimonium addicunt, aut viri, qui tales aniculas pecuniarum auiditate ambiunt, aut in coniugium adſciſcunt. Fruſtra enim vtrimque opera inſumitur non ſecus, quàm ſi ieiuno, ſterili, arido, ac ſtrigoſo agro generoſum ſemen cōmittatur. Tolerabilius eſt, ſi ſenex ſucculētus ac vegetus, cruda viridique ætate ſe iuuenculæ addicat. Nam ex ea ſocietate aliquod ſperari poteſt poſteritatis oblectamentum: quum vir nūquam tam effœtus, tamque exhauſtus, & exoletus cenſeri ſoleat, quin prolem excitare poſſit. Cæterū quæ ſit viri natura, & quouſq; ſe proferat vis procreandæ prolis, obiter indicandum. Cùm autem adoleſcentibus plurimum calidi ſit innati, vt Hippocrates ait, circa ętatis annum 16. aut plus paulò aliquid virilis roboris

Aniculæ ne iuuenibus ſe addicant.

Vir quouſque fœcundus.

concipiunt, abditæque partes pubeſcere, ac mentum decora decentique lanugine exornari incipiunt. quæ naturæ vis atque ardor propagandę ſobolis in dies magis magiſque augeſcit, atque incrementa concipit vſque ad annum 45. aut quinquageſimum: atque in 65. deſinit. Tunc enim magna ex parte flacceſcere virile robur & ſemen infœcundum effici incipit extinctis ſpiritibus naturalibus, & areſcentibus humoribus, ex quibus caloris beneficio ſemen confici ſolet. Sunt quidē nonnulli validi, robuſtique ſenes, quibus adoleſcentia continenter ac moderatè tranſacta eſt, qui ad ſeptuageſimum annum fœcundi ſunt, & in peragēdo concubitu viriliter ſubſiſtunt, quorum multa exēpla Brabanti, Gothi & Sueci ſuppeditant. Sic enarrantem audiuimus Nauclerū quendam fide dignum, quum Stocholmiæ negotiaretur, imperante Guſtano patre inuictiſſimi Regis Sueciæ Erici; qui nunc rerum potitur, ſe accitu regis interfuiſſe nuptijs viri cuiuſdam centum annorum, qui in matrimonium adſciuerat triginta annorum ſpōſam, ex qua complures illum ſuſtuliſſe liberos; indubitata fide memorabat. erat enim vir (vt ſunt in ea regione plurimi) adeò cruda viridique ſenecta, vt vix impleuiſſe annum quinquageſimū videretur. Apud Tongros quoque, atque in Campania Brabantica, vbi mira aeris clementia, & gens temperans & frugalis, inauditum non eſt, ſed propemodum vulgare, octoginta annorum viros virgines nòn admodum annoſas in coniugij ſocietatem adſciſcere, atque ex ijs proles excitare. Quocirca annorum numerus viro nihil officit ad procreandos liberos, niſi prorſus ætatis iuuenilis incontinentia exhauſtus ſit vigor, ac genitales partes effœtæ emarcuerint. Vnde Belgæ in exoletos, atque intempeſtiua Venere fractos prouerbio ludunt, *Vroech hengſt*

Rei geſtæ narratio.

Brabanti annoſi.

vroech ghuyle, à caballis admiſſarijs deſumpta comparatione, qui ſi vel frequẽtius, vel maturius equas ineant, citiſſimè conſeneſcunt, nec vllis munijs bellicis accommodari poſſunt. Quid autem diſcriminis ſit inter viros & mulieres, & vel cauſæ vel rationis ſubſit, quòd mulier citius ſterileſcat, quàm vir, ac profundere ſemen deſinat, ſi quis fortè requirat, calorem natiuum deſigno, quo vir præcipuè pollet. Siquidem quum mulier virum humoris copia vincat, vt menſes indicant, & corporis mollicies, tum vir illam inſito calore ſuperat. Calor autem præcipuus eſt, qui humores concoquit, atque in ſeminis ſubſtantiam immutat, cuius alimento deſtituta fœmina, pingueſcit quidem ætatis acceſſu, at ſterilitatem conſequitur ſecus, quàm vir, cui calore liqueſcit pinguedo, ac diſſoluuntur humores, verùm eius beneficio in ſemen elaborantur. Huic rei etiam aſſcribo, quòd mulier minus virium obtineat, minus prudentiæ & conſilij, minuſque ratione polleat, nec ea ſit dexteritate in rebus gerendis, qua vir.

Prouerbiũ in exoletos. Simile à caballis exhauſtis.

Vir calidior fœmina.

Vir diutius fæcundus, quàm fœmina.

Qui potiſſimùm alij ab alijs morborum contagia concipiant, Et qua ratione efficiatur, vt infantes conualeſcant, exhibitis nutrici medicamentis.

CAP. XXV.

QVVM morbi contagioſi obuios quoſq; inficiant, tum in nullos ſe citius diffundunt, quàm quorum natura multum inter ſe habet affinitatis: vt ſunt parentes & liberi, ſorores, fratres, conſanguinei, quibus ferè vltrò citroque periculum imminet, ac labes aſpergitur. Et quò quiſque ſanguine coniunctior, ac magis propinquus, eò celerius ab altero malum concipit, propter ſympathiam,

hoc eſt, naturæ cognationem atque ſpirituum & humorum conſenſum. Quocirca graſſante peſte ac ſæuientibus paſſim morbis popularibus, denunciare ſoleo ſanguine propinquis, vt abſiſtant, pauloque remotius ab ægroto ſe ſubducant, ne peſtifero halitu infici contingat, qui notos potius & conſanguineos, quàm exteros ignotoſq; corripit, tametſi reliqui, qui aſſiſtunt, à periculo non ſint immunes. Par eſt ratio de nutrice, pueroque vberibus inhiante. ægrotante enim nutrice, tota vis morbi in infantem deuoluitur, ipſaq; nutrix ſubleuatur, ac malum diſcutit. Quum enim morbi vis per venas ſanguinis in cõceptacula diffunditur, atq; ex ipſo ſanguine exactè confici atque elaborari lac ſoleat, infans impurum minuſque ſincerum alimentum elicit. Quò fit, vt tota vis morbi in infantẽ decumbat, quòd ſanguis, qui lactis ſubſtantia eſt, ſit infectus, ac febrili qualitate imbutus. Quocirca confeſtim ablactandi, nequid morbi contrahant, ac vitioſo ſucco inficiantur. Mulieres quoque nutricantes nonnunquam à lactente puero morbos contrahunt, ſed qui non ſint tam exitiales. quoniam non tanta vis mali aut contagio ab infantibus promanat, quàm à nutricula, cui ſanguis magis feruet, & plus putredinis concipit. In diſcutiendis autem puerorum morbis (quoniam ea ætas medicamenta reſpuit atque auerſatur) eo vtor ſtratagemate & aſtu, vt nutricibus ea præſcribam, atque ebibenda offeram. ſtatim enim diffuſa per ſanguinem (ex quo lac conficitur) medicamenti vis, vbera ſubit, ac lac illius qualitate imbuit: ita ſi purgatrix ſit medicina, puero aluum ſoluit; ſi aſtrictionis particeps, eundem ſiſtit & cohibet. Similiter ſi tuſſicula infeſtentur, atque anheloſi ſint natura, quæ pectus dilatant, ac pituitam abſtergunt, exhiberi curo, nempe Hyſopum, marrhubium, iridis radicem,

Conſanguines citò cõtagiũ concipiunt.

Nutrices infantibus morbos adferunt.

Pueri morbidi nutrices inficiũt.

ricem, inulam, glycyrrhizam, ficus, ſatureiam. Nonnunquam medicamenta, quæ infantia exigit, linteolo aut ſindoni includi inuoluique iubeo, eorumque dilutum (infuſionem triuiales vocant) offerri, præſertim vbi ea ætas bibere eſt edocta, ac pocula ori admouere aſſueta. itaque pueros teneriores, ſeniculos, prægnantes, puerperas valetudinarias, atque ex pariendi labore afflictas, arte tractare meditor, vt exigit cuiuſque corporis conditio, & natura morbi expoſcit, ſic vt ſemper menti obuerſetur illud Hippocratis: *1. Aphor. 17* Multa danda eſſe ætati, regioni, conſuetudini. Et quemadmodum nautæ pro aeris tempeſtate, vel auræ temperie vel intemperie vela nunc complicant, nunc dilatant atque extendunt, ac clauum modò huc, modò illuc detorquent: vt Coriarij calceos pedibus accommodant: Sartores veſtes membris aptant: vt nutrices pueris pro ætatis infantia manſum in os inſerunt, non ſolido cibo illos inferciunt: vt Præceptores adoleſcentium ingenia tractant, ac primùm elementis, mox ſolida doctrina imbuunt. quod etiam Paulum ſtudioſè obſeruaſſe legimus in tradendis fidei noſtræ myſterijs, in erudiendis Corinthijs, qui quum non eſſent ſublimioris doctrinæ capaces, velut adhuc infantes lacte aluit, hoc eſt, ſermonem ſuum deiecit ad illorum captum & imbecillitatem: Ita exercitatus perituſque medicus, ſingulos tractat pro naturæ ſuæ conditione, eaque offert, quæ proſint, nec minima ſui parte officiant. Huiuſmodi autem rationibus & exemplis obturare os ſoleo ſciolis quibuſdam, qui non ſuſtinēt aliquid medelæ adferri infantibus, ſenibus, puerperis, & quibus ex partu vires deiectæ ſunt, quorū nemo nō ſumma cura fulciri debet, ac cōmoda victus ratione, vſuq; medicamentorum ſalubri, ac minimè noxio in priſtinū ſtatum reduci.

Similia aliquot ex rebus vulgatus.

1. Cor. 3.

Sic nō veritus ſum, puerperis triduo etiam à partu angina, aut pleuritide correptis venam incidere, atque exhibita potione pectorali ſputum promouere. Circa prægnantes quoque, ſiquando acuto morbo corripiantur, magna adhibetur conſideratio, ne vel ipſa, vel fœtus periclitetur. ſi res venæ ſectionem vel purgationem poſtularet, illam moliri ſtudeo, iuxta Hippocratem, à quarto menſe vſque ad ſeptimum, idque in ſupernis brachij partibus, nulla ratione circa pedes, femora, aut talos, ſeu malleolos, quibus ne cucurbitulæ quidem admoueri debent, ne abortus periculum immineat. Impuberibus etiam peſte correptis, aut acuto morbo oppreſſis, ſalutaria remedia maturè adhiberi curo, atque omnibus modis vitæ fontem cor muniri, & vim morbi à principe parte amoliri. Obiter in huiuſmodi tenellis corporibus accuratè vires fouendę, morbuſq; deijciendus. Mala eſt enim Medicina, vbi aliquid naturæ perit. Quocirca Medicus, aut proſit, aut ne noceat, imò omnibus modis prodeſſe ſtudeat ratione artis, quod facilè conſequetur, ſi omnia recta ratione, atque ex artis præſcripto exequatur.

Lib. 1. Aphoriſ. 4.

De Pelle ſeu plumoſo tegmine vulturis, quod mira vi pollet in corroborando ventriculo, atquę excitanda cibi auiditate, paulò efficacius, quàm zinziber, cuius natura quoque hic exprimitur, non cuiuis obſeruata.

CAP. XXVI.

QVVM multa ſint, quæ foris admota ventriculo robur adferant, ac concoctioni adminiculentur, tum nihil efficacius, aut magis præſentaneum, quàm Vulturis tegmen, vel detracta pellis, cæterarum

rum pellium modo ſubacta, ac concuſſione complanata. Eſt autem hæc ales, vt miluus rapaciſſima atque inexplebilis edacitatis, ita vt hanc Belgæ ab inhiandis cadaueribus, & quòd ſemper famelica prædam venetur, *Ghier* vocant, à cuius natura auaros, & qui habendi cupiditate ſunt inflammati, *Ghierich* nominant, Latinè Vulturios. Quum autem eius ſit conditionis ac naturæ hæc auis, vt omnia auidè appetat, & inoffenſè conſumat, tegmini eius ea vis infuſa eſt, vt ventriculum humanum fulciat, ac faſtidioſo nauſeantique ſtomacho vires appetendi & concoquendi cibi cōferat, quin & alui profluuium cohibet, & vomitum compeſcit, ſed diuerſo modo ventriculo applicatum. Hoc enim experimento comprobatum habeo, vt ſiquis tegmen è corpore alitis exemptum, arteque pellicea concinnè elaboratum, ſubactumque flaccido ac languenti ventriculo admoueat, fluxum ſiſtere, ac leuitati inteſtinorum auxiliari, præſertim ſi eo ſitu applicetur, vt plumoſa pilorum congeries deorſum ſpectet: quemadmodum in ſuffultis veſtibus, ſecundo, vt ita dicam, flumine, pelles palma demulceri ſolent. confortat enim fouetque calorifica vi, & adſtringendi ratione facultates ſeu potentias naturales, quibus alimenta attrahi contingit, retineri, concoqui & expelli: tres quoque ventriculi tunicas neruoſas, & totidem fibras, Rectas, vt Galeno placet, quæ attrahendi munere funguntur; Obliquas, quæ retinendi vi pollent; Tranſuerſas, quæ concocta foras propellunt, corroborat, vtque ſuo officio perfungantur, efficit. Cæterùm tegmen id contrario aduerſoque ſitu collocatum, acumine piloſo ſurſum exporrecto, atque in ſublime nitente, vomitum compeſcit, deorſum detractis ſtomachi muſculis, quibus cibum amplectitur, & retinet. In huiuſmodi autem affectibus,

Vulturis natura.

Potentiæ naturales quatuor.

quibus vel ſupernæ, vel infernæ partes infeſtari ſolent, non diſſimile quiddam moliri ſoleo. Sic in vomitu os ventriculi inungi iubeo, deorſum producta manu verſus vmbilicum: In fluxu verò alui, à pede ſurſum reducta palma: quod ipſum etiam factitare ſoleo, ſiquando mulier vteri affectibus eſt obnoxia. Sic in matricis, vt vocant, ſtrangulatione, qua ſuffocari videtur fœmina, vaporibus ſurſum delatis, vel venam circa talos incidi iubeo, vel coxis cucurbitulas affigi, omniaque auerti, ac deorſum ferri curo, vel iniecto cliſtere, aut aluo ſubditis balanis, ſeu, vt vulgo vocant, ſuppoſitorijs: In procidentia verò vteri, vbi omnia deorſum feruntur, tanquam reſoluta corporis compage, ſupernas partes ligamentis adſtringi, vberibus cucurbitas affigi, vel venam humerariam pertundi iubeo, quò omnia in contrarium reuellantur. Intus quoque in iam memoratis affectibus exhiberi poſſunt, quæ morbi conditio exigit. Sic flaccido & nauſeanti ventriculo, vel vbi minimum cibi appetit, aut ægrè aſſumpta alimenta concoquit, præter vina aliquot generoſa & calorifica, vt ſunt Hiſpanica & Cretica, Zinziberis radix ſuccoſa, melle condita, *Groen gingiberghe confijt*, Belgæ vocant, præclarè concoctioni auxiliatur, ac flatus ex cruditate & humoribus pituitoſis contractos diſcutit. Quocirca & oculorum caligines ex denſis craſſiſq; humoribus è ſtomacho ſurſum delatis natos diſpellit. Nonnullis hanc in obſonijs & condimentis præſcribo, præſertim vliginoſo vdoque ſtomacho obnoxijs. alijs, qui ex Zythi vel Cereuiſiæ immodica potione, dolore vel grauitate ventriculi, crebriſque ructibus infeſtantur, aliquot ramenta cum momento ſalis deuoranda præcipio. Dici enim vix queat, quantoperè inflationes & tormina mitiget. Accendit quidem vtitq; primo guſtu hæc radix linguam, verùm

Zinziberis effectus.

verùm nullam ſitim excitat : ſed quum ſaliuam & pituitoſum vndique humorem è capite, faucibus, ſtomacho eiiciat, linguam vdam præſtat, ac ſaliuali humore fluitantem. eoq́ue fit, vt nulla vel ſiti, vel ſiccitate os afficiat. Quocirca magno commodo ſeptentrionales Belgæ huius radicis vſu ventriculum fulciunt. *Zinziber ſitim non excitat.*

De occultis naturæ miraculis

FINIS.

LEVI.

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZAEI PARAENESIS, SIVE EXHORTATIO ad vitam optimè inſtituendam, ſummis pariter atque infimis ſalubris cumprimis & frugifera, ſiue corporis, ſiue animi incolumitati proſpectum cupiant.

IN DEVM PER CHRISTVM POtiſsimè defigendos oculos, mentemq́ erigendam.

CAP. I.

Vnde petenda ſalus. QVISQVIS ſalutis ſuæ eſt auidus, ſibique optimè conſultum cupit, atque in hac vitæ ſtatione, ijs excubijs aduerſus imminentes caſus, & quæ ſingulis momentis ingruunt incommoda, intrepidè at- *Deus fons bonorum.* que inconcuſsè ſubſiſtere exoptat: in Deum opt. max. ac cœleſtem Patrem per Chriſtum defigat oculos, atque mentem, quæ ab hoc vberrimo fonte dimanauit, continenter habeat erectam, nec aliò reſpectet, aut conſectetur ſalutis præſidia, ſed huic vni fidat atque innitatur, illum colat, veneretur, ſuſpiciat, ac ſalutaria quæque Mediatoris fiducia *Magnificētia Dei erga homines* ab illo depoſcat. Deinde ſedulò excutiat, atque attentè ſecum ipſe meditetur, quanta Deus erga genus humanum vſus ſit munificentia, quibus ornamentis ac naturæ dotibus hominem inſtruxerit, qua illuſtrauerit dignitate & amplitudine, in quod decus & honorem opificium hoc è terra conflatum euexerit.

Quanta

Quanta homini contulit rerum opifex Deus.

CAP. II.

QVVM forma atque externa corporis humani ſpecies, celſa illa quidem & erecta in cœlū, quò condiſcat ad ſuam originem directos habere oculos, præ cæteris animantibus ſpectabilis ſit, atq; artificiosè decenterque expreſſa, tum interna effigies illum mirificè exornat, quòd ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit conformatus, hoc eſt, repræſentet ac referat opificis ſui eſſentiam, atq; ad eius naturam proximè accedat. Quæ vis excellēs ac diuinitus illi infuſa, tota in anima ac mēte conſiſtit, ex archetypo ac Diuinitatis ſacrario deprompta. quo diuino munere conſequitur homo, vt ratione, iudicio, intelligentia imbutus, doctrinæ cœleſtis efficiatur capax, conceptaque Dei notitia, ac fidei lumine illi vniatur, ac totus in illum transformetur. Præter alias autem inſignes prærogatiuas hoc in primis conſequutus eſt homo, vt quum Deus cætera animantia ἄλογα finxerit, hoc eſt, muta, ac ſermonis vociſque vſu deſtituta, illi loquendi munus indulſit, quo communicare alijs ſenſa mentis atque animi conceptus poſſit indicare, & quod omnium eſt maximum, Deoq; gratiſſimum, vt Conditorem, cuius notitiam per fidem mente conceperit, voce celebret, ſummiſq; laudibus proſequatur. Hac enim ratione non ſolùm illuſtratur nominis illius maieſtas & amplitudo, ſed etiā pro ingenij humani modulo, non nulla rependitur accepti beneficij gratia, ac profertur erga tam munificum Patrem grati propenſique animi teſtificatio. Quum autem Deus bonorum noſtrorum non egeat, nihil aliud à nobis exigit, quàm amorem & gratitudinem.

Duplex hominis effigies.

Gene. 2.

Homo Dei ſimulachrum.

2 Cor. 3.

Quid hominem à belluis ſecernit.

Loquela ſingulare Dei donū.

Gratitudinem Deus exigit.

Pſal. 15.

Deo

Deo nihil homine charius, omniaq; in eius vſum creata.

CAP. III.

Deus homini mirè afficitur.

QVVM autem Deus vnicè afficiatur erga hominem; atque huius animum mentemque, in qua elucet eius Diuinitas, multis magniſque ornamentis illuſtrauit, tum etiam externis donis, atque ampliſſima poſſeſſione rerum, quæ natura Dei miniſtra affatim profundit, cumulatè illum inſtruxit, illique totius vniuerſitatis præfecturam ac principatum attribuit, etiam infimo cuique cerdoni ac plebeio, qui non minus fruitur Creatoris munificentia, totiuſque mundi amœnitate ſpectabili cumprimis ac viſenda, quàm Regum quiuis copijs opibuſque affluens, ita vt in hoc ſpatioſiſſimo orbis theatro verſetur, non vt exterus quidam & inquilinus, qui à mundanarum rerum poſſeſſione ſit alienus, ſed vt κοσμοπολίτης, hoc eſt, mundi huius ciuis ac municipalis, omniumque rerum, quas terra complectitur, dominus. In illius enim vſum, commoditatem, obſequium omnia creata ſunt, quæcunque cœli ambitu, terræque ac maris complexu continentur: quod ijs verſibus Dauid operum Dei admirator vnicus teſtatur.

Omnia in vſum hominis condita.

Homo mundi præfectus.

Pſalm. 8.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum per vniuerſam terram?

Quoniam exaltata eſt magnificentia tua ſupra cœlos.

Quid eſt homo, quòd eius ſis memor, aut filius hominis, quòd eius rationem habeas?

Minuiſti illum paulum à Deo vel Angelis: gloria & honore coronaſti illum, & præfeciſti eum operibus manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti pedibus eius, &c.

Quibus verbis commonſtrat, quanti æſtimet Deus

Deus poſt Chriſtum, hominem, quantaq; ſit apud illum eius exiſtimatio, cui naturæ vniuerſitas ſubſeruiat, ac ſit obſequioſa, adeò, vt non ſolùm res omnes creatæ commodis vſibuſque eius ſint expoſitæ, ſed Chriſtus etiam huius cauſa ſe morti ſubiecerit, cuius fauore ac meritis pater omnia nobis affluenter donat. *Rom. 8.*

Quanta eſſe debeat hominis erga Deum gratitudo.

C A P. IIII.

ILLVD autem præcipuè hominis erga Deum non vulgarem amorem ac venerationem excitare debet, quòd quum à Deo eſſet alienatus, atque ob violatum eius præceptũ, in ſempiternam mortem deiectus, pater cœleſtis, ſingulari Chriſti fauore ac meritis, in gratiam receperit. Chriſtus ſiquidẽ humanæ cladis miſertus, hominem ſuo ſanguine expiatum patri reconciliauit, ac deuicta morte, excuſſaque ſæuiſſimi hoſtis tyrannide, cui erat obſtrictus, & velut obæratus, in libertatem poſtliminio aſſeruit, atque in regni cœleſtis hæreditatem reſtituit, ſic vt, teſte Paulo, non amplius ſimus alienigenæ atque hoſpites Dei, ſed ciues & hæredes; denique amici ac domeſtici eius, ſuper Apoſtolorum ac Prophetarum fundamẽtum extructi ſummo angulari lapidi Ieſu Chriſto, per quem acceſſum aditumque habemus in vno ſpiritu ad patrem. Quocirca quum quiſque noſtrum ſalutaris doctrinæ adminiculo per fidem ac lauacrũ regenerationis Chriſto ſit inſitus, atque, vt Paulus ait, per renouationem ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulentè, gratiam & hæreditatem cõſequutus: par eſt, ipſaq; ſalutis noſtræ inſtauratio expoſcit, vt omni ſpe ac fiducia in tam munificum patrem, eiuſque filium Ieſum Chriſtum, qui mortem & peccatum

Hominis reconciliatio. *Ephe. 2.* *Tit. 3.* *2. Tim. 1.*

Deo vita noſtra approbanda. catum aboleuit, collocata, illi nos ſubmittamus, illi noſtram vitam, mores, ſtudia approbemus, ſummaque animi puritate, moribus ſanctis & inculpatis, precatione aſſidua, ac feruenti illum nobis deuincire, illiuſq; fauorem ac gratiam demereri enitamur.

Baptiſmus quid homini conferat, quid moneat.

C A P. V.

Baptiſmus quid efficiat. QVONIAM autem Baptiſmus, ſeu ſacra lotio primus eſt in Eccleſiam cœtumque ac conſeſſum fidelium ingreſſus, ipſaque ianua & veſtibulum, hæc in ſpem ac fiduciam ſalutis nos deducit. per fidem enim & pœnitentiam, hoc eſt, anteactæ vitæ deteſtationem mortificato corpore, menteq; renouata, Chriſto inſerimur, qui animi noſtri labes ac vitia, adhibito externo hoc ſymbolo, abſtergit, eluit, abolet, infuſo mentibus noſtris Spiritu ſancto, per quem concepta certitudine ſalutis, confidenter clamamus Abba pater. Quæ geminata atque identidem duplicata inuocatio tam eſt efficax & præſentanea, vt omnia à munifico patre conſequatur, modò quis ſua vota ac preces, ſuas poſtulationes ac ſuſpiria per Chriſtum eò dirigat. *1. Ioan. 5. Iacobi 1.* Hoc enim duce ac mediatore, qui nobis gratiam ſuo ſanguine promeruit, nihil non eorum, quæ nobis ſalutaria ſunt, obtinemus, nec vnquam orationes noſtræ irritæ ſunt aut inualidæ. *Oratio per Chriſtum efficax.* Neque enim obſurdeſcunt aures tam munifici patris ad illorum precationes, quibus redimendis filium ſuum vnigenitum impendit.

Poſt Deum, in proximum proferenda charitas.

C A P. VI.

Deut. 6. Leuit. 7. QVVM autem in Deum, cui nihil non debemus, & in quē omnes humanę vires, quę in mente,

corde, anima, ſpiritibus conſiſtunt, effundi debent, *Marc 12.*
potiſſimè proferenda charitas: tum verò in proxi *Luc. 10.*
mum, hoc eſt, eiuſdem cum vnoquoque noſtrûm
naturæ & conditionis amor diligendus non con- *Charitas*
tractior aut remiſſior, quàm quo quiſque noſtrum *erga Deū.*
ſeipſum complectitur, ſic vt omnes illi non grauatè operam ſuam præſtent, & ſiquando res poſcat, ac ſe offerat occaſio (quam etiam captare par eſt) ſubueniant egeſtati, atque adſiſtant conſilio ac opibus. Hic enim eſt potiſſimus fidei fructus, ac ſin- *Amor erga*
cera minimeque fucata Chriſtianę profeſſionis te- *proximū.*
ſtificatio.

Quanta eſſe debeat erga parentes, liberorum pietas.

CAP. VII.

CAETERVM cùm omnia Deo, plurimū patriæ & amicis, tum verò non parum multa parentibus debemus. Quis autem cultus & veneratio iis præſtari debeat, nihil neceſſe eſt operoſius pręſcribere, quum cuique natura ſit inſitus amor & propenſio erga ſuos, etiam Ethnicis, teſte Chriſto, ſic *Matth. 5.*
vt is affectus (etiamſi præſtetur officium) non laudem promereatur, ſed crimē effugiat. Hoc tamen
ab ineunte ætate ſedulò cuique inculcandum, vt *Proles pa-*
parentes, quorū opera ac miniſterio vitæ primor *rentib. affi*
dia, luciſque huius auſpicia eſt conſequutus, inti *ciuntur.*
mè impenſeq; diligat, ac ſummo amore proſequa *Prouer. 8.*
tur, ſic vt illis in omnibus, quæ dictat ratio, atque exigit æquitas, morem gerat atque obſequatur,
quemadmodum Chriſtus ſubditus legitur Mariæ *Luc. 2.*
matri & Ioſepho. Eſt enim Deo grata pietas, & ob
ſequium, cultuſque parentibus exhibitus: quod et- *Exod. 20.*
iam ſtudioſè præſcriptum eſt, cùm in veteri, tum *Deut.*
nouo teſtamento. Scitum eſt illud Pittaci philoſo- *Matth. 15.*
phi: Qualia ſtipendia parentibus intuleris, eadem à *Epheſ. 6.*

Matth 7. *Marc. 4.* filijs expectato. Quò ſpectat illud Chriſti, latius ſe proferens, Qua menſura metimini, eadem metientur vobis alij. Ex huius enim rei errore ac negligentia plerumque euenit, vt parentes experiantur ſuos liberos contumaces atque immorigeros, minuſq; obſequentes, ſic vt proles iam adultæ progenitorum monita reſpuant atque aſpernentur, idq; meritò, ac iuſta nonnunquam talionis vindicta, quòd ſe parum commodos præbuerunt ſuis maioribus, atque in illos fuerunt contumelioſi.

Qualem ſe quemq; præceptori exhibere conueniat.

C A P. VIII.

Præceptori honor deferendus. PRAECEPTORIBVS, qui te inſtituunt, ac mentem doctrinæ ſtudijs expoliunt, non minorem, quàm parentibus honorem exhibeto. Sic Iuuenalis maiores laudat, illorumque Manes fauſta boniq; ominis precatione proſequitur, quòd ſingulari fauore & beneuolentia præceptores æquè ac parentes eſſent complexi,

Sat. 7. —————————*Dent, inquit,*
Dij maiorũ Vmbris tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesq; crocos, & in Vrna perpetuum Ver,
Qui præceptorem ſancti Voluêre parentis
Eſſe loco.

Li. 2. c. 10. Sic Fabius commonefacit diſcipulos, vt præceptores non minus, quàm ipſa ſtudia ament, & parentes eſſe non quidem corporum, ſed mentiũ credant. Paria enim ſunt, atq; eiuſdem propemodum naturæ Naſci & Inſtitui. *Inſtitutio mentẽ exornat.* Alterum ſiquidẽ corpus procreat, alterum mentem informat. Quod ſi progenitores humanitatis ſtudijs imbuti, inſtituendis formandiſque ſuis liberis operam impendunt, vel ſi ijs adminiculis deſtituti, adhibito præceptore erudito ad conſequendam ſapientiam atque eruditionem

tionem ſunt adiumento; nihil illis conferri poteſt ad decus & ornamentū virtutis vberius. Hac enim inſtituendæ vitæ ratione non ſolùm exornatur mens præſtantiſſimis virtutibus, integritate vitæ, morum probitate, continentia, māſuetudine, placabilitate, modeſtia, humanitate, iuſtitiā, tēperantia, comitate: ſed etiam vltro accedunt, ac deferuntur propemodum inuitis ac repugnantibus opes, dignitates, honores, ad quæ illis eruditio aditum patefacit.

Quibus potiſsimè in humana ſocietate honor exhibendus & reuerentia.

C A P. IX.

QVVM cuique pro ſua dignitate atque ordine honor deferri debeat, vt etiam Paulus præcipit, *Rom.* 12.
tum præcipuè ſenectuti, prouectæque ac caneſcenti ætati, quò omnes properant, hoc officium præſtari par eſt. Sic ex Dei inſtituto Moſes: Coram cano capite aſſurge, & honora perſonam ſenis. Obſeruari hoc etiam Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator ſtatuit, qui maximum honorem non diuitum & potentum, ſed pro gradu ætatis ſenum eſſe voluit. Nec ſanè vſquam terrarum ſenectus honoratior. *Leuit.* 19. *Senes honorandi.*
In hunc ordinem referendus Magiſtratus, ac Conſularis Prętoriaque dignitas, cuius prudentia atque autoritate Reip. incolumitas ſubſiſtit, omniaque perficiuntur tranquilla ac pacata. His accedunt, quotquot ſunt ſpectatæ probitatis, ac maturæ ætatis viri, vel proceres ex illuſtri familia orti, aut etiam literarum ſtudijs exculti, ac doctrinæ ornamentis perpoliti. *Quibus honor deferendus.* *Rom.* 13. *Magiſtratus honorandus.*

Illis verò, qui Eccleſiæ miniſterio ac ſacris functionibus inſiſtunt, formandiſque mentibus, ac corrigendis deprauatis hominum moribus ſingularem *Miniſtri Eccleſiæ honorandi.*

larem operam impendunt, primas potioreſq; partes in hoc negotio atque officij huius obſeruationẽ
1. Tim. 5. defero. Sic Paulus presbyteros, hoc eſt, qui grauitate morum, ſenili prudentia, vitæ integritate pręlucent gregi, ac ſalubri doctrina, puroque ac ſincero
Ro. 12. 13. Euangelici ſermonis pabulo famelicam turbam
Philip. 2. paſcunt, duplici honore dignos pronunciat, omniaque vberius ac cumulatius in illos conferenda; non ſolùm pro ætatis ratione reuerentiam, ſed ea ſubſidia etiam, quibus frugaliter ali poſſint, ac rem domeſticam neceſſaria ſupellectile habere inſtructam.

Quid præſtet homini inſtitutio, & qualis ea eſſe debeat.

CAP. X.

Inſtitutio quid homini præſtet. MAGNI refert, qua quis ratione inſtituatur. quocirca quum primùm ætas diſciplinarum eſt capax, atque ad ſtudia literarum appoſita, maturè liberalibus atq; ingenuis artibus imbuatur. Ijs enim potiſſimè natura hominis ad probitatem fingitur, atque humanitatis cultu perpolitur. Auſpicatiſſimum autem inſtitutionis initium ab informandis moribus ſumitur. Quamobrem adoleſcens ſtudijs deſtinatus, primùm mores componat, deinde eloquentiam ac dicendi peritiam addiſcat, quæ malè (vt Plinius ait) abſque moribus concipitur. Po-
In Epiſtol. tior eſt enim ratio honeſtè viuendi, quàm politè ac difertè loquendi: Ipſaque vitæ integritas, quàm eloquendi peritia optabilior: quanquam hæc coniuncta atque indiſcreta eſſe conueniat, denique alterum alteri adminiculari. Pari modo de verbo-
Paranda rerum & verborum notitia. rum rerumque delectu ac iudicio ratiocinandum; tametſi enim rerum, quàm verborum cognitio optatior, res tamen dilucidis aptiſque verbis explicandæ. Quin ipſa vitæ præcepta, quæ animo cultum ad-

ęum adferunt, mentemque informant pietati, licet per ſe honeſta ſint ac ſalutaria, plus tamen (vt Lactantio & Fabio viſum eſt) ponderis ac momenti obtinent ad perſuaſionem, quoties pulchritudinem rerum, claritas orationis illuminat. Efficacius enim in animos hominum influunt, quæ vi ſua inſtructa ſunt, & dicendi artificio illuſtrata Et quanquam non minus anxiè verbis inhærendum (vt ſcioli quidam factitant rerum cognitione deſtituti) præſtat tamen eloquentiam dicendiq; ornatum prudentiæ coniungere: ne verba obſoleta, barbara, inepta, exotica in loquendi vſum irrepāt, quibus obſcuratur potius, quàm niteſcit quamlibet ſententioſa oratio. Quòd ſi verbis comptis ac nitidis ſapientia deſit, nec vlla ſubeſt ſententiarum grauitas, laudari potius meretur indiſerta prudentia, quàm futilis ac ſtulta loquacitas. Eſt autē, Cicerone teſte, eloquentiæ, vt cæterarum rerum, fundamentum, ſapientia. Scitè illud Horatius, quod in omni profeſſione cuique imitandum.

Lib. 1. c. 1. *Lib. 1. c. 3.* *Vitanda barbaries.* *Lib. 2. de Orat.*

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ.
Aut ſimul & iucunda & idonea dicere vitæ.
Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

In art. poe.

Sacra verò ſcriptura ſancti Spiritus afflatu prodita, nullis humanis præſidijs indiget. Ea ſiquidem non eloquentia, non verborum ornatu mentes afficit, ſed arcana quadam ac diuina vi animos hominum allicit ac transformat. Quod ipſum quum teſtatum eſſe vellet Corinthijs Paulus Apoſtolus, Quum, inquit, primum vos adirem, atque oracula Dei vobis patefacerem, nullo orationis apparatu, aut ſapientiæ eminentia vſus ſum, nec ſermo ac prædicatio mea fuit in perſuaſorijs humanę ſapientiæ verbis, ſed diuina potentique demonſtratione, vt fides veſtra non conſiſtat in ſapientia ho-

1. Cor. 2.

Pauli mẽs explicatur. minum, ſed Dei potentia. Quibus verbis non reijcit verborum ac ſententiarum grauitatem, qua affatim inſtructus erat, nec ſibi adimit perſuadendi vim & efficaciam, qua adhibitis firmis rationibus, atque appoſitis verbis, hominum animos ad veritatis cognitionem pertraxit: ſed commōſtrare voluit, profeſſores Euangelicos non eloquentiæ viribus fidere, aut verborum lenocinijs conciliare ſibi animos hominum, ſed ſpiritu & virtute Dei. Itaq; loquitur Paulus ſapientiam inter perfectos, ſapientiam quidem non ſeculi huius, neque principum ſeculi huius, hoc eſt, Oratorum, qui abolentur, & quorum euaneſcunt orationum fumi, ſed loquitur ſapientiam Dei in myſterio reconditam, quæ efficacius afficit mentes hominum, atque acriores infigit aculeos, quàm vlla humana doctrina accuratiſſimis verbis culta atque expolita. Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, vt is ait, & penetrantior quouis gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionis cordis. Sic Deus apud Hieremiam, Nunquid non ſunt verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus cōterens petras. Agnouit idipſum Dauid, qui vim & flammas verbi Dei in animo eſt expertus. Ignitum eloquium tuum vehementer. Et Solomon: Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperātibus in ſe. Quocirca non cenſeri debet ignorantibus otioſa & inſipida doctrina Chriſtiana, quæ tam cœleſti ac ſalutari virtute mentes hominum imbuit. Non autem fuiſſe diſciplinarū rudes ſacros vates, ſed rerum ac verborum cognitione exactè inſtructos, vel illud argumento eſt, quòd paſſim in Biblijs extent tot inſignes parabolæ, tropi, metaphoræ, collationes, locutiones figuratæ, ſimilitudines ex animantibus atque herbis, totaq; natura rerum, quæ

Sacra ſcriptura non ieiuna.

Heb. 4.

Sermo Dei ignitus.

Cap. 23.

Pſalm 118.

Prouer. 30.

Prophetæ rerū cognitione imbuti.

quæ latiſſimè patet, deſumptæ, quibus prophetarum conciones niteſcunt atque illuſtrantur ſic, vt nihil tale obuium ſit in humanis diſciplinis, nec vſquam ſe offerat tāta verborum ac ſententiarū maieſtas, quæ mentes humanas poſſit afficere, atq; ad amplectendum tam ſalutaria dogmata incitare. *Propheta eloquētes.*

Vnde morum integritas, atque optima vitæ præcepta petenda.

CAP. XI.

MORVM integritatem ac ſalutarem inſtituendæ vitæ rationem ex decretis Chriſti, cui ſumus initiati, ac nomen dedimus, fidiſſimè percipies, cuius doctrina eò efficacius mentem hominis afficit atque trāsformat, quòd diuini ſpiritus afflatu prodita, nihil mundanæ fecis admixtum habeat, nihil anilis ſuperſtitionis, quæ eſt vmbra quædam & fucata religionis ſpecies, redoleat, & quod omnium maximè eſt ſalutare, ab idololatria, hoc eſt, adulterino & pernicioſo cultu, qui alteri, quàm Deo attribuitur, remotiſſima Quocirca cuicunque vitę generi ac viuendi inſtituto te addicas, quodcunq; ſtudiorum genus arripias, in quo meditaris conſeneſcere; in Dei verbo, eiuſque placitis te exerceas, atq; ab ineunte ætate ſalutarē eius doctrinā amplectere. Animus enim humanus ab ipſa infantia verbo Dei imbutus, eiuſq; pręſidio velut ſepimēto vallatus, aduerſus omnes cupiditates, ac vitiorum monſtra alacriter infractiſque viribus ſubſiſtit, ac ſe tuetur. Hinc ſalubriter Hieremias, Bonum eſt hommi, ſi aſſumpſerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua. Adoleſcens enim, Solomone teſte, quā viam eſt ingreſſus, eam in ætate ſenili non deſeret. Cui illud Cypriani affine, Nec repentè, nec perniciter excutitur; quod diu vſurpatum ſenio *A Chriſto inſtitutionis initia ſumenda.* *Aetas tenera optimis aſſueſcat.* *Treno.3.* *Prouer.22.* *Cypriani ſententia.*

veruſtatis inoleuit. Quibus enim à prima infantia quiſque inſueuit, ea ingraueſcentibus annis nō facilè excutere poterit. Hinc ex inueterata conſuetudine tot paſſim ſenes temulenti, ſalaces, libidinoſi, ita vt iuxta Iobi ſententiam, Oſſa illorum impleantur vitijs adoleſcentiæ ſuæ, hoc eſt, præter decorum atque ætatis rationem laſciuiant ac libidinentur, ſic vt ab inolitis vitijs nequeant deſueſcere aut extricari. Sunt quidem nōnulli, qui vbi adoleſcentia deferbuit, atque ardor iuuenilis reſtinctus eſt, à vitijs, quibus ea ætas obnoxia eſſe ſolet, reſiliant, atque ad frugem moreſque inculpatos ſe conferāt. Sic Cicero in oratione pro Cælio: Multi & noſtra & patrum memoria ſummi ac clariſſimi viri fuerunt, quorum quum adoleſcentiæ deferbuiſſent cupiditates, eximiæ virtutes confirmata iam ætate, extiterunt. Verùm vt id nonnullis eueniſſe conſtat, qui vel anteactæ vitę tædio, vel afflatu diuino, aut denique exhortatione, ac monitis amicorum ad ſaniorem mentem reuocati ſunt: multi tamen opinione celerius ſublati, emendatioris vitæ propoſito ſunt fruſtrati, ſic vt illis damnoſa fuerit procraſtinatio ipſaque occaſio reſipiſcentię elapſa ſit, priuſquā deteſtatis vitijs ſalutare vitæ inſtitutum potuerint amplecti. Quamobrem præſtat, remota omni cunctatione, excolendæ vitę laborem impendere, atq; à teneris, optimis aſſueſcere potius, quàm in longum differre melioris vitæ occaſionem. Inculcat idipſum pluribus locis Paulus Apoſtolus, atque in huius æui decurſu prouidè & circumſpectè ambulandum conſulit, non vt inſipientes, ſed prudentes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Quibus verbis commonefacit ſingulos, ne in hoc vitæ ſtadio ſinant elabi opportunitatem conſequendæ ſalutis, ſed ſingulis momentis oblatam arripiant, eamque redimant omnium rerū diſpendio, ne

Cap. 20. Iob ſententia explicata.

Maturè à vitijs reſiliendum.

Ephe 5. Coloſſ. 4.

Pauli locus explicatur.

Galat. 6.

lio, ne oſcitantes atque incautos præter expecta- *Matth.13.*
ionem opprimi contingat. Chriſtus quoque paſ- *Luc. 12.*
im ſocordes, ac ſomniculoſos ad excubias ac vigi- *Chriſtus ad*
antiam excitat, illoſque multis exemplis horta- *excubias*
ur, vt ſaluti ſuæ inuigilent, velut ſtrenui atque ex- *excitat.*
ercitati milites, qui in ſtatiuo præſidio collocati, ſemper in procinctu ſtant, nec vnquam remittunt cuſtodiam, aut excubandi induſtriam, ne quis inopinatò in caſtra irrumpat. Vtitur hac Metaphora Abacuc, Super cuſtodiam vel ſpeculam meam ſta- *Cap.2.*
bo, & figam gradum ſuper munitionem, & cōtem- *Abacuc lo-*
plabor quid dicat mihi. Aſſumit ſibi perſonam ex- *cus explica-*
cubitoris, qui tacitè obſeruat hoſtium inſultum at- *tur.*
que inſidias, tota mente & cogitatione in Deū de- *Simile à*
fixus, cuius fiducia ſe hoſti opponit, illiq; aditum *caſtrenſi*
præcludit. Adducit autem Seruator appoſitiſſimas *vigilia.*
ſimilitudines, quibus quemque noſtrum officij ſui *Luc. 12.*
commonefacit, à caſtrenſi vigilia & excubijs, à fure *Matth. 24.*
atque oppreſſore nocturno, à parientis repentino *1. Theſſ. 5.*
ſubitoque dolore, à Sponſo, qui progreditur ad ex- *2 Pet 3.*
ornandas nuptias, ab Heri ac Patrisfamilias laten- *Luca 12.*
ti tacitoque aduentu, ab ingruente calamitate & *Matth. 25.*
bello, ab imminente fame ac vaſtitate, à ficu protu- *Marci 11.*
berante ac proferente groſſos ſuos, à mortis & iudicij die, tum pleriſque alijs, quibus nobis aures vellicat, atque ad obſeruandam ſalutem noſtram attentos reddit. Exhibitum eſt adoleſcentibus in ipſo ſtatim ætatis progreſſu ſalutare inſtituendæ vitæ exemplum à Chriſto, qui proficiebat ætate & ſapi-
entia coram Deo & hominibus, apud quos illum *Luc. 2.*
gratioſum ac fauorabilē reddidit modeſtia ac mo- *Adoleſcen-*
rum integritas, quem in primis imitari par eſt, il- *tia Chriſti*
liuſque exemplo ciuibus ac popularibus ſtudium *laudata.*
operamq; ſuam approbare. Quod aūt natus annos duodecim, apud viros cordatos indolis ſuæ ſpecimen exhibuit Ieſus, multaque opportunè atque

appoſitè ſit loquutus, interrogatus placidè ac modeſtè reſponderit citra iactantiæ aut faſtus vllam ſpeciem, quæ vitia præcocis ac confidentis ingenij puberibus ineſſe ſolent: magnam huic rei rationem ſubeſſe interpretor, vt ſcilicet iuuenilis ætas, ſumpto à Ieſu exemplo, primo quoque tempore indolis ſuæ aliquod argumentum proferat, ac vel parentibus vel ciuibus nonnullam virtutis inchoatæ ſpem præbeat.

Chriſtus ſcopus & vitæ exemplar.

Quum autem opus ſit ductore aliquo, qui velut indice viam commonſtret, qua progredi poſſis, atque optima vitæ exempla conſectari, obiter commonſtrabo, quas artes amplecti conueniat, quibus autoribus te addicere, quò ſolidam eruditionem aſſequaris, atque ad ſumma, vel illis proxima prouehi poſſis.

Qui autores ad expoliendam linguam mentemq; exornandam vſui, & quæ artes potiſſimum amplectendæ.

CAP. XII.

Optimi quiq; imitandi.

Simile ab inſitione arborum.

AVTORVM eum delectum habeto, vt probatiſſimos tibi legendos atque imitandos proponas. Inſipientis eſt enim in imitatione atque æmulandi ſtudio non optima quæque ſectari. Edocuit nos id in natura rerũ ipſa ſatio, in qua lectiſſimum triticum mandari terræ ac ſulcis cõmitti ſolet: ipſaq; ſolerter excogitata inſitio vel inſerendi induſtria, in qua ſurculos maximè generoſos ac feraces in alienam arborem inſerimus. quod etiam obſeruari ſolet in exprimenda pictura, Muſica, poëſi, arteque Oratoria, in quibus æmulator curioſus exactiſſima quæque atque ad vnguem facta imitari nititur. Hoc ipſum Paulus Apoſtolus obſeruari vult in ijs, quæ ad pietatem ac dona ſpiritus ſpectant, vt ad ea adſpirent atq; enitantur, quæ inter

1. Cor. 12.

hæc

æc ſunt potiora atque præcipua. Quiſquis enim *Pauli exē-* ali ratione vel ſtudium vel vitæ curſum inſtituit, *plo ad ſum-* nunquam illum inſumptæ operæ, vel impenſi la. *ma eniten-* boris pœnituerit, quod ijs ferè vſuuenire ſolet, qui *dum.* ſuperſtitioſum vitæ genus amplexi ſunt, aut qui- bus ſermo incomptus, nec doctis vſitata loquu- tio magno tædio dediſcēda. Quò mihi meritò lau- *Italia &* landa videtur ſtudiorum alumna & nutrix Italia, *Græciæ* doctaq; Græcia, quarū inſtitutum Gallia ac Belgi *laus.* ca imitari non deſinit, quòd ætati teneræ optima quæq; proponat. Hac enim ratione efficitur, vt a- doleſcentes puritate verborū, ac ſermonis elegātia imbuti, rerum cognitionem maturè cōſequantur.

De Ethnicis ſcriptoribus cenſura.

CAP. XIII.

QVANQVAM non deſint parum æqui re- *Quæ lin-* rum æſtimatores, qui autores profanos (vt minus *guam expo-* appoſitè nominant) exagitent atq; explodant, nec *liunt, am-* vlla ab ijs peti velint exempla, vel expoliendæ lin- *plectenda.* guæ, vel vitæ inſtituendæ, non tamen illos deſpici- endos iudico. Sunt enim Poetæ, Oratores, Comici, Tragici, Hiſtorici ſtudioſæ iuuentuti ad rerū ver- borumq; notitiā, ad artes liberales atque ingenuas, ad ſolidas diſciplinas adiumento, atque ad eas ex- peditum facilemque aditum patefaciunt.

Meritò aūt magnaq; ratione hæc ſtudia, huma- *Politiores* nitatis ac politioris literaturę elogio inſignita ſunt, *literæ quid* quòd teneram ac pubeſcētem ætatem comitate ac *præſtent.* manſuetudine, moribuſq; placidis imbuant. Ex ijs etiam prouectiores maturæque ætatis viri conci- piunt honeſta oblectamenta, vitæque tædia, quæ ferè negotioſos inuoluunt, diſcutiunt. Quæ res ef- fecit, vt præter alios ſcriptores orthodoxos, Diuus *In epiſt. ad* Baſilius cognomento Magnus, nepotes ſuos ad O- *Nepot.* ratorum ac Poetarum lectionem ſedulò inuitârit.

Poeta

Poetæ officium, & quid ſtudioſæ iuuentuti, atque etiam adultis conferat.

C A P. XIIII.

QVAM ſit exactus linguæ & morum inſtitutor Poëta Oratori finitimus (quo nomine deſignatur artium liberaliũ vitæque inſtituendæ præceptor) Horatius eleganti carmine commonſtrat,

Poeta inſtitutum.

Lib 2. epiſt. ad Auguſtum.

Os tenerum pueri balbumq́ poeta figurat,
Torquet ab obſcœnis iam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ,
Rectè facta refert, orientia tempora notis
Inſtruit exemplis, inopem ſolatur & ægrum.

Poeta exactus morũ inſtitutor.

Tum alia quædam præcepta ſalutaria inculcat tenellæ ętati, non ſeuerè, non minaciter, non imperioſè, ne ab inſtituto reſiliant: ſed blandè, placidè, ſuauiter, eaque moderatione atque artificio tractat, quo ſtabularij ac domitores generoſos equos palpo & popiſmate aſſuefaciunt ſubſilire, atque artifici pedum agilitate

Georg. 3. *Inſultare ſolo, ac greſſum glomerare ſuperbum.*

Nec ſolùm iſta ſtudiorum oblectamenta adoleſcentibus ſpiritus animique vigorem excitãt, ſed etiam prouectioribus vſui ſunt, ſiquando ab aſperitate forenſi, ac grauioribus ſeriſque rebus reſpirare libeat. Antiquiſſimum autem fuiſſe poetarum genus, ac priſcis ſeculis laudatũ, præter Theophraſtum, Cicero & Fabius teſtantur. Nam illos conſtat incultos ac vagos, agreſteſque homines ferarum ritu palantes in ciuilem vitæ ſocietatem contraxiſſe, quod venuſto carmine expreſſit Horatius,

Poeſis artium antiquiſsima.

Li. 10. c. 1.

In art. poe. *Silueſtres homines ſacer interpresq́ Deorum*
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,

Dictu

Dictus ob hoc lenire tygres, rabidosq; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Hic honor & nomen diuinis vatibus, atq;
Carminibus venit.

Poeta elogium.

De Hiſtoriarum vſu & vtilitate.

CAP. XV.

QVVM hiſtoria, hoc eſt, rerum geſtarum fida narratio non minus habeat vtilitatis, quàm oblectamenti, ac præter amœnitatem lectionis, vberrimum prudentiæ fructum adferat: par eſt, vt in hac ſe quiſque ſtudioſè exerceat. Quem autem vſum fructumque habeat hiſtoria, Titus Liuius ſic obiter indicat, Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalutare ac frugiferum, Omnis te exempli documenta tanquam in illuſtri poſita monumēto intueri, Inde tibi tuæq; Reip. quid imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites. Sic quum quidam à Zenone ſciſcitaretur, qua quis ratione fœlix effici poſſit: ſi, inquit, in ſuperiorem ætatem intendat oculos, hoc eſt, ſi maiorum res geſtas, ſi veterum monumenta intueatur. Eſt enim hiſtoria, Cicerone teſte, lux veritatis, temporū cuſtos, vita & ſtabilimentum memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, in qua omnia deſcribūtur ornatè & copioſè, ſummaque, vt par eſt, fide, ac veraci rerum geſtarum narratione. Aperiunt autem ſacra Biblia ampliſſimum hiſtoriarum campum, ac fuſiſſimas rerum geſtarum narrationes exhibēt, in quibus ſalutaria documenta, atque ad vitam inſtituendam

Vſus hiſtoriæ.

Ex Liuio hiſtoria cōmendatio.

Zenonis de hiſtoria ſententia.

De Oratore

Ciceronis de hiſtoria iudicium.

Biblia ſalutares hiſtorias exhibent. ſtituendam idonea exempla deſumi poſſunt, quorum pleraque ſtupenda Dei iudicia oculis mentis obijciunt, & quemque noſtrum commonefaciũt quàm ſit deteſtabilis Deo idololatria, ac diuini verbi contemptus, nullaq́; affici erga ipſum reuerentia, atque aliunde conquirere ſalutis præſidia.

DE Comœdia.

CAP. XVI.

Comœdia vſus. HISTORIAE affinis eſt Comœdia humanæ vitæ ſpeculum, in quo quiſque mores affectuſque ſuos, atque expreſſam quotidianæ vitæ imaginem ſub alterius perſona perſpicit, ac contemplatur, ſuaque vitia aut virtutes obſeruat, iocondo genere, vt Cicero ait, eleganti, vrbano, ingenioſo, faceto. quo exercitij genere omnes ferè nationes in ſuo quæque idiomate vtuntur, *Comicorũ licentia.* magna nonnunquam licẽtia ac dicendi libertate, ſic vt iuxta Horatium libertas in vitiũ excidat, quòd in ſectãdis vitijs plerumque ſint acerbiores: neq; enim populares tantùm, atq; infimæ ſortis homines notant, ſed in frequentiſſimo Ciuitatis theatro Optimates ac viros primarios exagitant, rhythmiſq; aſperioribus per*Comœdia moderatio adhibenda.* ſtringunt. Qui ſi citra vllam contumeliam atque infamiæ labem, minuſque ſeditioſis verſibus tale quiddam moliantur, atque in illos tantùm, qui id ſunt promeriti, linguas exacuant, tolerari poſſe videbitur, quò morbidi illi cõtacto hulcere reſipiſcãt, ſuiq; officij rationem habere meminerint. Belgæ hanc Comicam licentiam *Batamenten* vocant, vt Rhythmicos concentus & modulationes, quibus fabulam ſuam peragunt, *Rym oft Dichten.*

Quadam didiciſſe oportuit. Hæc autem oblectamenta atque ingeniorum amœnitates tempeſtiuè primiſque annis didiciſſe oportet, prouectioribus non addiſcere. nã floridæ ætati cõgruunt iſta ſtudia, quibus tamen maturior

ætas

ætas, vbi ſuperioribus annis eâ deguſtârit, aliquando ſe oblectare ac reficere poterit.

Salutaria verò, quæque ad virtutem ac probitatem profutura ſunt, non pudeat adulta, imò ne deuexa quidem atque ingrauata ætate diſcere. ad ea enim conſequenda nullum tempus vel ſerum, vel intempeſtiuum eſt, vt nec reſiliendi à vitijs.

Nulla ætas ad diſcendum ſera.

De eloquendi dicendiq́ peritia, quæ nulli non, cuiuſcunq́ ſit idiomatis, vſui eſt & neceſſaria.

CAP. XVII.

RHETORICA ſiue ars Oratoria, cuius munus eſt aptè, diſtinctè, ornateque dicere, ac lectiſſimis verbis, grauibuſque ſententijs auditorum animos allicere atque inflammare, illis præcipuè vtilis & neceſſaria eſt, qui concionandi munus obeunt, qui Remp. adminiſtrant, ac Magiſtratus funguntur officio, aut in Conſulari dignitate vel Prętorio ordine conſtituti ſunt, qui in militari diſcordia ac caſtrenſi fremitu, tumultuque populari, ac ſeditione ciuili verſantur, quorum intereſt, atque autoritas expoſcit, inconditæ multitudinis animos furore accenſos, regere conſilijs, ac maieſtate verborum mitigare. Neque enim ſemper minis, terrore, vi, ſæuitia, ferrò, ſupplicijs coercendi ſubditi (niſi res cruenta remedia expoſcat, ſedandæ ſeditionis) ſed placidis verbis, oratione medicata, vultuque ad grauitatem ac conſtantiam compoſito, ab improbis conatibus ad officium reuocandi.

Eloquẽtia quibus vſui.

Eloquẽtia ſeditiones ſopiuntur.

Eadem prudentia ac dexteritate vti decet patremfamilias erga domeſticos, & præceptores erga tumultuoſi ingenij diſcipulos.

Ad

Ad quas diſciplinas nobis aditum patefaciant humanitatis ſtudia.

CAP. XVIII.

Literæ politiores, ſtudia exornant.

CONFERVNT autem humanitatis ſtudia ſeu liberales diſciplinæ, non ſolùm ad expoliēdam linguam verborum lenocinijs, atque orationis illecebris, ſed ad artes vitæ vtiles & neceſſarias, Phyſicam, Medicinam, Iuriſprudentiam, & in qua præcipuè conquieſcit, & ſolatia concipit humanus animus, Philoſophiam non equidem humanam, ſed cœleſtem, qua, Chriſto duce, Dei cognitionem, amorem, fiduciam concipimus. Omnes enim artes in quibus ſe exercet humana induſtria, huc referri debent, atque in hunc ſcopū dirigi. Non ſunt hanc conſequuti mundanæ ſapientiæ profeſſores, qui, à veritate deuij, falſa pro veris, inania pro ſolidis, fucata pro ſinceris, dubia pro certis, pro ſalutaribus noxia hominum mentibus ingerunt: quòd afflatu diuino ſunt deſtituti.

Chriſti philoſophia.

Tres diſciplinæ potiſſimè vtiles.

Quum autem inter cæteras, tres potiſſimè ſint diſciplinæ, quæ non ſolùm profeſſoribus decus & emolumentum adferunt (tametſi id non magnopere ſpectari debet) ſed etiā popularibus vſui ſunt, atque ad vitam commodè tranſigendam adiumento: quam amplecti velis, & cui natura ſis appoſitus, maturè deliberandum. Theologia, hoc eſt, diuinarum rerum ſciētia, afflatu Spiritus ſancti prodita, mētem informat pietati, & qua ratione Deus coli debeat, ac quiſque ſalutem conſequi, demonſtrat, quæ (modò purè tradatur) tanto poſt ſe interuallo reliquas artes relinquit, quanto ſunt diuina humanis, ſolida caducis potiora. Huius ſcientiæ ea pars omnibus ad ſalutem conſequendam eſt neceſſaria, quæ mentem fide imbuit operibus charitatis exornata, vt aliâs fuſius ſumus teſtati. Per hanc

Theologia vſus.

Quæ pars Theologiæ omnibus vtilis.

hanc enim, Chriſto duce, acceſſum aditumque habemus in vno Spiritu ad Patrem. Medicina præſcripta frugalitate ac victus temperãtia, rerumque ſalubrium vſu valetudini proſpicit, ac morbis medetur. Hæc, Plutarcho teſte, ſic eſt de numero artium liberalium, vt politiæ ſplendore, iucunditate nulla ſit inferior, Mercedem autem vberrimã confert ſui ſtudioſis, nempe præter rei familiaris amplificationem, corporis ſalubritatem, omnium rerum poſſeſſione præſtantiorem. *Medicina vſus.* *De tuend. valetu.*

Quid autem quum oblectamenti, tum vtilitatis adferat herbarum contemplatio, earumq; virium cognitio, quid ex diſſectione corporis humani mẽbrorum, omniumque partium obſeruatio, non facilè cuiquam perſuaderi poteſt, niſi vſu & exercitatione id ſit expertus. Iuris ciuilis prudentia ſummo ſemper in honore extitit, cuius munus eſt regere conſilijs vrbes, fundare legibus, emendare iudicijs, *Amœna herbarum contemplatio.* *Iuriſprudẽtiæ vtilitas.*

Conſulere in medium, ac rebus ſuccurrere feſſis,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Quem ordinem ſi quis contemnendum putat, is, vt ait Cicero, reuellit non ſolùm vincula iudiciorum, ſed etiam vtilitatis vitæque communis. Huius præſidio fulciri Remp. conſpicimus, omniaque inter ciues & populares tranquilla præſtari & pacata, idque ſacratiſſimarum legum autoritate, qua Princeps ac magiſtratus iuſtitiam exercet, acceptaque à Deo poteſtate (vt Paulus teſtatur) maleficos ac facinoroſos ſupplicio afficit, bonos tuetur. Quocirca vult Deus ſingularem honorem & obedientiam præſtari Regibus, & qui Remp. adminiſtrant, modò æqua præcipiant, nec à verbo Dei aliena. *Pro Celio.* *Iuriſprudẽtia Ciceroni laudata.* *Ius ciuile Chriſto & Paulo probatum.* *Rom. 13.*

Certo fixoq́ diſciplinæ generi inhærendum.

CAP. XIX.

Certo diſciplinæ generi inhærendum.

QVVM nonnullis ita allubeſcant amœnio[r]a ſtudia, vt in ijs conſeneſcant atque immoriantu[r], nec ad ſolidas diſciplinas ſe conferant: conſultu[m] arbitror, vt qui frugem eruditionis percipere e[x] optat, nec oleum operamq́ue perdidiſſe, id diſc[i]plinæ genus adſciſcat, ad quod natura maximè ſ[it] idoneus, ne inuita Minerua, hoc eſt, repugnāte natura, ac ſiniſtro Genio aliquid aggreſſus videatur: deinde eius artis ſtudio, cui ſe addixit, ſedulò incumbat, totoq́e impetu, ac ſumma contentione a[d] metam properet, quò decurſo ſtudiorum ſpatio plenam perfectamq́ue eruditionem (modò id obtineri queat) aſſequatur. Cætera verò ſtudiorū oblectamenta per interualla ac ſucciſiuis horis, velu[t] à labore reſpirans deguſtet, ea tamen lege, vt ad ſolitum munus penſumq́ue diurnum ſe conferat, atque animus ad intermiſſa ſtudia reuocetur.

Inuita Minerua nihil.

Indefeſſè ſtudijs inſiſtendum.

Quæ ſtudia & occupationes operoſæ, ac minus frugiferæ, quæ noxiæ & pernicioſæ.

CAP. XX.

CAVENDVM autem, quod in nonnullis diſciplinis quidam factitant, ne magnū ſtudium multamq́ue operam in res obſcuras ac difficiles, eaſq́ue non neceſſarias conferas, ſed in rebus honeſtis, ac cognitione dignis, multum operæ curæq́ue te ponere iure laudauerim. Occupātur enim nonnulli quibuſdam ſtudijs, omnemq́ue ſuam induſtriam in ijs collocant, quæ multum habent tædij, multumq́ue anxietatis ac moleſtiæ, minimum verò laboris impēnſi fructum. Vt ſunt curioſæ nimis obſeruationes & aſtrorum iudicia ex Chaldaica

Infrugifera ſtudia reijcienda.

daica vanitate petita, quibus freti profeſſores te-
merarij, indubitanter pronunciant; quid cuique *Aſtrologia*
euenturum ſit, quo fato natus, quis illi futurus *quatenus*
rerum euentus, quem quiſque habiturus ſucceſ *exercenda.*
ſum, nunquam adhibita in conſilium Dei proui-
dentia, cuius arbitrio mundum hunc vniuerſum
conſtat adminiſtrari. quorum temeritatem ac for-
tuitas prædictiones exagitat Eſaias, atque illos ir- *Cap. 47. 44*
ridet, qui ab ijs reſponſa petunt, atque ab huiuſ-
modi impoſtoribus oracula ſciſcitantur. Sic enim
illis inſultat: Stent & ſaluent te Aruſpices cœli,
qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant men-
ſes, vt ex ijs annunciarent ventura tibi. Similiter
Hieremias, Iuxta vias gentium nolite diſcere, & *Cap. 10.*
à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes.
quoniam leges populorum vanæ ſunt, hoc eſt, a- *Aſtrologiæ*
podixes, ſeu demonſtrationes eorum fallaces ſunt *vanitas im-*
& futiles. Quibus verbis ſacri vates non pror- *probata pro-*
ſus damnant aut explodunt Aſtrologiam, quæ *phetis.*
ſuum habet vſum & vtilitatem, ſed huiuſmodi *Aſtrologia*
profeſſoribus inſultant, qui diuinationum fucis *non pror-*
atque impoſturis imperitæ plebi imponunt, ac *ſus explo-*
credulæ turbæ fumos offundunt, inani rerum ex- *denda.*
pectatione. His affines ſunt vanitates Chiroman- *Artes quæ*
ticæ, quæ inſpectis manuum lineamentis mira nu- *damnoſæ.*
gantur: fumi atque impoſturæ Alcumiſticæ, qui-
bus nugatores perſuadent, ſe vertere rerum ſpe-
cies, atque argentum & ænea quæque in aurum
demutare. quibus accedunt artes ijs deteriores,
Necromantia, qua mortuorum corpora è ſepul-
chris exciri ſolent, atque ab ijs reſponſa peti, vt Phi-
toniſſam factitaſſe legimus, quæ vt Sauli gratifica-
retur, Samuelem ementita fictaque ſpecie ſpectan- *1. Reg. 28.*
dum exhibet.

Huic affines ſunt Hidromantia & Pyromantia,
quæ per aquam & ignem perficitur: multæq; aliæ

præſtigiæ Dæmonum, atque incantationes Magicæ, Ariolatio, Aruſpicina, Augurium, Auſpicium hoc eſt, Diuinationes, & quæ ex inſpectione extorum auiumque cantu ac garritu ſumuntur præſagia.

Incantatio damnoſa. Inter hæc maleficia ac veneficas artes refero, quibus etiam in Belgica nonnullæ Stryges ac Sagæ vicinorũ armentis atque ouillo pecori detrimenta damnaque inferunt, atque illis Dæmonum miniſterio lac ac butyrum depeculantur, meſſeſq; & vineta depopulantur, ac conterunt. Quin & maribus virile robur eripiunt, ac velut emaſculatos ad congreſſum Genialem reddunt impotentes atque inualidos: quod mihi aliquando queſti ſunt viri robuſti ac lacertoſi, qui ſe deplorabant in eunuchos ac ſpadones degeneraſſe magno ſuo pudore, vxorumque damno, quibus ego medelam atque amuleta adferre ſtudui, admotis herbis, quæ ad tales præſtigias, Dei munere efficaces ſunt & præſentaneæ.

Huiuſmodi aũt faſcinationibus fatigare ingenium, non ſolùm ſuperuacaneum & inutile, ſed etiam exitiale & damnoſum. nam legibus diuinis & humanis morte plectuntur, atque ad palum alligati, ignitis faſcibus exuruntur, qui maleficas vllas artes Cacodæmonum opera exercent. *Deut.* 18. Qua aũt ratione incantamenta abigenda, expugnandaque ſint, in calce libri iudicabimus, vbi de Maieſtate nominis Ieſu tractabitur; ne hic ordo atque orationis ſeries interrumpatur.

Non minus animo mentiq; proſpiciendum, quàm corpori.

CAP. XXI.

Cultus animo & cor. QVVM autem homo ex corpore & anima cõſtet & conflatus ſit, omni prouidentia vtriuſque partis

partis incolumitati inuigilandum. Anima potiſſima hominis pars eſt, Corpus animæ domicilium. Illius imperio, huius ſeruitio ac miniſterio magis vtimur. Vtriuſque igitur non ſegniter habenda ratio. Si enim damus operam, ne ædes noſtræ paluſtres ſint & vliginoſæ, ne tectum & culmina pluuiæ ventiſque expoſita rimis fathiſcant, ne deniq; veſtes ac tegumenta ſitu obducta, minuſque ventilata, tineis blattiſque ſcateant: quanto magis corpori proſpicere par eſt? cuius vitia animum quoque per conſenſum ac lege conſortij afficiunt, atq; vltro citroque commeant. Nam *pori impendendus.* *Simile à rebus domeſticis.*

Corpus onuſtum *Horat.*
Externis vitijs, animum quoq; prægrauat vnà,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.

Cui illud Sapiētis affine, Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, ac ſenſum deprimit, multa cogitantem.

Corpori itaque aliquid tribuendum, cuius fulturis (vt Plinius ait) animus ipſe ſuſtentatur. Obſeruauit id Paulus, qui Timotheo interdicta aqua, moderatū vini vſum præſcripſit, quo fulciret ſtomachum, atque in Euangelij propagatione eſſet alacrior. Corpus enim inculpatè conſtitutum, animo commodius ſubſeruit, nec menti in altiſſimarum rerum contemplatione officit, aut eſt oneri. *1. Timot. 3.*

In primis autem menti proſpicere, illique cultum adferre conuenit, quod nulla re efficitur melius, quàm firma ac ſtabili in Deum fiducia, quæ in certiſſimam immortalitatis ſpem hominem erigit, atque animo metum mortiſque formidinem eximit. Vt autem cibus corpori alimentū: ita Dei verbum pabulum ac fomentum animo, quo vno concipitur in mente pax & tranquillitas, qua nihil homini in huius vitæ curſu optabilius, aut expetendum magis. Quanto autem diuexētur angore, *Animæ pabulum.*

Impij inquieti. ac mentis inquietudine impij, quàm ſæuam experiantur animi carnificinam facinoroſi, etiam externus habitus corporis indicat. Eſt enim nequitia vltrix ſui ſic, vt quam ſemel occupauit mētem, nunquam ſecuram eſſe patiatur, ſed continenter perturbationibus exagitet. *Cap. 57.* Quod etiam Eſaias eleganti ſimilitudine ab æſtu, mariniſq; fluctibus deſumpta expreſſit, Impij cor tanquam mare exæſtuat, & redundant fluctus eius in lutum & conculcationem, hoc eſt, mens illorum, qui ſceleribus contaminati ſunt, & nequitijs polluti, tumultuoſa eſt, turbulenta, inquieta. *Affectus vitioſi menti officiunt.* Cui verò vita ſuauis eſſe poſſit & iucunda, aut animus tranquillus & placidus, qui corpus circumfert fœdiſſimis morbis inquinatum, & mentem obſcœnis vndique vitijs obſitam & deformatam? Quamobrem quum magna malorum pars à vitioſis animi affectibus emergat, omnibus modis ijs abſiſtendum, ne quid incommodi corpus ab ijs concipiat. Pari cura & ſtudio iſtud à morbis vindicandum, ne à corpore in animum aliquid labis aut contagionis transferri contingat. *Humores praui mentem obnubilant.* Quum enim humores praui ac vitioſi cerebro tetros fumos inferant, ad multa mala mentem impellunt atque incitant.

Qua ratione corpori ſubueniendum, vt inculpata valetudine ſubſiſtat.

CAP. XXII.

Vtilis frugalitas. SANITATEM tuetur, ac morbos propulſat frugalitas ac victus temperantia, adhibita earum rerum moderatione, quę ad ſtabiliendam valetudinem, vireſque firmandas ſunt neceſſariæ.

Artis Med. 85. Appellantur autem iſtæ Galeno, cauſæ conſeruatrices, quòd habitum corporis conſeruare ſint idoneæ, modò ijs commodè atque oportunè vtamur:

ıur: Recentiores, res non naturales vocant, non quòd præter naturam exiſtant, ſed quoniam extra orpus conſtitutæ, nec nobis, vt humores inſitæ, vſu effectuque naturam eiuſque facultates incommodo aliquo afficiant, ſi ſiniſtrè parumque aptè ıdhibeantur. Huiuſmodi ſunt circumfuſus nobis ıer, cibus & potus, ſomnus & vigilia, repletio, inaıitio, affectus motuſque animi, quorum quodque corpus humanum ad ſui conſeruationem ac tutelam exigit. Quoniam autem potiſſima ſanitatis pàrs in ſalubri diæta conſiſtit, ſtudioſè obſeruandum, quid in ea corpori vel profit vel officiat. *Res quæ valetudini cōferunt.*

Et quum non minus fœda ſit, quàm noxia ac pernicioſa valetudini ingluuies, tantum cibi & potionis ſumendum, quantum naturæ neceſſitas exigit, vtque vires corporis alantur, non opprimantur.

Eſt enim victus moderatio in omni ſtudiorum, magnarumque rerum occupatione, in perferendis elucubrandi laboribus, in obeundis munijs publicis vtilis cumprimis & neceſſaria. Ea ſiquidem valetudinem firmam conſtituit, ea ſpiritus cùm animales tum vitales, qui cerebro & cordi aſſcripti ſunt, alacres reddit atq; erectos, ita, vt quæ quiſq; mente conceperit, expeditè, nullaque moleſtia perficiat atque exequatur. Luxu autem atque intemperantia vitæ acciri morbos, impediri ſtudia, honeſtas omnes cogitationes flacceſcere, non progredi lucubrationes, labeſcere mentis alacritatem, vigorem animi extingui, homineſq; ignauos effici, inertes, ſocordes, ſomniculoſos, nec ad res vllas præclaras eniti, quotidiana exempla demonſtrant. Quocirca qui ſtudio literarum ſe addixit, atque eruditionem affectat, ita moderetur rebus ſuis, ne quid pro cupiditatis arbitrio fiat, ſed appetitus rationi pareat, omniaque ad vſum vitæ ac *Moderatio victus ſtudioſis vtilis.*

Chriſtus frugalitatē imperat. naturæ neceſſitatem referat. Exigit idipſum à ſuis profeſſoribus Chriſtus, eoſque huiuſmodi verbis ad temperantiam reuocat, Videte nequando corda veſtra grauentur crapula & ebrietate, atque huius vitæ curis, ſubituſq; vobis ingruat ille dies. tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem totius terræ. Qua concione infigit hominum animis ſobrietatem, atque excutit rerum terrenarum amorem, in eoque negotio illos perſiſtere vult ad extremum vſque vitæ diem, nequid deterius illis obueniat. Scitum eſt illud Cornelij Celſi, Vbi ad cibum ventum eſt, nūquam vtilis nimia ſatietas, ſæpè inutilis nimia abſtinentia. neque ex ſatietate fames, nec ex fame ſatietas, & immodica ingurgitatio idonea. Quamobrem inconſultè faciunt, qui poſt pridianas epulas ac ſympoſia menſaſque Geniales poſtridie immodica inedia ſe macerant ita, vt defectu animique deliquio nonnunquam corripiantur, atque odoriferis reficiendi ſint. Alij à ieiunio atque antecedentis diei inedia affluentius, quàm par eſt, cibo potuque ſe onerant, adeò, vt niſi relaxentur, diſrumpi videantur.

Luc. 21.

Lib. 1

Vitanda ſatietas.

Liberalius aliquando accumbendum. Liberalius autem nōnunquam cœnare, ac cum æqualibus tempeſtiuis conuiuijs ſe reficere, nihil habet vitij, nullaque ratione improbari meretur, modò omnia moderatè perficiantur, atque intra mediocritatem, intra temperantiæ limites conſiſtant. Huiuſmodi enim laxamētis diſcutitur mœror & mœſtitia, quæ ex nimia intenſione menti nebulam ac caliginem offundit, ipſoſque ſtudioſos extenuatis exhauſtiſque ſpiritibus melancholicos efficit, tetricos, taciturnos, moroſos, atque ab omni ſodalitate, ab omni conſuetudine ciuili alienos: qui affectus à philomuſis, viriſque politicis, ac literarum candidatis alieniſſimi eſſe debent.

Cibos

Cibos ex Dei liberalitate ac munificentia, magna gratitudine ac gratiarum actione ſumendos.

C A P. XXIII.

QVONIAM aũt ex Dei munificentia rebus creatis affatim ac cumulatè fruimur, omniaque à mundi exordio in vſum ac cõmoditatem hominũ cõſecrata ſunt: in ipſo ſtatim mẽſæ accubitu, antequam manũ patinæ, aut alimentis admoueri contingat, in vniuerſitatis Opificem erigẽda mens eſt, atq; alacri viuidaq; precatione impetrãdum, vt ea, quæ ſumpturi ſumus, nobis per fidẽ ſalutaria efficiat, atque ad alendũ fouẽdumq; corpus efficacia, neque enim in edulijs atq; obſonijs nutriendi vis cõſiſtit ac vegetãdi potẽtia, ſed in verbo Dei, quod tali virtute illa imbuit Quocirca ad Deũ omnia referenda ſunt. Sic præter Paulum Prudentius commonſtrat, à quo victus vitæq; ſubſidia peti, aut ſperari debeant, nẽpe à Deo patre, à quo per Chriſtum omnia conſequimur. Sic enim preces eò dirigit,

In cibo, Dei agnoſcatur munificentia.

A Deo cibus nutriendi vim obtinet.

1. Tim. 4. Rom. 14. 1. Cor. 9.

Chriſte prius genitore potens,
Huc nitido precor intuitu
Flecte ſaluiferam faciem,
Fronte ſerenus & irradia,
Nominis vt ſub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te ſine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere.
Pocula ni prius atq; cibos
Chriſte tuus fauor imbuerit,
Omnia ſanctificante fide.
Fercula noſtra Deum ſapiant,
Chriſtus & influat in patinas,
Seria, ludicra, verba, iocos,
Denique quod ſumus atque agimus
Trina ſuperna regat Pietas.

Cathimer lib. Prudentij hymnus, in menſa accubitu.

Matth. 26. *Mar.* 14. Inſtauratis cibo viribus ad gratiarum actionem Chriſti exemplo nos incitat. nam Seruator abſoluta cœna non, niſi hymno dicto, à menſa ſe ſubduxit, quò agnoſcamus, ab opulenta largaque Dei manu omnia proficiſci, atque eius munere nobis eſſe ſalutaria. Sic autem gratiarum actionem proſequitur,

Prudentij gratiarum actio.

Paſtis viſceribus, ciboq; ſumpto,
Quem lex corporis imbecilla poſcit,
Laudem lingua Deo patri rependat.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, & ſacramus hymnos.

Sunt huius generis complures precandi formulæ apud probatiſſimos autores, atque etiam in Biblijs eiaculationes paſſim obuiæ: verùm nulla ad impetrandum efficacior, quàm quæ à Chriſto præſcripta eſt. *Matth.* 6 *Luc.* 11. Huc enim referri debet, atque ab hoc fonte promanat, quidquid vel petitur, vel mente concipitur. Conſtat illa quidem verborum paucitate, ac ſex ſeptémue conciſa membris, ſed quæ tam ſit fœcunda refertaque myſterijs, vt omnia in ſe complectatur, quæ vel ad Dei gloriam, vel noſtram neceſſitatem vſumque ſpectant, vel etiam proximi emolumentum.

Quomodo hoſpitalitatis habenda ratio.

CAP. XXIIII.

Hoſpites fouendi. *Rom.* 12. 1. *Tim.* 3. *Tit.* 1. 1. *Pet.* 4. *Hebr.* 13.

QVOD ad conuiuarum hoſpitumque rationem attinet, aut illorum, qui ſympoſia ac comeſſationes alterius ſumptu captant & venantur, prudentem ac circumſpectum quemque eſſe decet. Primùm hoſpitalitatem, quam præter cæteros Apoſtoli collaudant, ac Paulus in Epiſcopo exigit, cuiq; curæ eſſe par eſt, ac modeſtis ciuibus ædium veſtibula ac cœnaculorum aditus patefactos. Eſt

enim

enim, Cicerone teſte, cumprimis decorum hominum illuſtrium domos patere illuſtribus hoſpitibus. In quo humanitatis officio, vt vitetur ambitio atque oſtentatio, apparatus, perſonarumque reſpectus, Christus conuocari voluit inopes atque egeſtate oppreſſos, nulla ſpe redituri muneris aut impenſi beneficij compenſatione, niſi à patre cœleſti, qui omnia cum fœnore refundit. *Inopum habēda ratio. Lucæ 14.* Verùm quum ſint impudentes quidam atque attritæ frontis, qui deuorato pudore ac verecundia vltro ſe conuiuijs ingerunt, beneque paſti nonnunquam inſalutato hoſpite tacitè ſe ſubducunt: conuiuarum diſcrimen delectumque habendum cenſeo ſic, vt modeſti admittantur ac frugales: gurgites verò, liguritores, helluones, pamphagi, menſarumque aſſeclæ, qui præter heri voluntatem impudenter irrumpunt, atque vltro ſe ingerunt, occluſis foribus arcendi ſunt, aut ciuilitate quadam ablegandi, vel ſi id obtineri nequeat, obijciendæ ijs in cœnaculo aſſcriptæ inſigniores aliquot ſententiæ, ac ſcitè dicta, quæ illos officij ſui commonefaciant, in quem vſum, cùm alia, tum iſtud in triclinio poſtibus affigi poteſt, illiſque ſpectandum exhiberi, quo pudore ſuffuſi meminerint decori. *Hoſpitum habendus delectus.*

Vis conuiua meæ accubare menſæ? *Carmē conuiuale elegans.*
Hac ſerua paradoxa: Neminem nec
Dentatis ſalibus, nec inuido ore
Suggilla, appoſitis cibis palatum
Apta. Quem nequeas probare, noli
Nec traducere, nec calumniari.
Aequales cyathos caue propines.
Frontis pone minas ſeuerioris.
Et profer Veneres, iocos, lepores,
Grates ſolue Deo. Hoſpiti repende
Quod non meſſuit in ſuo nouali.
Hæc fac, ſi cupias bis eſſe gratus.

Non

Prouerbiũ cõuiuiale. Non autem negligendam hoſpitum conſuetudinem, ac conſeruanda humanitatis atque amicitiæ iura, Prouerbium indicat, Salem & menſam ne prætereas. Quum enim veteres vltro citroque inter ſe conuiuia agitarent, huiuſmodi ſymbolis fouebant, alebantque ſemel initam amicitiam, atque illam communi menſa conſtabilierunt. Quocirca antiquitus proditionis ac perfidiæ inſimulari ſolent, qui Salem & Menſam eſſent prætergreſſi, hoc eſt, Amicitiæ teſſerã cõfregiſſent, ac violaſſent fœdus intimamq; vitæ neceſſitudinẽ, qua ſale & pane inter ſe erant deuincti, atque eiuſdem menſæ participes. Ad hoc ſymbolũ ſpectat Dauidis illa querimonia, qua Chriſti perſonam referens, amicum ac familiarem proditionis ac perfidiæ inſimulat, idque honeſti ſpecie ac ſimulato fictoque pietatis prætextu. Sic autem cum illo expoſtulat. Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, cui fidebam, & qui mecum edebat panes, hoc eſt, conuictor erat, menſæque eiuſdem conſors, extulit ſuper me ſupplantationem. Tolerari, inquit, poſſet, ac minus indignè ferri, ſiquis hoſtis denũciato per feciales bello, aperto Marte me eſſet aggreſſus: at illum mihi fraudes, dolos, inſidias ſtruere, atque aduerſum me ceruices erigere, calceque petere, quicum mihi interceſſit intima familiaritas, ac ſolitus ſum arcana omnia communicare, intoleranda res eſt, & quæ perferri nequeat. Sic Chriſtus huiuſmodi facti indignatione commotus, Qui edebat, inquit, mecum panem, is ſuſtulit aduerſum me calcaneum ſuum, hoc eſt, hoſtis domeſticus, quo nullus pernicioſior, clancularijs ac clandeſtinis me conſilijs opprimere meditatur. metaphora ſumpta ab amicis, in ſpeciem primaque fronte blandis, ſed inſidioſis, menteque venenata, qui latenter hominem feriunt, ac poſtico calcem impingunt ſic, vt quis malum intulerit,

Pſalm. 40.
Ioan. 13.
Dauidis locus explicatus.

lerit, obſeruari nequeat, Belgæ prouerbiali figura *Prouerbiũ*
Auerſa cuſpide ferire dictitant, hoc eſt, nō à fron- *in inſidio-*
te, ſed à tergo atque auerſa corporis parte, *Van ſos.* *tos.*
bachten, ende met de cromme pyke ſteken. Huic affi-
nis alia Dauidis expoſtulatio, qua queritur, ab illo
ſibi inferri damna, cuius ſumma familiaritate v-
ſus eſt, atque arctiſſimo amicitiæ fœdere coniun-
ctus ſic, vt omnium conſiliorum fuerit particeps,
& tanquam intimus ac primarius amicus ſecreto-
rum conſcius. Sic autem rei atrocitatem exagitat,
Quoniam ſi inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſ- *Pſalm.* 54.
ſem vtique. Et ſi, qui me oderant, erexiſſent ſe con-
tra me, abſcondiſſem me forſitan ab eis. Sed tu ho-
mo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſi- *Dauidis lo-*
mul dulces mecum capiebas cibos, & in domo Dei *cus expli-*
verſati ſumus cum conſenſu, &c. Verſus ſunt pa- *catus.*
thetici, hoc eſt, pleni affectibus, quibus ſe grauiter
magnaque indignatione ferre declarat, quòd qui
hactenus fidi amici ſpeciem prębuit, infeſtiſſimum
eſſe hoſtem experiatur, ac latenter taciteque perni-
ciem moliri. Quò autem graphicè depingat expri-
matque hominem verſipellem & ſubdolum, qui
ſpecie quadam aſſimulatę amicitiæ ac virtutis, vul-
tu, oculis, ſermone, blandiatur amico, quum intus
in eius perniciem virus & venena foueat, hoc ad
perfidiæ crimen adijcit, Mitiora ſunt butyro ver- *Simile ab*
ba oris illius, quū in corde eius inſtruatur bellum, *oleo & bu-*
Molliores ſunt ſermones illius oleo, quum ſint re *tyro.*
ipſa gladij & iacula. Qua ſimilitudine deſignat fu-
catos ac malitioſos amicos, qui aliud in pectore
clauſum habent, aliud in lingua promptum, qui-
que altera manu panem oſtentant, altera lapidem
ferunt. Cuius proditionis ſpecimen exhibuit Iu-
das Iſcariotes, & poſt hunc plerique alij, qui ab
ipſo edocti ſunt, ac fraudulenta exempla ſumpſe-
runt.

De rei familiaris ac domeſticæ cura, eiusq; adminiſtratione.

CAP. XXV.

Rei domeſticæ procuratio.

QVOD ad Oeconomicam, hoc eſt, rei familiaris adminiſtrationem attinet, quæ, Cicerone teſte, miniſtra eſt ac famula corporis: in ea ſtabilienda ornandaq; quemque induſtrium eſſe decet ac prudentem ſic, vt eius amplificatio ad vſum vitæ neceſſarium, ad commoditatem, ad ornatum referatur, non ad luxum ac delicias, non ad ſumptuoſas menſas atque immodicos ferculorum apparatus, quæ opes, quamlibet immenſas, exhauriunt atque attenuant. Quocirca in exornando conuiuio menſaque inſtruenda præ cæteris obſeruanda frugalitas ac victus moderatio, omniaque euitanda gulæ ac libidinis incitaměta, denique bellaria delicatiora, quæ ferè ſecundis menſis inferri ſolent cibo ſatiatis, quò denuò edendi cupiditas incitetur. Hæc profuſio vitæque luxus præter id, quod facultates imminuat, ac morbos pariat, etiam vbi vino incaluerunt, luxuriæ fomenta miniſtrat, ac lumbos incitat, parteſque abditas atque obſcœnas tentigine afficit, qua prurire incipiunt, atque, vt Apoſtoli verbo vtar, vri, hoc eſt, potentius ad Venerem incitari. Quamobrem Paulus nihil pro cupiditatum arbitrio fieri vult, ſed omnia ad neceſſitatem vſumque naturæ referri, non ad luxum ac voluptatem, corpori mentique æquè damnoſam. Nemo aūt ita obſurdeſcit ad naturæ ſenſum, vt corpus ſuum exoſum habere ſuſtineat, quin, vt Paulus ait, enutrit ac fouet illud, vt Chriſtus Eccleſiam. Quo exemplo inuitat Apoſtolus maritos, vt vxores ſuas ament, eamq; curam adhibere ſtudeant, quam quiſque ſuo corpori adhibet, atque illis præſtet, quod Chriſtus Eccleſiæ ſponſæ vnicè adamatæ præſtitit.

Ciborū apparatus vitandus.

Ephe. 5.

1. Cor. 7.

Rom. 13.

Ephe. 5.

præſtitit. Cæterùm in rei familiaris adminiſtratione ac ſtabilienda firmandaq; re domeſtica nequid illa detrimenti patiatur, ita omnia moderanda ſunt, ne vel prodigi aut profuſi hominis nomen incurras, aut plus ſatis parci, aridi, tenacis.

Conſeruatur quidem res familiaris parſimonia, eaq; augeſcit, & incrementa concipit: verùm non in eam anguſtiam illa contrahi debet, vt defraudes Genium, ac te tuoſque inedia conficias: quod ſordidi quidam opulenti factitant, rurſus ne, vt decoctores aſſolēt, parta profundas, ac patrimonia diſſipes, aſcitiſque aliquot huius notæ ac farinæ ſodalibus, qui ad hæc perficienda exhortantur, ac claſſicum canunt, abligurias. Vt autem iuxta Terentium, Neceſſe eſt ſumptum faciat, qui quærit lucrum: ita iuxta Plautum, Non poteſt cōſtare quęſtus, ſi illum ſumptus ſuperat. Quam ſententiam Belgæ ita efferunt: *Stelt ɣteringhe naer ɣneringhe.* Quo indicat, ita moderandum ſumptibus, ne immodica profuſione rem domeſticam imminui contingat, ſed æqualis ac par ſit cenſus expenſique ratio. Quocirca induſtrij Patrisfamilias officium eſt, pro tempore velut ex promptuaria cella quædam depromere, & quum res poſcit, recondere. Et. enim, vt habet Prouerbium, Sera in fundo parſimonia. Non eſt aūt à noſtro inſtituto, nec à Reip. commodo, ac rerū domeſticarum cōſeruatione aliena lex, quam Amaſis Aegyptiorum rex promulgauit, Soloni Athenienſiū Legiſlatori etiā vſurpata, qua cautū eſt, teſte Herodoto, vt populares atq; inquilini ſingulis annis apud prouinciarū Præſides demonſtrarent, vnde viuerent, & qua re ſibi victum cōpararent. qui id proferre nō poſſent, nec teſtarētur, ſe legitimè viuere, morte plecterētur. Qua edicti ſeueritate coercere voluit otioſos, ne ad latrocinia, ac prædationes illis pateret aditus; quò ferè

Modus rebus adhibendus.

Prouerbiū frugalitatem commendans.

Damnoſa eſt ſera parſimonia.

Lib. 3. Euterpe.

Lex Amaſis contra otioſos.

deue-

deueniunt, quibus alea, ſcortis, compotationibus paterna hæreditas decocta eſt, ac funditus exhauſtum patrimonium. Ex his emerſiſſe opinor apud Corinthios, Legem ſumptuariam contra prodigos, & qui ſuas facultates temerè profundunt, aut ſumptuoſius magiſque effusè conuiuantur, quàm res familiaris ac prouentus annuus exigit. Quam quum Diphilus apud Athenæum referat, ac Latinis verſibus expreſſerit Eraſmus, de omni diſciplinarum genere optimè meritus, non grauabor adſcribere, quò Magiſtratus rationem modumq; ineat, qua effici poſſit, vt Ciuitates ac ſuburbana prędia minus infeſtentur, ac violentis graſſatoribus, qui interdiu ac noctu facultates quietaſque hominum poſſeſſiones diripiunt, ac corpora immaniter excruciant, niſi confeſtim theſaurum profe-rant. His autem verſibus exprimitur legis huius ſententia,

Lib. 6.

Lex ſumptuaria Corinthiorũ.

Hoc lege cautum eſt hic apud Corinthios;
Si quempiam obſonare ſemper ſplendidè
Videmus, hunc rogamus, vnde viuat, &
Quid faciat operis: Si facultates habet,
Vt reditus harum ſoluere expenſas queat,
Perpetimur illum perfrui ſuis bonis.
Si fortè ſumptus ſuperat ea, quæ poſſidet,
Prohibemus huic, ne faciat hoc in poſterum.
Ni pareat, iam plectitur mulcta graui.
Sin ſumptuosè viuit is, qui nil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules!
Nec enim licet vitam abſq; malo vllo degere,
Talem ſcias, ſed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum iungier commercio.
Aut in foro agere Sycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Eÿcimus hac ex vrbe, velut purgamina.

Non

Non minus ſeuerus eſt officiorum exactor Paulus Apoſtolus, qui præcipit, vt ignaui atque otioſi excuſſo veterno, operam manuarijs opificijs impendant, quibus ſe & domeſticos alant: quod tam rigidè obſeruari voluit, vt ijs alimenta denegaret, qui non inſiſterent labori, atque ad conſtabiliendam rem familiarẽ eſſent intenti, ſed tanquam fuci, qui apum laboribus & mellificationi inſidiantur, ex aliena liberalitate & munificentia viuerent, atque otiarentur, nullo opere, niſi rerum curioſitate occupati. Ad hanc diſciplinam ac cenſoriam ſeueritatem Paulus etiam fures reuocat, qui aliena compilant ac depeculantur, quos non ſolùm commonefacit, vt ab aliorum opibus manus abſtineãt, ſed quæ honeſto labore parta & conquiſita ſunt, egenis ſubleuandis impendant. ita ſiquid labis aut maculæ contractum ſit ex re aliqua infami & pudenda, bonis operibus ac liberalitate in tenuiores elui poteſt. quale exemplum editum eſt in Zacheo, qui fœnore parta diſtribuit egenis. Hac enim ratione efficitur, vt anteactæ vitæ errores & vitia virtutis compenſatione obliterentur, mutatis ſcilicet in diuerſum affectibus, exutaq́; inolita naturæ prauitate ac vitioſa conſuetudine.

2 Theſſa 3. *Paulus ignauos extimulat ad induſtriã.* *Pauli ad fures admonitio.* *Ephe. 4.* *Luc. 19.*

Somni & vigiliæ moderatio.

C A P. XXVI.

STVDIOSIS viriſque politicis inter cætera habenda ſomni & vigiliæ ratio. Hęc enim ſi moderata ſint, & tempeſtiuè adhibeantur, plurimũ commoditatis adferunt in ſtabilienda firmandaq́; valetudine. nam præter id, quòd corpus alacre præſtant & vegetum; tum mentem quoque reddunt ad obeunda quæuis munia ac functiones erectiorem. Somnus autem immoderatus atque immo-

Somni & vigiliæ moderatio.

dicus ſtupidos reddit homines, ignauos, ſocordes obliuioſos, & qui non facilè emergant, atq; ad præclaras vllas artes enitantur. Quocirca huiuſmodi cōditionis homines ad exercitationes, ac ſubeūdo labores excitādi, quò torporē veternumq; excutiāt atque aliquid libero homine dignum meditētur.

Sōnus meridianus quando noxius. Quod ad meridianum diurnumque ſomnum ſpectat, non conſulo, vt iuuentus illi aſſueſcat, niſi laſſitudo ex æſtu ac labore contracta, vires afflixerit, aut nox pridiana intempeſtiuis vel vigilijs vel ſympoſijs tranſacta ſit. tunc enim citra incommodum admitti poteſt meridiatio, aliâs memoriam labefactat, mentemque obnubilat, & præter capitis grauedinem, oculis caliginē adfert, præſertim vbi cibo oppleti decumbunt. quibus hoc quoque accedit incommodi, quòd ſopore excuſſo nauſeabundi ſint atque oſcitent, paſſiſque brachijs pandi-*Pandiculari quid ſit.* culentur, hoc eſt, membra quaquauerſum diſtendant, diffuſo vndique per corpus vaporum cōcurſu, ex languida quadam affectione & febrili rigore, quem *VVanluſt* noſtrates vocant, Latini veteres *Helucus nauſeoſus affectus.* Helucum. Quæ vox deſignat vel à crapula vel meridiano ſomno nauſeantes ac flaccidos, quiq; ſubinde ad oſcitandum impelluntur.

Meridiatio ſenibus commoda. Senes verò & qui in ætate matura conſiſtunt, tutò meridiari poſſunt, hoc eſt, prandio abſoluto, modò nō nihil interualli intercedat, ſe ſomno dedere, præſertim æſtiuis menſibus, cœloque feruido. quæ aeris intemperies homines ſomnolentos efficit, quo tempore ea commoditas captanda eſt, vel in ſedili collocato corpore, vel in culcitrā compoſito, capite ſublimius pauloque erectius in puluinum inclinato. Tali enim ſomni laxamēto ſpiritus cùm naturales, tum vitales, à quibus ſpiritus animalis, qui cerebro inſidet, fomenta concipit, inſtaurantur ac reuiuiſcunt.

Vigilia autem intēpeſtiua cùm omni ætati noxia, tum iuuentuti nocentiſſima, vt etiam inedia, quorum vtrunq; cerebro ſiccitatem adfert, ac præter phreneſim & delirium, quod inducit, totum corpus aridum efficit, ſquallidū, ſtrigoſum. Quod ſi immodica vigilia, vel inedia, vel intempeſtiua lucubratione, aut etiam nimio labore, aut immoderata Venere vires attritæ ſint, ac ſpiritus exhauſti, conſumptoque ſucco vitali macies contracta, humido alimento ac ſomnificis potionibus vires reficiendæ, quales ſunt lactuca, ſpinachia, maluæ effectu par, atriplex, bugloſſus, & quæ vulgò borago dicitur, ſemen papaueris recentis, nympheæ flores, vulgò nenuphar, vel lilium aquaticum & paluſtre, Bataui ſeu Hollandi *plompen* vocant, *oft VVaterlelien.* quibus accedunt violarum floſculi, nuclei pini, amygdala dulcia, piſtacea ſeu fiſtici, ordei cremor, vuæ & paſſæ, & Corinthiacæ illæ minutis acinis, vinaceis immunes, dactyli ſeu palmulæ, mala Medica ſeu corticis citri zaccaro aut melle conditi. ijs enim natiuus ac vitalis humor reficitur, ac cerebrum mentis ſedes velut roſſido humentique vapore perfunditur, ac ſuaui halitu irrigatur, ex quo emergit ſomnus placidus, ac quies minus turbulenta, aut tumultuoſa. Quod ſi quis ſit natura ſomnolentior, nec illi incaleſcat animus ad res vllas præclaras, continenter exercitationi ac labori inſiſtat, vitet cibos omnes frigidæ humentiſque facultatis, eoſque aſſumat, qui vi calorifica humores ſuperuacaneos, in quibus conſiſtit ſomni cauſa, exiccant: quales ſunt hyſſopus, roſmarinus, ſaluia, origanum, amaracus, vulgò maiorana, cunila ſeu tymbra, braſſica rubicunda, zinziber, piper, nux muſcata, gariophyli, & pleraque alia, quæ cerebrum vaporoſo ac fumido humore oppletum releuant, mentemque denſis vaporibus obnubilatam

Vigilia exſiccat.

Somnifica quæ cerebrum humectant.

Somnolentia vt excitatur.

latam erigunt, atque ad concipiendas honeſtas co-gitationes alacrem reddunt atque expeditam.

Quid adferat commodi vel incommodi repletio & inanitio, denique aluus vel aſtrictior, vel re laxior.

CAP. XXVII.

EADEM quoque alijs rebus, quæ valetudini vel proſunt vel officiunt, adhibenda moderatio: quales ſunt repletio & inanitio, qua ſcilicet corpus cibo potuq́ue reficitur, vel humoribus oppletum e-uacuatur. Vt autem frugalis eſſe debet, ac temperata ſtudioſis viriſq́ue politicis victus ratio: ita non nimis tenuis & parca, ne ſpiritus extenuētur: quibus & id accuratè obſeruandum, ne aluus ſit adſtrictior, aut plus iuſto laxior. Vtrumque enim (ſi modum exceſſerit) valetudini æquè noxium. Si enim plus nimio profluat, ac ſit citatior, corpus aridum reddit ac ſtrigoſum, ſomniq́ue paucitatem infert, atque inducta cerebro ſiccitate, memoriam imminuit: ſin verò nimium areſcat ac ſit coactior, memoriam obnubilat, atque oculis caliginem inducit, ſomniaq́ue tumultuoſa ac turbulenta efficit, craſſis denſiſq; humoribus ad cerebrū delatis. Quæ autem ventrem aluumq́ue placidè molliunt, ſunt violæ, lactuca, ſpinacia, atriplex maluæ congeneres, quam veteribus in eum vſum commendatam Martialis indicat,

Moderatio cibo adhibenda.

Ventrem quæ laxāt.

Herbæ quæ aluum lubricā præſtant.

Exoneraturas aluum mihi Villica maluas
Attulit, & varias, quas habet hortus opes.

His accedunt bugloſſus, & quæ vulgò borago dicitur, cheraphilum vel gingidium, vulgò *keruel*, beta, blitum, pruna Damaſcena, vuæ paſſæ & Corinthiacæ minutis acinis, mora, ficus. Medicamentoſa quę id præſtant, ſunt Mercurialis, fumaria, polypodium,

ypodium, ſenna, Rhabarbaron, carthamus, epithinus, caſſia, manna, ſeu mel aerium concretũ. nam ſcamonea, tripolium ſeu turbit, mezereon, &c. vires deijciunt. quocirca non niſi validis ea exhibentur, quum malo nodo malus quærẽdus ſit cuneus. Si autem venter magis lubricus eſt, quàm valetudini commodum, ſiſti poteſt crebro vſu menthæ rubicundæ, & quæ in officinis paſſim obuia eſt, ex ea confecta mellagine vel ſyropo. Ventrem quoque adſtringunt ac corroborant cotonea tenera lanugine mala, & quicquid ex ijs conficitur, roſæ rubentes. ijs accedunt meſpila, antequam vliginem ſint perpeſſa ac tenereſcant, corna lapidoſo quidem intus nucleo, ſed non inſuaui inſipidoque ſapore, eoque acido atque adſtringente, Rhus Ponticum, noſtrates Ribes vocant, quod appetentiã mirè excitat, ac nauſeam diſcutit, ipſique ſtomacho retinendi cibi vires confert, preſertim æſtiuis menſibus, vbi bilioſus humor aluum proluit, ac fluxum prouocat, in quem vſum ſuccus eius ſaccaro concretus, quem Rob Auicenna vocat, præſentaneus, nam aluum plus nimio profluentem cohibet, atq; appetendi vires languidas erigit, cibique auiditatem excitat, vt etiam mala punica, vulgò granata, rubentibus intus atq; anguloſis acinis ſapore modò dulci, modò acido.

Qua ventrẽ aſtringunt.

Rob quid Auicennæ.

Studioſis viriſq; politicis ſæpius meatus, per quos excrementa deferuntur, expurgandos.

CAP. XXVIII.

NON fruſtra Deus humani corporis opifex tot meatus ac vias expurgandis humoribus proluendiſque excrementis condidit, ne ſcilicet ex horum redundantia obrui hominem, atque emanantibus ab ijs vaporibus ſuffocari contingat. Sic caput per

Meatus expurgantur excremẽtis deſtinati.

nares, aures, palatũ ſe emungit atq; exonerat ſcreatu ac ſternutamento: Pectus & pulmo per vocalem arteriam tuſſi pituitam elicit: Stomachus ſeu ventriculus vomitu ac ructibus ſentinam exhaurit: Inteſtina per aluum ſe expurgant, ac poſtico emiſſis flatibus à ſordibus feculentis cloacã proluunt: Renes & veſica per meatus ductuſque vrinarios lotiũ deriuant: Corporis autem ſuperficies per cutem poroſam, ac multis minutiſque foraminibus peruiam fuligines ac ſudoriferos halitus diſcutit. Quocirca cùm corpus inculpatè cõſiſtere nequeat, niſi ſingulæ partes benè conſtitutæ ſint, ſuoq; officio citra offenſam fugantur: dãda cumprimis opera, ne quis error aut intẽperies ſuboriatur, quæ organorum actionem vel vitiet vel reddat deteriorem. horum enim miniſterio mens ipſa vtitur, ac res præclaras perficit. Si morbus aliquis infeſtat, ſi caput grauedine tentatur, ſi pituita moleſta eſt, ſi calculus aut ſtranguria, ſeu vrinæ ſtillicidium vexat, ſi caligo ac lippitudo oculos vitiat, ſi manus aut pedes articulari morbo tentantur,

Horat. in Arte.

Si mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget,

minus expeditè ſua munia ac functiones obit aut exequitur humanus animus. Quò mihi conſultò facere videntur, qui valetudinis rationem habere curant, ac corpus eiuſque partes ab omnibus excremẽtis purgatiores efficere. Sic enim mens ipſa magis niteſcit, atque ad quaſuis actiones redditur accommodatior. Magna mortalium pars neglecto omni cultu, nec obſeruata valetudinis ratione, opibus inhiat, ac ſtudio comparandi conquirendique eſt intenta, quum tamen Sanitas ſit auro potior, nec vlla res animi tranquillitate optabilior. Confirmat id verſibus hiſce Horatius,

Valetudo auro potior.

Lib. 1. epiſtol. 12.

Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſq; tuis: nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Non

Non domus, aut fundus, non æris aceruus, & auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Et quò quemque ad frugalem & moderatũ rerum vſum reuocaret, ſubijcit,

———————— Valeat poſſeſſor oportet, Li..1. ep. 2.
Si comportatis rebus benè cogitat vti.

Hebræus Sapiens per omnia huius verbis ſic conſonat, Præſtat pauperem eſſe ſanum, & firma valetudine, quàm diuitem malè affecto corpore. Sanitas & bona habitudo eſt omni auro præſtantior, & validum corpus immenſis opibus. Nullæ meliores ſunt diuitiæ, quàm ſanitas corporis, nec vllum oblectamentum maius, quàm animi lætitia & gaudium cordis. Quocirca non eſt metienda felicitas opum affluentia, aut proſpero rerum ſucceſſu, ſed corporis mentiſque inculpata ſanitate. Ille enim demum & viuit & valet, qui horum commoditate inoffensè fruitur.

Eccle. 30.

Sap. 4.

Præcepta ſalubria non minus animo, quàm corpori idonea.

C A P. X X I X.

TRIA ferũtur vulgò ſaluberrima, quæ quemque obſeruare par eſt, Veſci citra ſaturitatem, Non refugere laborem, Naturæ ſemen cõſeruare. Quibus oppoſui totidem inſaluberrima, quæ præter morbos, præmaturã ſenectam accelerant, morteque properata homines conficiunt, Crapula diſtendi, Ignauia torpeſcere, Immodica Venere eneruari. Quum enim frugalitas, profligata ingluuie, ſalubre corpus conſtituat, Exercitatio, excuſſo otio atque ignauia, idipſum agile reddit & expeditum, tum ſi ab equino genere documenta ſumere liceat,

Rebus naturæ modus adhibendus.

Virg lib.3. Georg.

Nulla magis animi vires induſtria firmat,
Quam Venerem & cæci ſtimulos auertere Amoris.

Siquidem intemperans ac libidinoſa adoleſcentia effœtū corpus ſenectuti tradit. Quocirca quum in adoleſcentia, tum maximè in ſenectute moderandum cupiditatibus, ac luxuriæ præcludēdi aditus, quæ vt iuuentuti turpis: ita, Cicerone teſte, ſenectuti fœdiſſima ac maximè indecora. Vt enim in bello ac caſtris opus eſt viribus, opus agilitate, opus robore tolerandis, ferendiſque laboribus: ita in amore ac præſtanda Venere vires exiguntur ad ſubeundos nocturnos labores, ad deuoranda matrimonij tædia, ad perferendos vxoris procacis atque imperioſæ mores. Quamobrē nec ſenibus bellum, nec amor conuenit, quòd vtraque res multas circumferat difficultates, moleſtias, incommoda, ad quæ ſeneſcens ætas impar eſt, atque ijs perferendis inidonea. Expreſſit id eleganti carmine Ouidius,

Senectus, amor, & Venus indecora.

Lib 1. Amor. eleg. 9.

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido.
Attice, crede mihi, militat omnis amans.
Quæ bello eſt habilis, Veneri quoque conuenit ætas.
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.
Militia ſpecies amor eſt, diſcedite ſegnes.
Non ſunt hæc timidis ſigna tuenda viris.
Nox & hiems, longaque via, ſæuique labores
Mollibus ijs caſtris & dolor omnis adeſt.

Quis autem non perſpicit, quàm ſit indecorum, exoletum, rugoſumque ſenem iuuenili more oſcula figere, atque in amplexus proruere? quum ad peragendos Hymenæos ſit inhabilis. Sic rectè Sophocles, qui ætate confecta, à quodam interrogatus, vteretúrne rebus Venereis: Dij meliora, inquit, libenter verò iſtinc tanquam à domino agreſti & furioſo profugi.

Exiſtima-

Exiſtimationis ac famæ habendaratio.

C A P. X X X.

MODIS omnibus efficere ſtudeas, vt tui ciues optimam de te opinionem concipiant, tuæq; exiſtimationi ac nomini laudabile teſtimonium deferant, denique præclarè de te ſentiant, atque honorificè loquantur. Nec obſeruare pudeat, qua perſuaſione populares tui erga te ſint imbuti, quo animo affecti. Negligere enim quid de ſe quiſq; ſentiat, aut loquatur, non ſolùm, vt Cicero ait, arrogantis eſt, ſed etiam diſſoluti. Sic Chriſtus ſciſcitatus legitur ab Apoſtolis, quam opinionem de illo conciperet promiſcua multitudo, quos rumores de ipſo ſpargerent, quid deniq; de Meſſia ipſi ſibi perſuaderent, non ambitionis aliquo, aut gloriæ aucupio, ſed vt periculum faceret, an auditis tot ſalutaribus concionibus, conſpectiſque tot miraculis, ſublimius ac magnificentius de illo, quàm vulgus ſentirent. itaque hoc percontatus eſt, quò ab ijs eliceret ſolidam profeſſionem fidei, atque exploraret, quantum profeciſſent in doctrina cœleſti, quæ nihil habet fuci aut vanitatis, nihil fallaciæ vel imposturæ, vt calumniati ſunt Phariſæi; ſed prorſus ſalutaris eſt & ſincera, ab ipſa veritate, ipſoque iamdudum expectato Seruatore Dei filio prolata. Quod cùm Petrus ſummi Patris afflatu omnium nomine exertè eſſet profeſſus, atque indubitanter pronuntiaſſet Ieſum omnis ſalutis autorem, illiuſque fiducia genus humanum redemptionem conſequi, Chriſtus Petri profeſſionem diuinitus illi inſpiratam collaudauit, eamq; immobili fundamento innixam cõfirmat, inuictam fore & inexpugnabilem. In quauis actione, omnibuſque dictis ac factis memineris decori, & quid maximè deceat. id enim honeſtatis ratio exigit: vnde ſcitum eſt Pro-

Famæ habenda ratio.

Lib. 1. Offi.

Matth. 16.

Chriſtus auram popularẽ non captauit.

Profeßio fidei.

Decori habẽda ratio.

uerbium, Caput artis eſt decere, quod facias, hoc eſt, quod naturæ ſit aptum, atque ingenio moribuſque conueniens, *Dat v vvel voeght ende betaemt.* Compendiaria atque expedita via eſt ad ſolidam gloriam, ſi te talem præſtes, qualis haberi velis, quod obiter monet Horatius:

Qua ratione affectāda gloria.

Lib.1.epiſt. 17.

Tu rectè viues, ſi curas eſſe quod audis.

hoc eſt, quod diceris, & quod de te ciues ac populares teſtificantur. qui ſi te virum probum atq; integrum exiſtimant, rectè quidem, modò ne ijs fucum facias, nec imponas honeſti ſpecie, vt perſonati quidam hiſtriones, qui primo intuitu ſpectatæ probitatis apparent, quum verſipelles ſint atque improbi.

Perſ. Sat. 5. ——————— *Nam fronte politi*
Aſtutam vapido ſeruant ſub pectore vulpem.

Silentij tutum præmium.

Memineris duas præcipuas eſſe virtutes, quibus adoleſcentes potiſſimè ſolent commendari, Fidem & Taciturnitatem: quibus ſi accedat Pudor amabilis pubertatis color, quem candore ſuffuſus rubor velut ornatus quidam commendat: nihil ad decus ingenuitatis ac modeſtiæ accedere poteſt magis fauorabile aut gratioſum. Quiſquis autem hac indole, ijs adoleſcentiæ ornamentis deſtitutus eſt, aut horum iacturam fecerit, perditus & profligatus cenſeri ſolet, ſummaque improbitate atque impudentia inſignitus. Quocirca non prorſus aliena à vero hæc ſententia,

Ego illum perijſſe puto, cui quidem perijt pudor.

Pudor adoleſcentes cōmendat.

Ingenuitatis argumentum.

Commendat enim ſupra quàm dici queat, adoleſcentes pudor & verecundia adeò, vt non temerè ad frugem deueniant, aut aliquam de ſe virtutis aut probitatis ſpem polliceantur, in quibus nulla elucet aut ſe profert pudoris ſignificatio. Sic Diogenes quum adoleſcentem quendam pudore ſuffuſum conſpiceret, atque erubeſcere: Confide, inquit,

quit, fili, huiuſmodi eſt virtutis, probitatis, modeſtiæ color. Similiter cùm apud Terentium Mitio optimam ſpem de filio conciperet, Erubuit, inquit, ſalua res eſt. Eſt autem innocentiæ argumentum ac teſtificatio, pudor & cõfeſſio, ſiquando deprehenſa eſt in ijs, quæ non deſtinata malitia commiſit: Nequitiæ autem impudentia atque obſtinatio. Nec enim verentur iuuenes quidam confidentiſſimi, viros etiam graues inconniuentibus, fixiſque oculis obtueri, ac denegare factum, etiam ſi id palam ſit, nec inficiari queat. Vt autem ſine inuidia laudem inuenias, & amicos pares, Aſſueſces, vt Comicus ait, omnes perferre ac perpeti. *Confidẽtia vitioſa.* *Ter. Andr. Act.1. Sce.1.*

Quibuſcum verſaris, atq; vnà te ijs dedere,
Eorum, modò honeſta ſint, obſequi ſtudijs,
Aduerſus nemini, nunquam te præponens illi.

Eſt enim generoſæ mentis & modeſti animi argumentum, Plurimum facere, minimum de ſeipſo loqui, vt Iugurtha apud Saluſtium factitauit, ſecùs quàm Thraſones ac iactabundi milites, qui ſe inſolenter efferunt, ſuaque facinora magnifica oſtentatione prædicant. Quum autem nulli non ſit odioſa ventoſa iactatio, nemo ſibi de ingenio, eruditione, opibus blandiatur, ſuaque munera ambitioſè prædicet, ſed ita actiones ſuas moderetur, vt ſubmiſsè ac modeſtè de ſe ſentiat ac loquatur, ne, vt Paulus ait, alios deſpicere ac faſtidire videatur. Commonefacit idipſum, præter alia his verſibus Horatius: *Iactantia odioſa.* *Rom.12.* *Li.1. epiſt. 19.*

Arcanum neq; tu ſcrutaberis illius vnquam,
Commiſſumq; teges & vino tortus & ira,
Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprendes.

Nunquam in animum induxeris, vt alienæ calamitati inſultes, ne inimici quidem, ſed cõdoleſcas potius, eiuſque ſortem commiſeratione dignam *Calamitoſis nõ inſultandum.*

deputes.

deputes. Illæ enim ſunt vices rerum humanarum, vt multi ex ſumma felicitate, atque ampliſſima rerum poſſeſſione, ad inopiam ac miſerandos caſus deuoluantur, funeſtumque ac luctuoſum exitum nonnunquam ſortiantur. Rurſus alij ex infimo loco ac miſeranda ſeruitute ad opes, ad honores, ad dignitates & imperia prouehuntur. Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Ad hanc enim amuſſim exigi vult omnes noſtras actiones ac ſtudia Chriſtus, cùm inquit: Omnia quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, ſic & vos illis facite, hoc eſt, præſtate cuique honorem, decus, ſubſidium, cæteraque humanitatis officia, quæ quiſque ſibi exhiberi velit. Ne ſis in proferendo ſermone præceps, temerarius, inconſideratus, deniq; efficito, ne lingua mentem præcurrat, aut effutias per iugulum redituras voces, quæ aliquando recoquendæ ſunt. Sunt enim multi, quibuſcum verſamur, lubricæ fidei, ac ſilentij minus tenaces, qui non ſolum quæ incautius cuiquam exciderunt, eliminant, ſed obtrectatione ac calũnijs exiſtimationi ac famæ proximi officiunt, labemq; aſpergunt. Quocirca Horatius ſalubri conſilio quemque inſtruit,

Eccleſ. 10. *Matt. 7.* *Præcipitantia lingua improbanda.*

Protinus vt moneam, ſiquid monitoris eges tu,
Quid de quoq; viro, & cui dicas, ſæpe videto.
Percontatorem fugito. nam garrulus idem eſt,
Nec retinent patula commiſſa fideliter aures.
Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Epiſt. 17.

Quibus verſibus quemque commonefacit, vt cõſideratè ac parcè de alijs loquatur, nec quidquã temerè effutiat, quod illi aliquãdo fraudi eſſe poſſet, atque aliquid detrimenti adferat: denique Coricæos atque exploratores obſeruandos, qui omnibus ſe ſodalitijs ingerunt, ac ſubodorantur, quod ad Cenſores ac Criticos deferant, ita vt nemini tutum ſit, de vlla re mutire, nec liceat in tanta temporum

Futilitas damnoſa. Verſpiert.

porum infelicitate palam & exertè profiteri, quæ mens dictat, ſuadet ratio, etiamſi veritati ac ſinceræ religioni ſint conſentanea, idque metu delatorum, quibus etiam præmia atque honores decernuntur, quo magis oculatos auritoſque ſe præbeant in explorandi negotio infami cumprimis ac deteſtando, vt quos etiam exoſos habent, qui illorum vtuntur miniſterio. Placet enim nōnullis proditio ac delatio: ſed ijs eius rei artifices inuiſi ſunt, licet officium, quod præſtant, pro tempore ſit gratum. nam illos vt lubricæ fidei ſuſpectos habent. Teſtatū fecit id Auguſtus Cæſar, apud quem cùm inſolentius ſua merita iactaret Rhymirales Thracum rex: Proditionem, inquit, amo: proditorem deteſtor. Sic, vt Iulius Capitolinus refert, ab imperatore Antonio Pio quadruplatores extincti ſunt, hoc eſt, id genus hominum, quod ex accuſatione quartam bonorum partem conſequi ſolet. Belgæ huiuſmodi conditionis homines *Aenbringers* vocant, qui eò magis inuiſi ſunt ſummis pariter atq; infimis, quòd in dictis factiſque omnia exaſperēt, & quàm pro rei veritate, faciunt atrociora. Quocirca Marcus philoſophus imperator calūnijs quadruplatorum interceſſit, appoſita falſis delatoribus infamiæ nota. Saturio paraſitus apud Plautum infame ducit ac deteſtabile, quadruplaturam exercere, ac mauult paraſitando paſcere ventrem ex maiorum ſuorum inſtituto, quàm quadruplatorem agere, atque huiuſmodi ratione diteſcere, boniſque aliorum ac vitæ inhiare. Quanquam id genus officiorum non magnam laudem mereatur apud cordatos, qui non patiuntur ſibi à paraſitis atque aſſentatoribus auriculas aſſui, illorumq; blandimentis ac lenocinijs mentem eripi.

Coricai, vulgo Verſpiers *obſeruandi.*

Quadruplatores omnibus odioſi.

Auguſti dictū de proditione.

Marcus Imperator.

Capitolinus.

In Perſa.

Paraſitus delatore minus noxius.

Lauda-

Laudabilis diſsidiorum pacificatio.

CAP. XXXI.

Contentiones ſopiendæ. SIQVID ſimultatis ac contentionis inter vllos ciues aut conſodales inciderit, probi viri officium eſt, pro virili illud ſopire, offenſiones diluere, diſſidia, ne acerbius incrudeſcant, cōponere, dirimere lites & controuerſias, ſedare diſcordias, ſarcire concordiam, pacem inter contentioſos ac diſſidentes conciliare; fidumq; ac ſedulum pacificatorem ſe hominum altercationibus offerre. Quod humanitatis officium non minima beatitudinis parte collocat Seruator, qui huius rei ſtudioſos filiorũ Dei elogio condecorat. *Matth. 5. Pacificator laudẽ meretur.* Ab hac & pleriſq; alijs virtutibus, quibus charitas, hoc eſt, ſtudium de omnibus benè merendi ornatur, alieniſſimi ſunt turbulenti quidam ac tumultuoſi homines, quibus cùm odioſa ſit atque inimica omnis pacificatio, prauitate quadam animi omnia perturbant, rebuſq; exhulceratis non medentur, nec fomenta adhibent, ſed exaſperant, atque, vt habet Prouerbiũ, Oleum flammæ adijciunt, etiam cùm reges ac principes irritari contingit, *Regum animus irritabilis.* quorum animus natura generoſus ac ferox magis magiſq́e illorum maleſanis conſilijs accenditur atque inflammatur: quo hominum genere nihil deteſtabilius, aut execrandum magis, prçſertim vbi religionis negotium agitur, à quo decet omnes vitioſos affectus eſſe remotiſſimos: ne aſperitate ac ſæuitia alienari potius hominũ animos à ſtudio pietatis, quàm lenitate allici contingat. Siue enim veterem cõſuetudinem ſtabilire viſum ſit, ſiue ſublatis erroribus, qui ſenſim irrepſerũt, aliquid innouare, ac religionem ad fontem reuocare, omnia iudicio ac ſano conſilio perfici debent, adhibita ratione, ordine ac modo, nequid tumultus exoriatur, vt ſuperiore anno in Belgica euenit,

nit, vt

nit, in qua diſtractis in diuerſas partes ciuium animis, Religio vi & armis propagari cœpta eſt, quæ res funeſtum exitum eſt conſecuta. Delatore non minus damnoſus obtrectator virulentus, qui probris, conuicijs, calumnijs, contumelijs immerenti perniciem adfert, ac lingua venenata cõficit. quod genus hominum his verſibus & notat, & vitãdum Horatius præcipit, *Obtrectatio fugienda.* *Lib. Ser. 1. Saty. 4.*

——————— Abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamq; dicacis,
Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt. hunc tu Romane caueto.

His affinis eſt illa Solomonis admonitio, Remoue à te os prauum, & labia detrahentia procul ſint à te. Et paulò inferius, Cũ detractoribus ne commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum. Fuiſſe autem ſpectatiſſimis viris inuiſam ac deteſtatam obrrectandi rabiẽ, ſacri ſcriptores paſſim teſtantur, ipſique Auguſtino adeò odioſam, vt Carmen hoc in cœnaculo affixum, obtrectatoribus obijceret, eoque ijs os obturaret, *Prouer. 4. Prouer. 24. Eccl. 10. Exod. 22. Pſalm. 70. 100. Ezech. 22. Iacob 4. Rom. 1.*

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Aut quem delectat lubrica verba loqui,
Aut plenis cyathis lepidos fatigare ſodales:
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Carmen Auguſtino vſurpatũ.

Hac enim ratione illos ablegauit à ſuo conuictu ac contubernio, qui aut ingluuie, aut maledicẽdi ſtudio delectantur, vel etiam impudicos obſcœnoſq; ſermones menſæ inferunt.

Nemo inſoleſcat rebus proſperis, nec deijciatur aduerſis, ſed Dei ſe prouidentia fulciat.

CAP. XXXII.

QVVM in humana vita nihil ſit ſtabile ac diuturnum, nec omnia ſemper vno tenore, ac continuatã

nuata perpetuaque ſerie decurrant, ſed viciſſitudine quadam nunc felicia blandiantur, nunc mutatis rebus premant aduerſa: ea conſtantia atque æquabilitate ſtabilienda mens eſt, vt non inſoleſcas rebus proſperis, aut deijciaris, aut ſuccumbas aduerſis, ſed quocunque res humanæ ſe inclinant (vt leui aliquando momento aſſolet) ſemper Dei verbo, eiuſque prouidentia te fulcias, cuius arbitrio mundum hunc adminiſtrari conſtat, eiuſque voluntate omnia perfici, ad quam omnis euentus, ſucceſſuſque proſperi & aduerſi referri debet, non ad fortunæ inconſtantiam ac temeritatem. Abſit enim, vt qui Dei ſcientia ac cognitione ſunt imbuti, aliquid caſu aut fortuitu fieri ſibi perſuadeant, quum præcipua rerum omnium cauſa in Deum ſit referenda.

Stabilitas laudata.

Prouidētia Dei fulcienda mens.

Fortuna vocabulum Chriſtianis exploſum.

Vitanda curioſitas.

CAP. XXXIII.

ALIENARVM rerū ne ſis curioſus obſeruator: ſed in hoc ſedulò incumbas, vt tuam vitam corrigas potius, quàm inſecteris aut obſerues alienam. Paulus quoque Apoſtolus ſedulò cuique inculcat, ne foris intentos habeat oculos, ſed ſe oculatum ac vigilantem præbeat in rebus domeſticis, ac attentè obſeruet, nequid committatur, quod ab exteris meritò poſſit improbari. Alienas autem res ac negotia, quæ ad nos non attinent, non vult magnoperè cuiquam curæ eſſe, aut anxiè obſeruari, etiam ſiquid erroris commiſſum ſit. Sunt enim nonnulli à profeſſione Chriſtiana adeò alieni, vt ſana conſilia reſpuant, illoſque habeant exoſos, quorum opera ad ſaniorem mentem reuocentur: vt morbidi ac ficoſi quidam, qui ſalutarem fidumque medicum deſpiciunt, ac malunt in vitioſis humoribus ſordeſcere, quàm medelam ſalutiferam admittere.

Obſeruatio alienæ rei improbatur.

1. Corint. 5.

Simile à medicis.

Quocirca

Quocirca quum non ſemper conſultum ſit, omnibus ſe negotijs immiſcere, nec expediat, in alienis rebus eſſe curioſum, Belgæ ſententiam hanc prouerbialem Ardelionibus obijciunt, *Luttel onderwins maeckt veel vreedt*, hoc eſt, Plurimum ſibi parat tranquillitatis, qui alienis negotijs ſe non ingerit. Hinc Paulus Theſſalonicenſes ad proprias occupationes & negotia reuocat, nec patitur illos in alienis rebus eſſe curioſos. Mirum autem eſt, quàm ſint perſpicaces plerique in exterorum negotijs, quàm oculati in excutiendis obſeruandiſque rebus alienis, quum ſua negligant, totaque mente ac cogitatione foris peregrinentur, quum domi vt Lamiæ cæcutiant, ac ſint talpa magis cæci. *Alienis negotijs nõ te immiſceas.* *1. Theſſ. 4.* *Foris oculati, domi caci.*

Sic nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo:
Sed pracedenti ſpectatur mantica tergo. *Perſ. Sat. 4.*

Quales præter Perſium, etiam Horatius perſtringit, *Ser. 1. Sa 3.*

Quum tua prauideas oculis mala lippus inunctis:
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius?
———————— *Deniq; te ipſum.*
Concute, num tibi quid vitiorum inſeuerit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala. namq;
Neglectis vrenda Filix innaſcitur agris. *Cacus amor ſui deteſtandus.*

Quum autem hoc philautiæ vitium magnum humanæ menti cæcitatem adferat, eamque nebulam animo offundat, vt multi vitijs ſuis blandiantur: Chriſtus acerbè in illos inuehitur, qui in aliorum vitam ac mores potius, quàm in ſuos defigant oculos, & qui feſtucam, hoc eſt, minutiſſima, nulliuſque momenti errata curioſius obſeruant, eaque exagitant in immenſum, quum trabem, hoc eſt, craſſiſſima vitia ſua nec obſeruent, nec excutiant. *Matth. 7.* *Luca 6.* *Prouerbiũ explicatũ de feſtuca ac trabe in oculis.*

In veſtitu moderatio.

CAP. XXXIIII.

Vſus rerũ ſpectãdus. VT autem in apparatu conuiuij ſpectanda frugalitas, ac victus temperantia: ita quoque in veſtitu ac cultu corporis eadem habenda moderatio ſic, vt nihil ad luxum vanamq; oſtentationem, ſed omnia ad naturæ neceſſitatem, vſumque vitæ ac commoditatem referantur, quibus ſi accedat decor & ornatus, non prorſus exquiſitus, omnia tolerari poſſe video. *Fœmina cultus auida.* Quum autem ſexus fœmineus præ cæteris expoliri comique geſtiat, ac decentius ornari, quò venuſtatem formæq; gratiam ſibi conciliet, *1. Pet. 3.* Petrus Apoſtolus matronas commonefacit, ne immodicos ſumptus impendant mundo muliebri, ne criſpis intortiſque crinibus, non auro, gemmis, torquibus, armillis ſe oculis ſpectantium exponant, ſed habitu modeſto, cultuque ſobrio ac minus operoſo maritis ſuis gratificentur, illorumque fauorem ac beneuolentiam captent, vt veteres *Gene. 16.* illæ Heroinæ Rachel, Sara, Rebecca, Suſanna factitabant. *Profuſio vitanda.* Multos autem noui & noſtra & auorum memoria, qui ſumptuoſo veſtitu eoque ſubinde aſcitis exoticis quibuſdam formis renouato, denique operoſo ferculorum apparatu ad mendicitatem atq; inopiam redacti ſunt, irriſi etiam ab illis, qui ipſis ad profundendum patrimonium fuerunt adiumento, & qui dolis, technis, fraude, fallacijs, captionibus ab ijs aliquot corraſerant adeò, vt ne teruncium quidem impenderent ſubleuandis miſeris, quos ad xenodochium redegerant, & extremam rerum penuriam. Cæterùm quum tot paſſim conſpiciantur prodigi ac decoctores, rerumq; ſuarum profuſi, atque alieni appetentes: nulli mirum videri debet, tam multos paſſim obuios *Aes alienũ conflatum.* obæratos, atque ære alieno oppreſſos, non ſolùm plebeios

eios ac populares, ſed proceres etiam aulicos & eroes geſtamine Regio inſignitos, qui defraudatis nonnunquam pupillis ac viduis, à quibus pecunia corroſa eſt, nulli quidquam numerant, ne viui quidem, nedum mortui, quum plus, quàm animam habeant oppigneratam, ac creditoribus obnoxiam ita, vt mox ab extincto corpore omnia eorum bona præconis voci ſubijciantur, ac creditores de præferentia decertent.

Nemo ſortem ſibi deſignatam deſpiciat.

CAP. XXXV.

EA ſorte ac conditione, quæ tibi in hac vitę ſtatione atque orbis huius theatro obtigit, contentus eſto, eamque pro tempore moderatè feras ac toleranter, quamcunq; etiam perſonam ſuſtineas, quo loco, quóue ordine ac ſtatu conſiſtas. Exigit tale quiddam à Corinthijs Paulus inducto in concionem ingenui ac ſerui, circumciſi ac præputiati, nupti innuptique exemplo, ac ſingulos hortatur, vt æquo animo ſortem ſuam perferant, nec ob vllam vitæ conditionem à ſuſcepta ſemel religione Chriſtiana deficiant. Eſſe enim, vt apud Timotheum profert, vberem magnumque quæſtum pietatem cum animo ſua ſorte contento. Sunt autem nonnulli, quos quum conditionis ſuæ pœniteat, ac ſtatus, in quo verſantur, ſit pertæſum, illum immutari exoptant, atque in alium magis idoneum transferri. quod ſi ex animi ſententia, aut pro voluntate obtineri nequeat, aut non prorſus expediat, non eſt, quòd ſe macerent, aut mœrore contabeſcant, ſed omnia placidè ferant ac ſedatè, nec Deo rerum omnium moderatori repugnent, aut obloquantur, qui ſingulari ſua prouidentia mundum hunc adminiſtrat, rebuſque humanis optimè conſulit,

Sua cuique ſors placeat.

1. Cor. 7.

Quiſque in ſua vocatione conſiſtat.

1 Tim. 6.

Inconſtantia improbatur.

Deus rerum moderator.

non ſolùm, vt Cicero ait, vniuerſis, ſed ſingulis. Quod etiam Dauid multis locis inculcat, tum præcipuè, quum inquit, qui fingit ſigillatim corda hominum, qui intelligit omnia opera eorum. Quocirca hoc perſuaſum eſſe cuique decet, Deũ rerum omnium eſſe moderatorem, ac nihil non geri eius arbitrio, nutu, voluntate, denique obſeruare, qualis quiſque ſit, quid agat, quid committat, qua mente, quo affectu ac pietate religionem colat, quid cuique expediat, aut ſit ſalutare. Quamobrem ſi quando non omnia votis noſtris reſpondent, atq; optata nos fruſtrantur, quiſque tamen in ſua vocatione, quam illi aſſignauit Deus, ſubſiſtat, donec fauor & benignitas ſummi patris aliud de rebus illius ſtatuat. Ipſe enim pro voluntatis ſuæ imperio vices rerum humanarum mutat, atque ordinem inuertit. Ipſe erigit à ſordibus abiectos, illoſque illuſtrat dignitate, honore, potentia. Ipſe arrogantes atque elatos, faſtuque turgidos deijcit, atque è felicitatis ſolio deturbat. Ipſe mulieres ſteriles & effœtas, fœcundas efficit, ac numeroſa prole geſtientes. Quocirca quiſque placidè ſuam ſortem perferat melioris aſſequendæ ſpe ac fiducia, totuſque Deo innitatur, atque in illo conquieſcat, cui potiſſimùm rerum humanarum cura incũbit. Quò ſpectat illud Eſaiæ cap. 30. Hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael, In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra, *ſuycht ende verwacht*. Quibus verbis turbulentis & inquietis animis diffidentiam excutit, atque hortatur, vt ipſi tacitè ac ſecurè expectent Dei opem ac ſubſidium. futurum enim, vt ſuo tempore conſequantur, quod optant, modò ne diffidant illius promiſſis: tametſi autem aliquando ſerius auxiliatur, non fruſtratur tamen anhelantes auida ſua ſpe atque expectatione. Quum autem Horatius rerum humanarũ obſeruator curioſus perſpexiſſet

Pſalm. 32.
4. *Reg.* 20.
Eſa. 38.
Ioſue 10.
Pſalm. 110.
Pſalm. 112.
Eſaiæ locus explicatus.
Ser. 1. *Sat.* 1.

›exiſſet homines in ratione atque inſtituto vitæ, uod ſemel eſſent amplexi, tam incõſtanter ac turpidè iactari, nec vllam illorum animis ineſſe firmiatem & conſtantiam, ſic vt ſuam quiſque condiionem faſtidiat, ac cum alterius immutare exopet mercator, miles, agricola, iuriſperitus. Sic enim ciſcitatur,

Qui fit Mecœnas, vt nemo quam ſibi ſortem *Lib.1.Ser.*
Seu ratio dederit, ſeu ſors obiecerit, illa *Sat.1.*
Contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes?

Quod poſtmodũ eleganti prouerbio proſequitur, ab armentis deſumpta Metaphora.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. *Lib.1.epiſt.*

Quo notat, humanis ingenijs inſitum, vt propriæ *14.* ſortis pœniteat, eamque cum aliena mutatam cupiat, & inexperta expertis ducat potiora. Huius in- *Noſtri, noſmet pœnitet.* conſtantiæ ac leuitatis, qua mẽs fluctuat, rationem alio loco ſubijcit ex oblectatione ruris atque vrbis exorta altercatione. Alter enim res vrbanas populique frequentiam ac ſtrepitum laudabat, alter ſolitudinem ac res ruſticas, ſiluarumque amœnitates duxit potiores. Sic enim inter ſe diſceptant,

Rure ego viuentem, tu dicis in vrbe beatum. *Epiſt.14.*
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus vterque locum immeritum cauſatur iniquè.
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit vnquam.

Rectè mea quidem ſententia Poeta animum incu- *Animus inconſtantiæ cauſa.* ſat, atque omnem culpam in illius temeritatem atque inconſtantiam reijcit. Quum enim animus humanus affectibus, non ratione ducatur, ac non ſecus, quàm nauis æſtu mariniſque fluctibus, agi- *Simile ab æſtu maris.* tetur: omni momento in diuerſa rapitur, ac varias cogitationes concipit. quò fit, vt quodcunque vitę aut inſtituti genus amplectatur, non ſtabiliter in eo perſeueret, ſed identidem aliud quoddam meditetur, quod futurum ſperat commodius: cùm

ſtatus aut conditionis mutatio affectus non excutiat, aut curas eximat, vt quas non rebus, ſed animis hominum ineſſe conſtet. Siue enim ſolitudo in frequentiam cuique permutetur, aut paupertas in opulentiam rerumque omnium copiam transferatur, nihilo futurus eſt animus pacatior, quòd turbidos animi motus rationi minus obſequentes non exuat. Simile autem quiddam huiuſmodi hominibus euenit (vt Plutarchus & Baſilius teſtantur) quod ijs, qui Oceano vaſtoque mari ſe committunt, vt in optatum aliquem portum prouehantur. illi enim non minus in magna, quàm parua naui nauſea, vertigine, vomitu affliguntur ſic, vt nec in hac aut illa ijs remittatur vomendi deſiderium. quoniam bilis & pituitæ in corpore redundantia vtrobique illos comitatur. Sic in mutando vitæ inſtituto nemo cōſequitur animi tranquillitatem, niſi prorſus affectus excutiat, ac ratione omnes ſuas actiones moderetur. Vnde appoſitè Seneca, Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere, ac ſecum morari. quocirca gaudeo, inquit, Lucili, te non diſcurrere aut diuagari. Nuſquam enim eſt, qui vbique eſt. Quamobrem nihil prodeſt mare traijcere, aut vrbes mutare, aut modò hāc, modò illam ſtationem conſectari. Si vis iſta, quibus vrgeris, effugere, non alibi ſis oportet, ſed alius, hoc eſt, mentem compone, affectus vitioſos excute, ratione, conſilio, prudentia omnes actiones tuas ac ſtudia moderare. Etenim, vt is ait,

De tranq. animi. *De vita ſolitaria.* *Simile ab ijs, qui in mari iactātur.* *Ad Luciliū epiſt. 1.*

Cælum non animū mutant, qui trans mare currunt,

Cæterùm aduerſus tumultuoſos affectus, qui animum in varias diuerſaſq; partes diſtrahunt, ita vt leui momēto à ſuſcepto conſilio reſiliat, verbo Dei eiuſque ſalutari doctrina depugnandum eſt. Hæc enim vagum ac palabundum animum, ſtabilem præſtat,

Quid mētē ſtabiliat.

ræſtat, ſuaque ſorte ac conditione contentum. ſic t eam nec deſerat, nec faſtidiat, aut alteri ambitioè nimiſque auidè inhiet.

Improborum conſuetudinem ac familiaritatem vitandam.

C A P. XXXVI.

IMPROBORVM commercia vt peſtem fugito. Sumuntur enim, vt teſtatur Seneca, à conuerſatione mores, atque vt contagiones in corpus: ita vitia verbis in animum tranſiiunt, mentemq; contaminant. Sic vt non tam valetudini proſit aura ſalubrior, quàm animis parum firmis in bonorum contubernio verſari. Documēto ſunt immanes ac feroces belluæ, quę conſuetudine conuictuque hominum manſueſcunt ac cicurantur. Quemadmodum & probitatis conditio, vt ſuos ſectatores virtute imbuat, integriſq; moribus exornet: ita quoque improbitati ac nequitiæ inſitum, vt ſuos cultores deprauet, ac vitijs contaminet. Quocirca Paulus Apoſtolus, ne quem abduci contingat à veritate, à ſalutis ſpe, à fiducia conſequendę immortalitatis, à morum integritate; ſtudioſè cōmonefacit pietatis cultores, ne eam opinionem mente concipiant, vt ſibi perſuadeant, nihil ſupereſſe hominis à morte, ſed quidquid eſt huius opificii, prorſus vt muta pecora interire. quod impij atque à Deo alieni ſedulò imprudentibus inculcant, ac pernicioſo dogmate mentes dubias à ſalutari doctrina, à re certa ac minimè ambigua auertunt. Quamobrem modis omnibus adducit Chriſtianos Apoſtolus ab illorū conuerſatione, qui parum cautos ſubdola doctrina in errorem pertrahunt. ſic enim, Menandri Senariolo exhortationem ſuam illuſtrat,

Li.3. de ira.

Probus quiſque aſſueſcat.

1. Cor. 15.

Improbi vitandi.

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Linguam cohibendam non ſolùm ab obſcœnis verbis,ſed etiam otioſis.

CAP. XXXVII.

Matth 12. QVVM autē à Chriſto culpari audiamus verba otioſa,hoc eſt, infrugifera, ſuperuacanea,friuola,futilia, quæq́; nulla vel audientis vel proferētis vtilitate proferuntur ſic, vt de ijs in die iudicij rationem ſit exacturus: quantò magis, vt Paulus ait, deteſtādi ſermones ſpurci & ſcurriles, obſcœna feſtiuitas, facetiæ illiberales, vrbanitas indecora, quæ morū integritati impensè officiunt? deniq; ſcommata dētata, ſermones mordaces, quæ cùm acrem ſui memoriam in animo relinquant, atque aculeum, vt auolantes veſpæ, infigant, odiorum ac ſimultatum fomenta miniſtrant ſic, vt res aliquādo reciproca dicacitate ac figuratis obliquiſq́ue dicterijs vltro citroq́ue retortis, in cruentum certamen deueniat, atque inſtigantibus nonnullis acerba odia iraſq́ue implacabiles ſuſcitet, quæ intimo animo conceptæ,ac cordi tenacius impreſſæ,tum maximè recrudeſcunt, cùm obliteratæ atque expunctæ videbantur, penituſq́ue obliuioni datæ. Diſplicent autem ſupra quàm dici queat, Paulo Apoſtolo diſſidia, ac maledicendi rixandiq́ue rabies, ac ſtudioſè commonefacit Galatas, vt ab ijs vitioſis ac deterrimis affectibus abſtineant, nec patiantur inter ſe incrudeſcere morſus dentatos ac virulentos, nec vlla cōuicia aut obtrectandi libidinē, ne quum alter alterum arrodit, mordet, exagitat, alius alium belluarum ritu conſumat ác dilaniet. Idipſum agit apud Corinthios, quos amanter per nomen Dei Ieſu Chriſti ad mutuam concordiam inuitat, illoſq́ue hortatur, ne odijs ac ſimultatibus inter ſe diſſideant, ſed conſentiant, ſintq́ue eadem mente, eadem ſententia. Sumit hoc exemplum Paulus à Chriſto,

Otioſa verba quæ.

Ephe. 5.

Sermo ſcurrilis vitandus.

Dentati morſus vitandi.

Cap 5.

1. *Cor.* 1.

Simultates vitandæ.

Ioan. 15.

Chriſto, qui tot modis ſuis dilectionem ac charitatem mutuam inculcat, quæ vna eſt vinculum perfectionis, ac vna multarum legum. Nihil enim opus legum calcaribus, vbi exprompta eſt beneuolentia, atque erga proximum ardens ſuique prodiga Charitas. Quoniam autem ex incōtinentia linguæ, funeſtæ Tragœdiæ ac graues tumultus exoriri ſolent, præſertim cùm alter in alterum virus acerbitatis ſuæ euomit: ſalubriter Coloſſenſes Paulus inſtituit, & quæ moderatio verbis adhibenda, obiter indicat, Sermo veſter cum omni gratia ſit ſale conditus, vt obſeruetis, qua ratione oporteat cuique reſpondere, hoc eſt, ſermo non ſit in lætitiam aut iocum effuſior, ne in laſciuiam recidat: nec ſeuerus, aſper, amarulentus, ne audientes offendat, abigat, alienet. Omnis oratio humanitatis gratiam reſipiat, ac prudentiæ ſale ſit condita. Vnde etiam in Epiſcopis & miniſtris Eccleſiæ exigit manſuetudinem ac lenitatem, nec ſuſtinet ſubditos obiurgari inclementius aſperiuſq; tractari. Quū verò Paulus in omni actione vitæ, in dictis ac factis omnia ad decori atque honeſtatis amuſſim exigat ac metiatur, ipſaque linguæ intemperantia, præter obtrectationem & maledicentiam, præter calumniam & conuicia, turpitudine ac verborum obſcœnitate ſinceras puraſque mentes inficiat: hæc quoque vitia animis hominū eximere ſtudet. Sic cùm linguam Epheſiorum format, ac mentem componit, Nullus, inquit, ſermo ſpurcus, aut vitioſa oratio ex ore veſtro prodeat, ſed quæ bona eſt ad ædificationem, quoties opus eſt, vt det gratiam audientibus, hoc eſt, vt inſtruat auditores, vt aliquē fructum atque vtilitatem illis conferat. Et quoniam vitia omnia inter ſe connexa ſunt, atque aliud ex alio pullulat, quò nihil mali in animis hominum reſideat, Omnis, inquit, amarulentia, tumor, ira,

Coloſſ. 3. *Ephe. 4.* *Cap. 4.* *Lingua cohibenda.* *Pauli ſalubris exhortatio.* *1. Tim. 3.* *Tit. 1.* *Paulus in omnibus decorū obſeruari vult.* *Cap. 4.* *Vitium vnū ex alio pullulat.*

Beneuolentia alteri' erga alterũ fouenda. odium, vociferatio, maledicentia tollatur à vobis cum omni nequitia. Eſtote autem alij in alios benigni, miſericordes, condonantes vobis inuicem, quemadmodum & Deus per Chriſtum condonauit vobis. Idipſum etiam prolixè Romanis inculcat, ac præcipit, vt dilectio non ſit ſimulata, vt odio proſequantur quod malum eſt, vt per fraternam charitatem ad mutuo diligendos ſint propenſi, vt honore alius alium præcedat, hoc eſt, in exhibendo ſubſidio ac præſtando officio alius alium vincat, vt tempori ſe accommodent, vt ſpe ſe fulciant, vt benè loquantur de ijs, qui illos inſectãtur, nec malè precentur, aut diris deuoueant, vt eodem animo alij in alios ſint affecti, ne arroganter de ſe ſentiãt, ne malum pro malo rependant, vt cedant iræ, nec ſeipſos vlciſcantur, vt inimicum officijs pietatis obrutum ad redamandum inflamment. Hoc eſt enim vrere aduerſarium, ac carbones ignis coaceruare in caput illius. Quocirca inter alia, quæ fusè commemorat, par eſſe cenſet, vt quiſque omnia humanitatis officia in omnes exerceat, aut ſingulis ſit expoſitus. Multum enim, Cicerone teſte, conciliat hominem homini affabilitas comitaſque ſermonis, atque obſequium, beneque merendi ſtudium amicitiam parit ſtabilem ac diuturnam. quę cùm inter Ethnicos mutuum amorem foueat, illam decet eſſe ardentiorem in ijs, qui Chriſti fœdere ſunt deuincti.

Cap.12. *2. Corint.8.* *Hebr.12.* *Deut.32.* *Prouer. 25.* *Lib.1.offic.* *Humanitatis officijs inter ſe certent Chriſtiani.*

In verbis omniq; actione vitæ deteſtabilis fucus ac ſimulatio.

CAP. XXXVIII.

VERA ſemper proferre cõdiſcas. Nam mentiri, perplexè, intricatè, confusè, titubanter, ſimulatè loqui, ac tergiuerſari, ſeruile eſt, ac libero homine in-

ne indignum. Quocirca grauiter & ſeuerè Paulus Apoſtolus, Quæcunque ſunt vera, quæcunque decora & honeſta, quæcunque iuſta, atque æquitati conſentanea, quæcunque pura ac ſincera, quæcunque ad alendam concordiam accommoda, quæcunque boni nominis, hoc eſt, laudabilem famam atque exiſtimationem conciliant, ſiqua virtus, & ſiqua laus, hoc eſt, ſiquid virtuti coniunctum ſit & laudabile: hæc cogitate, hoc eſt, hæc vobis cordi ſint, hæc animis veſtris continenter imprimite, hæc oculis aſſiduè obuerſentur, hæc menti penitus infixa ſint, eaque pro virili contendite aſſequi, ac vita moribuſque exprimere: & Deus pacis erit vobiſcum. Siquidem, vt idem ait, iis qui diligunt Deum, omnia adiumento ſunt in bonum, hoc eſt, felicem ſucceſſum conſequuntur.

Philip 4. *Pauli ſalubris exhortatio.* *Rom. 8.*

Philautia, hoc eſt, cæcus amor ſui excutiendus, atq; inanis doctrinæ perſuaſio.

CAP. XXXIX.

QVVM non minimũ officiat ſtudijs, eorumque progreſſum retardet, ac remoretur maturius concepta eruditionis opinio: cũprimis cauendum, ne vel in literarum ſtudijs, vel quauis arte, quam tibi perdiſcendã proponis, eam perſuaſionem mente concipias, vt illa te aſſequutum exiſtimes, à quibus es remotior, aut quæ tibi ſunt incognita parumque explorata. Sunt enim plerique philauti, hoc eſt, ſui amantes, qui ſibi de eruditione plaudũt ac blandiuntur, nec quidquam ad conſummatam, vel doctrinam, vel pietatem deeſſe opinantur, atq; ad metam deueniſſe ſe, quum vix medium iter ſint emenſi: quò efficitur, vt multa præclara ingenia rebus maximis deſtinata, nunquam ad ſumma deueniant. Quod cùm Fabio eſſet perſpectum, hoc

Doctrinæ perſuaſio abolenda ex animo. *Lib. 1. c. 2.*

hoc in primis à profeſſoribus exigit, vt aut ſint eruditi, aut ſe non eſſe agnoſcant. Nihil enim peius ijs, qui paulum aliquid vltro primas literas progreſſi, falſam ſcientiæ perſuaſionem induunt. nam & præcipiendi peritis cedere non dignantur, & iure quodam poteſtatis, quo hoc genus hominum intumeſcit, magno ſupercilio imperitiam ſuam alijs inculcant. Non deſunt etiam noſtra ætate, qui impudenter ad concionandi munus aſſiliunt, cùm in hac palæſtra ſint inexercitati, nec vllis inſtructi dicendi viribus, nulla rerũ cognitione imbuti, nulla ſacrarum literarum peritia inſtructi. Quò fit, vt auditores auidi nullo ſalutaris doctrinæ pabulo reficiantur, nulla concipiant verbi Dei ſolatia, nulla animæ fomenta, ſed tantùm meras nugas, atque aniles ſuperſtitiones imbibant. In eundem ordinem illos refero, qui nec ratione, nec experientia fulti, medendi prouinciam ſibi adſciſcunt, artemque medicam magno mortalium detrimento, aut valetudinis iactura exercent. Quum itaque tantum damni adferat fœcundis ingenijs inanis, ſuique oſtentatrix doctrinæ perſuaſio: modis omnibus enitendum ſtudioſis, qui ſolidam eruditionẽ affectant, vt adſcitis omnibus præſidijs ac ſtudiorum adminiculis ad ſumma properent, ſublata reiectaque omni adeptæ eruditionis opinione, adeò, vt ſi aliquò vſq; ſint progreſſi, non temerè ab incepto deſiſtant, aut pedem referãt, ſed tantiſper progrediãtur, dum metam attigerint, decurſoq; ſpatio palmam conſequantur, aut illi proximè aſſiſtant. Nunquam ſtulta illa & præclaris ingenijs damnoſa opinio mente concipiatur, aut animo inſideat, vt cùm adhuc in limine primoque aditu ac veſtibulo eruditionis conſiſtas, iam perfunctum te diſcendi munere exiſtimes, eaque aſſequutum, à quibus longo interuallo abſis, ac ſis remotior.

Ludimagiſtri imperiti.

Concionatores indocti.

Medici imperiti.

Opinio ſcientiæ tollenda.

motior. Ea enim perſuaſio hoc in animis hominum efficit, vt longè citra metam deſideant, omniaq́ue remiſſius agant, nec progrediantur, vt ſocordes & ignaui, qui cùm in ſtadio decurrant, non alacriter nec expeditè ad palmam properant, ſed ſubinde reſpectantes reſtitant, palmamq́ue ſibi intercipi patiuntur, magno ſuo pudore & dedecore. Hac autem in re Pauli exemplum imitari par eſt, *Philip.3.* qui in functione Apoſtolica atque illuſtranda propagandaq́ue doctrina Euangelica, in qua omnium *Pauli locus elucidatus.* ſalus conſiſtit, ingenuè quidem fatetur, ſe non aſſequutum, quod conſectaretur, verùm nulla interpoſita mora aut cunctatione, viriliter curſum ſuum perficere, totoq́ue conatu ac molimine iuxta prȩfixum ſcopum eniti ad ſupernæ vocationis palmam, hoc eſt, beatitudinem, quæ à Deo per Chriſtum cuique propoſita eſt, ſic vt ipſe quæcunque à tergo tranſmiſſa eſſent, quibuſque perfunctus videbatur, obliuiſceretur, nec ea prorſus in mentem reuocaret: ad ea verò alacriter totoq́ue impetu ſe conferret, quæ à fronte eſſent, atque adhuc peragenda reſtarent, poſthabitis reiectiſq́ue omnibus, quæ illum ad metam præfixam ac præmium immortalitatis properantem poſſent remorari. Huc ſpectat illa Chriſti concio, Nemo qui admota ma- *Luc.9.* nu aratro poſt tergum reſpexerit, aptus eſt regno Dei. Qua ſimilitudine deſumpta ab arandi colen- *Chriſti ſalutaris concio.* diq́ue agri induſtria, commonefacit ſuos, vt in ſalutis negotio, quod quiſque eſt aggreſſus, ac ſemel arripuit, perſiſtat ac progrediatur, donec ſummum ſit aſſequutus, nec deflectat animum ad res fluxas ac caducas, aut ab incepto reſiliat, aut aliorſum rapiatur: ſed rem benè inchoatam perficiat. Damnoſa eſt enim in re ſalutari ac ſeria tarditas ac procraſtinatio, atque in ſuſcepto negotio lentus progreſſus ac minus alacris. Paulus quoque huiuſmodi *1.Cor.9.*

itineri

itineri accincto non vult curſum impediri, vllamque moram inijci, exemplo deſumpto ab ijs, qui in populari certamine præmium affectant, quorum nemo non paratus ſit omnia, aut facere aut pati, vitamque ſuam pro laude paciſci, quò palmam plauſumque populi aſſequatur. Horatius poeta quidem ethnicus, ſed optimus morum inſtitutor, cùm obſeruaret, quantum damni adferret rebus gerendis tarditas & cunctatio, à re infami deſumit exemplum exhortandi ad res ſalutares ac fructuoſas,

Simile à pugilibus. *Virg. 5. Aeneid.* *Li. 1. ep. 2.*

Exemplum à graſſatore nocturno

Vt iugulent homines ſurgunt de nocte latrones:
Vt teipſum ſerues, non expergiſceris? atqui
Si nolis ſanus, cures hydropicus & ni
Quæ lædunt oculos, feſtinas demere; ſi quod
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet.

Lib. 2. de Rem. amoris.

Eandem ſententiam ſic exprimit Ouidius,

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora leuabis aqua.
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Matth. 24. Lucæ 12.

Chriſtus quoque in eodem argumento verſatur, noſtramque induſtriam acuit, atque ad excubias quemque exſtimulat, à villicis iniquis parumque fidis, à furibus ac nocturnis perfoſſoribus producta parabola. Vt enim illi ſuis commodis intenti ſunt, ac quamuis occaſionem captant, vt aliquid corradant, aliquid ſuffurentur, atque aliena depeculentur: ita par eſt, vt quiſque ſaluti ſuæ inuigilet, nec elabi ſinat commoditatem, qua tempeſtiuè ac ſuo tempore ea ſibi comparare poſſit, quæ ſalutaria ſunt, mentiq; atque animo profutura.

Familia-

Familiarium atq; amicorum habendum delectum ac diſcrimen.

CAP. XL.

NE quoſuis temerè nulloque delectu & diſcrimine in familiaritatem adſciſcas, ſed eos, quorum explorata eſt virtus, ac ſpectata vitæ probitas. Id monet Prouerbium, Ne cuiuis dexteram inieceris, Quod Belgicè ſic effertur, *Siet wie ghy byder hādt neempt*, deſumpta ſimilitudine à choreis ac tripudijs. Nam iuuenes in adeunda ſaltatione non cuiu's manus porrigunt, ſed iudicium delectumq; puellis adhibent, vel plebeijs, vel patricijs: quod etiam in vitæ ſocietate, ac contrahenda amicitia cumprimis obſeruandum. Sunt enim nonnulli rerum humanarum imperiti, qui quum ſinceros amicos à fucatis diſcernere nequeant, quoſuis indiſcriminatim in familiaritatem intimam admittunt etiam inexploratos, quos poſtmodum ſycophantas experiuntur atque impoſtores. Quocirca vt omnibus fidum te præbere decet: ita nemini temerè fidere, niſi, vt habet prouerbium, cum quo modium ſalis conſumpſeris, hoc eſt, diutinam vitæ conſuetudinem habueris, ac cuius mores atque ingenium cognitum exploratumque habeas. Quò ſpectat illud Sapientis Hebræi: Extraneo ne arcana commiſeris. neſcis enim quid pariat, hoc eſt, quid monſtri alat. Non cuiuis homini mentem tuam patefacias, ne fortè falſam gratiam tibi referat, & poſtmodum conuicietur tibi. Hominum autem leuitas & inconſtantia efficit, quò minus amicitiæ fœdera ſint perpetua, multique hac de cauſa ſibi perſuadent, ita habendos amicos, quaſi aliquando inimici ſint futuri. In hoſtes quoque atq; inimicos ita exercendas ſimultates atque odia, quaſi diluta ſuo tempore inimicitia, in gratiam fidamque vitæ

Amicorum habendus delectus.

Prouerbiū à tripudijs ſumptum.

Non cuiuis fidendum.

Eccle. 8.

Amicitia immortalis eſſe debet.

Lib.12. vitæ ſocietatem ſint recipiendi. Sic Martialis deter-ret à nimis arcta vitæ conſuetudine,

Si vitare velis acerba quadam,
Et triſtes animi cauere morſus:
Nulli te facias nimis ſodalem.
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Inimicitia mortalis eſto. Non eſt tamen à ratione aut humana natura aliena illorum ſententia, qui cenſent ſimultates atque inimicitias debere eſſe mortales, Amicitias verò, quæ fida quadam animorum ſocietate, ac voluntatum conſenſu conſtant, ſempiternas. Neq; enim effugiunt leuitatis atque inconſtantiæ crimen, qui temerè amicitiæ vincula diſſolui patiuntur. *Offic.2.* Quocirca Cicero cenſet amicitias, quæ minus probentur, ſenſim diſſuendas, non violentius præcidēdas.

Ne temerè te cuiquam ſponſorem offeras.

CAP. XLI.

Sponſioni damnum ſubeſt. NE præcipitanter & inconſideratè te cuiuis ſponſorem offeras. Sponſioni enim noxa præſto eſt. Nam qui pro altero fidem ſuam interponit, periculo ſe obijcit. Altero enim fallente, plectitur vades, illique exoluendum, quod pro alio ſpopondit. *Prouer.6. Solomon à ſpondendo deterret.* Quocirca Solomon rerum humanarum peritiſſimus filium à ſponſionis facilitate deterret, Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es atque irretitus verbis labiorum tuorum, captuſque ſermonibus proprijs. quamobrem properè, inquit, efficito, vt liberari poſſis à manu proximi tui. Cæterùm non nimis rigidè iſtud obſeruari debet, cùm nonnunquam in vrgentiſſimis cauſis, amicis obſequi conueniat, atque ijs, quibus naturæ legibus ſumus obſtricti, gratificari, noſtramque fidem ac facultates, nonnunquam etiam vitam pro ijs exponere;

nere, ſic tamen, vt nemo illorum cauſa à recto dimoueatur, nec quid agat, quod honeſtati ſit cōtrarium, quēadmodum monet prouerbium, Obtemperandum amico, ſed vſque ad aras, hoc eſt, non tranſilias religionis iura, neque enim fas eſt, amico obſequi cōſcientiæ damno, aut pietatis iactura. *Amico quatenus obſequendum.*

Aſſentatores, quos vulgò Pluymſtryckers *vocant, vitandi.*

CAP. XLII.

QVVM Aſſentatio atque adulandi peritia, ſeu potius vafricies artificioſo quodam verborum aucupio homini minimè fucato facilè imponat: commonitum te volo, ne aſſentatori aures patefacias, ac eius blandimentis ac lenocinijs deleniri te patiaris. His autem notis ſincerum fidumque amicum ab improbo & fucato adulatore diſcernas. Ille enim liberè ac grauiter, cui conſultum cupit, officij ſui commonefacit, quod Solomon in præcipua amicitiæ parte collocat: Iſte ſcitè aſſentatur ac palpat, ſingula approbat, applaudit audientis erroribus, omniaque donat illius auribus, ac non modò ad voluntatem, ſed etiam ad nutum ac vultum verborum blandimenta accommodat. Exprimit huius conditionis homines graphicè apud Terentium Gnatho, qui paraſiticam diſciplinam inſtituit, & qua ratione animos hominum ſibi deuincire ſoleat, his verſibus indicat, *Aſſentator pernicioſus.* *Adulatoris & amici diſcrimen.* *Prouer.27.* *Eſaia 30.* *Eunuch. act.2.ſce.2.*

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, *Paraſiti conditio.*
Nec ſunt. hos conſector, hiſce ego non paro me vt rideant:
Sed his vltro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul,
Quidquid dicunt, laudo, id rurſum ſi negant, laudo id quoque.

Negat, nego, ait, aio: poſtremo imperaui egomet mihi
Omnia aſſentari. Is quæſtus nunc eſt multò vberrimus.

Quocirca quum omnibus deteſtabilis ſit & odioſa adulatrix blandiloquentia, quālibet tenuis ſit atque anguſta res familiaris: nunquam te vlli paraſitum Gnathonemque præbeas, aut aſſentari in animum induxeris. Parit quidem aurium titillatio fauorem nonnullorum, ſed euanidum minimeque diuturnum. Emergit aliquādo ex eo quæſtus vberrimus, verùm infamis ac probro coniunctus, poſtremò vbi fucus detegitur, artifici damnoſus; ſic vt nemo ingenuus ac liberaliter educatus, hanc notam ſibi imprimi ſuſtineat. Aſſentatoribus affines ſunt veteratores quidam & verſipelles, qui vulpina calliditate atque aſtutia ad circumueniendos fallendoſque ſimplices miris ſtrophis ac technis ſunt inſtructi, atque hominum facultatibus & vxoribus, vt Hyænæ & Crocodili, inhiant, in ſpeciem primaque fronte blandi, ſed qui poſtmodum damna inferant, ac perniciem moliantur. Sunt huius farinæ ſubdoli quidem & verſuti, ſed mirè officioſi, atque ad omne obſequium parati, qui eo conſilio, eaque mente atq; intentione ſe in familiaritatem ac vitę conſuetudinē inſinuāt, quò aliquid ab ijs corradāt ac compilent. Nam captata vndique opportunitate ad conuaſandum aliquid oculos manuſque habent intentas. Quocirca non temerè cuiuis fidendum, niſi edito fidei ac probitatis ſpecimine.

Paraſitorū infida amicitia.

Ars veteratoria.

Inſidioſa ſimultas.

Præcepta quædam ad benè beateq; viuendum accommoda.

CAP. XLIII.

Quibus rebus conſtet

QVVM multa tradantur à viris diſertis ad benè beateque viuendum documenta, tum Martialis quædam

quædam complexus eſt ab honeſtate non prorſus aliena, quibus velut indice demonſtrat, qua ratione vita commoda tranſigi poſſit, ac non modò corporis valetudini, ſed mentis etiam tranquillitati conſuli. Sic autem iſta proſequitur: *Vita felicitas.*

Lib. 10.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſsime Martialis, hæc ſunt.
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus aer, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis thorus, attamen pudicus,
Quod ſis eſſe velis, nihilq; malis.
Summum nec metuas diem, nec optes.

Has vitæ commoditates ſi nō prorſus ex voto, aut animi ſententia obtinere queas: non eſt, quòd te maceres, aut mœrore conficias, ſed ad Dei voluntatem, eiuſq; prouidentiam, quę vna eſt rerum humanarum moderatrix, omnia referas, quod etiam factitauit Dauid in ijs, quæ illi obuenire ſolebant, proſpera vel aduerſa, quorum nihil non eius poteſtati ſubijcit, nullo caſus aut fortunæ reſpectu: ſic quum omnem vitæ ſuæ decurſum illi attribuit, In manibus tuis, inquit, tempora mea, hoc eſt, pro tuo arbitratu noſtra omnia decurrunt.

Dei prouidentia rerum moderatrix.

Pſalm. 30.

Pÿ fortunam non agnoſcunt.

De exercitatione, qua defatigatæ vires inſtaurantur, cùm animi tum corporis.

CAP. XLIIII.

QVVM natura humana ſubſiſtere nequeat, niſi ſubinde reſpiret, atque aliquo laxamento reficiatur; nonnulla illi laboris relaxatio indulgenda,

ne corporis animique vigor flacceſcat, atque im-modica occupatione obruatur. Vt autem ſomnus placidus ac tempeſtiuus membra laſſa, ac labore confecta inſtaurat ac reficit: ita quoque animum ſtudijs, aut lucubrandi moleſtia defeſſum, ſpiritusque exhauſtos ac ſopitos erigit, reparatque intenſionis remiſſio. Veteres, ſiquando à Reip. functionibus ac forenſi negotio conquieſcere licuit, rerum ruſticarum amœnitate ſe oblectabant, atq; ex agriculturæ ſtudio non minus commodi, quàm voluptatis conceperunt. Nam præter ſiluas & viridaria aſpectu gratiſſima, præter loca conſita ſeptaque arboribus, atque ornata virgultis, præter villarum ac prædiorum commoditates, amœnoſque ſeceſſus, ex feraci ac benè culto fundo, ex ſpecioſa meſſe, prouentuque annuo quæſtum cõſecuti ſunt, cùm iuſtiſſimum tum vberrimum. Vtilitas enim honeſtati ac iuſtitiæ coniuncta, à nullo improbari poteſt. Omnium ſiquidem rerum, vt teſtatur Cicero, ex quibus aliquid exquiritur, nihil agricultura melius, nihil vberius, nihil homine libero dignius. Sic vt Heſiodus ſenſerit, nihil eſſe tam regale & magnificum, quàm agrum colere, ac ruſticandi ſtudio occupari.

Reſpiratio à labore vtilis.

Agricultura oblectatio.

Li.1.Offic.

Quocirca veteres Romani vrbẽ peroſi, tanquam ex vinculis extracti, rus ſe contulerunt. Hic enim multa ſe offerunt, quibus ſtatis vicibus poſſis oblectari. Nunc enim putandis truncandiſque arboribus ſe tempus offert & occaſio: nunc inſerendis in alienam arborem ſurculis ver blandũ inuitat: nũc tempeſtiuum vineas colere, atque adulta vitis propagine altas maritare populos;

Agricola nunquam otioſus.

Horat. in Od.

Nunc captare feras laqueo; nunc fallere viſco,
Atq; etiam magnos canibus circundare ſaltus,
Inſidias auibus moliri, incendere vepres.

Virg.1. Georg.

Eſt autem aucupium & venatio iuuenili atque adulto

dulto corpori ſalubris, aptaque exercitatio, nec proſus improbanda, modò nequis nimium illi rei ſit deditus, omnemq; operam impendat inſectandis laniandiſque feris, neglectis rebus ſerijs, ac domeſtica adminiſtratione. Oblectare verò ſe tabulis Geographicis, atque intra Muſei limites peragrare, longe lateque exporrectos mundi ambitus, ac remotius diſſitas regiones oculis ac circino dimetiri potius, quàm magna rei familiaris iactura corpore foris peregrinari, animum mirificè reficit. Inter Chartas Coſmographicas refero artificioſè elaboratas expreſſaſque picturas vel coloribus adornatas, vel μονοχρωμάτους, hoc eſt, nudas, nulloque pigmento aut fuco delineatas, quæ non inani ſpectaculo oculos afficiunt, præſertim ſi abſit ſuperſtitio, ac nonnulla ad virtutem & pietatem documenta exhibeant, vt ſunt ea, quæ ſacras hiſtorias complectuntur. Vnde non inſcitè veteribus Pictura muta poeſis dicta: Poeſis verò loquens ac viuida minimeque muta pictura. Honeſta eſt autem ac cum primis iucunda Muſicæ oblectatio, qua animus, vbi langueſcit, maximè erigitur ac reuiuiſcit. Hæc vocum concentu atque inſtrumentis modulatè reſonantibus non ſolùm aures ſonorū ſuauitate permulcet, ſed ſonitu per arterias vndique diffuſo, ſpiritus cùm vitales tum animales excitat, diſcuſſaque animi caligine ac nebulis, mentem agilem reddit atque erectam. Quo effectum eſt, vt Pythagoras animum cithara excitare ſoleat, vbi euigilaſſet, quò eſſet ad functiones obeundas, ac diuturna munia expeditior: & quum ſomnum peteret, rurſus teſtudine lenire mentem, quò affectus redderet ſedatiores. Sic Epaminondas princeps Græciæ concinnè fidibus ceciniſſe legitur, totaq; Græcia, Cicerone teſte, ſummam eruditionem ſitam in vocum neruorumque cantibus cenſebat, & qui

Exercitationū multa genera.

Pictura oculos paſcit & reficit.

Muſica mētem oblectat.

Fab. lib. 1. cap. 7.

Cic. 1. Tuſc.

Veteres muſices ſtudioſi. eius artis eſſet imperitus, habitus ſit indoctior. Sic priſcis ſæculis inter regales menſas Heroum Diuorumque geſta ad lyram decantari ſolent. Ita apud *Lib 1. Aeneid.* Virgilium,

> ——————— *Cithara crinitus Iopas*
> *Perſonat aurata, docuit quæ maximus Athlas.*
> *Hic canit errantem Lunam, Soliſq; labores:*
> *Vnde hominū genus & pecudes, vnde imber & ignis,*
> *Arcturum, pluuiaſq; Hyades, geminoſq; Triones.*
> *Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles*
> *Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.*

Hebræi oblectamenta muſica non reſpuerunt. Non defuiſſe Hebrææ genti huius oblectamenti vſum, magniſque viris illam excuitam atque in pretio habitam, præter alia, Dauidis hiſtoria cōmonſtrat. Nam vates ille ſacros hymnos ad lyrā decantare ſolitus eſt, animumque Saulis furibundum ac *1. Reg 16.* maligno Genio, atraque bile exagitatum, modulatè reſonante cithara permulcere, ac Regem ad ſaniorem mentem reducere. *Dauid inſtrumentis muſicis Deum honorat.* Heliſæus quoq; vates importuna regum interpellatione exaſperatus, accita pſaltria, harmonia, concentuque Muſico animum compoſuit, ac depulſa omni perturbatione, *4. Reg. 3.* ſopitiſque affectibus afflatu diuino perfuſus, vaticinari incipit, ac tribus regibus euentura prædicere. *Heliſæus Muſica afficitur.* In conuiuijs quoque Muſicos adhiberi ſolitos, ſacra Biblia paſſim teſtantur. Sic Sapiēs deſumpta *Eccle. 32.* ſimilitudine à gemmis auro decoratis: Sicut Carbunculus, inquit, aurum exornat: ſic cōcentus Muſicorum in conuiuio cum moderata vini potione. *Similia ex muſicis ſonis & gemmis.* Et quemadmodum, vt idem ait, Smaragdus, cuius pellucidus eſt & inſatiabilis viror, vulgò Amarant, aurum commendat: ſic modulatio Cantorum in iucundo conuiuio. Verùm ne quis plus ſatis huiuſmodi illectamentis inſiſtat, atque occupetur: quid huic oblectationi præferri debeat, obi- *Eccle. 40.* ter ita indicat, Vinum & Muſica mentem ac cor exhila-

exhilarant, ſed vtroque magis ſtudium ſapientiæ. Improbat quidem Eſaias vinolentos, & qui comeſſationibus continenter addicti, Muſicis inſtrumentis ſuauiter ſe oblectant, ſed ea ratione, quòd nulla his habeatur opificis ratio, nec quidquam eorum, quibus affluenter & cumulatè fruuntur, ad Deum referant, à cuius munificentia omnia profluunt. Sic enim illis minitatur, Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara, lyra, tympanum, & tibia in conuiuijs veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis, hoc eſt, non habetis oculos mentemque in illum erectam, à cuius munificentia ac liberalitate hæc proficiſcuntur. In eodem argumento verſatur Amos Propheta, qui huiuſmodi minis laſciuos ac profuſè viuentes vellicat, Væ qui opulenti eſtis in Sion, ingredientes pompaticè, qui decumbitis in lectis eburneis, ac laſciuitis in ſtratis veſtris, qui canitis ad ſonitum pſalterij, bibentes vinum in phialis, atque vnguento optimo delibuti, nec quiſquam veſtrum inopum calamitate afficitur, aut condoleſcit afflictorum miſeriæ, nulla habetur tenuiorum ratio aut reſpectus, nulla exhibetur Deo tantorum beneficiorum gratitudo. Quocirca oblectamenta Muſica atque inter hæc moderatus vini ac ferculorum vſus, quo ſpiritus ſopiti ac languidi eriguntur ac reuiuiſcunt, quo fumi melancholici diſſipantur, nihil habent vitij, nec ab vllo tetrico culpari merentur, niſi illorum abuſu atque aſſiduitate profunda obrepat diuinarum rerum ac ſalutis obliuio. Inter exercitationes mitiores, minuſque moleſtas aut laborioſas, vectiones referuntur, quæ vel equo, vel vehiculo, aut etiam nauigio perficiuntur, necnon ambulationes ſubdiales, quas hortenſes areę miniſtrãt, ac longius

Eſaias vinolẽtos increpat.

Cap 5.

Cap. 6.

Amos vinoſos vellicat.

Exercitatio minus laborioſa.

Hortorum amœnitas reficit animum. exporrectæ peragulatæ iugatæque vineæ, ſic vt ſub fornice viridi ac pampinis virentibus concamerata teſtudine non minus ſalubris ſit, quàm amœna deambulatio. Et ſi qua fortè inter deambulandum obrepat laſſitudo ac fatigatio, non deſunt in excultis hortis topiaria, atque vmbracula, ſub quibus captare opacum frigus, æſtumque diſcutere liceat. *Aeſtate opacū frigus captādum.* Vbi verò apricari viſum ſit, atque aeri libero apertoque ſe exponere, in patenti campo aut eminenti editoque loco id perfici poterit. *Apricari hieme, peramœnum.* Vt autem ſtudioſis virisque politicis inter moderatas ac ſalubres exercitationes apta eſt, clara ac vocalis lectio, vſuſque declamandi: ita validis ac robuſtis luctatio, baliſtarum ac paruæ pilæ vſus, Galeno libello edito, approbatus, *Apta ſtudioſis exercitatio.* certamen gladiatorum & equeſtre, quibus calor natiuus augeſcit, ac corpus robur concipit, ſanguine per membra vndique diffuſo. quò fit, vt exercitatis color effloreſcat, ac cutis ſuaui vndique rubore perfundatur. Cæterùm hoc meminerint, qui in huiuſmodi palæſtris ſe exercent, vt omnia moderatè perficiantur, ne agitationes violentæ ac tortuoſæ membrorum luxationes inferant, hoc eſt, nequa corporis pars à ſua ſede diſſiliat, aut operoſius agitato flexoque in gyrum corpore, à loco dimoueatur. Atqui vt non ſtatim à ſumpto cibo mens ſtudijs eſt defatiganda, quò ventriculus commodius concoctioni inſiſtat, ne diffundi ac diſſipari calorem natiuum contingat: ita nec liberalius pranſis, ciboque differtis nimij labores ſubeundi. *Violentus motus concoctioni officit.* officiunt enim concoctioni motus violenti & incompoſiti, omneſq; agitationes corporis immoderatæ crudos ac ſemicoctos cibos in venas rapiũt, qui oborta oppilatione ac putredine, morbis ſeminaria miniſtrant. *Aſtragaliſmus quid.* Vetuſtus ludus Aſtragaliſmus, ſeu talorum iactus, qui oſſiculis ouillis leuore perpolitis perficitur, Belgę *Pickelen* vocant, quibus

noſtrates

noſtrates puellæ nondum nubiles, aut maturæ viro luſitant, eoſq; nouæ nuptæ ſtatim ab inito coniugio deſpiciunt. Adoleſcentuli autem Tali quodam genere inter ſe decertant, quod boum pedibus eximitur, Coten Belgæ appellant, eoque ſe exercent certo anni tempore, vt etiam nucibus & crepitaculis. quæ exercitamēta puerilia paulò prouectioribus vileſcunt, atque habentur deſpicata, ſic vt iam ex ephebis egreſſi indecorū ducant, parumque generoſum, huiuſmodi nugis occupari. Nam pue͏rili more, vt Horatius ait, *Talorum iactus.* *Puerilis exercitatio multiplex.* *Lib. Ser. 2. Saty. 3.*

Aedificare caſas, ploſtello adiungere mures
Ludere par impar, equitare in arundine longa
Si quem delectat barbatum, amentia verſat.

Cæterùm diuerſi ſunt tali ab aleis, quæ Belgis *Terlingh* vocantur. nam illi quatuor lateribus cōſtant, aleæ ſex, quarum abuſus tam frequens eſt in tota Europa, vt plerique crebro harū vſu patrimonium profundāt, exhauſtiſque facultatibus, ad inopiam redigantur. quum talorum vſus apud nos ad puellas deuolutus, nullam rei familiari iacturam inferat. nam illis vel tædium temporis diſcutiunt, aut ſiquando feriari liceat, pro re non magni momenti decertant, nempe caſtaneis, auellanis, aciculis, fibulis, alijſque nonnullis apophoretis. Trochi autem agitatione ac celerrimo illo turbinis in gyrum atque orbem decurſu, adeò, vt motus conſpectum fugiat, fallatq; oculos, adoleſcentes ſe alacriter exercent, idque hibernis menſibus, quò incaleſcant. Quod genus exercitationis veteribus etiam in vſu fuiſſe teſtatur Perſius, illoque ſe ac pleriſque alijs impensè delectatum, *Alea à Talis diuerſa.* *Trochorū agitatio.* *Satyr. 3.* *Orca fictile genus, vt noſtrū, in quo nidulātur ſturni,* ſpreeu *Belgicè.*

Iure etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret,
Scire erat in votis: damnoſa canicula quantum
Raderet: anguſtæ collo non fallier orcæ,
Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Huius pueriliſ inſtrumenti Virgilius quoque meminit, ac Lauiniæ mentem ex Turni amore furijs agitatam, elegantiſſimis verſibus turbini cōponit, eamque non aliter rotari, quàm trochum flagellis ſcuticiſque hinc inde ſubactum, Belgæ *Top* vocant. Sic autem rem proſequitur:

Virg. lib. 7. Aeneid.

Tum verò infelix ingentibus excita monſtris
Immenſam ſine more furit lymphata per vrbem:
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro, vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur ſpatijs. ſtupet inſcia turba,
Impubiſq; manus mirata volubile buxum.
Dant animos plaga: non curſu ſegnior illo
Per medias vrbes agitur, populoſq; feroces.

Elegans Virg. deſcriptio.

Huiuſmodi ludis ferè ætas puerilis occupari ſolet: Adultior verò, & quæ iam pubeſcere incipit, decētiores expetit. In omni exercitatione, ex qua corpus atque animus aliquid commodi concipit, ſemper decori atque honeſtatis habenda ratio.

Iugurthæ indoles.

Sic Salluſtio laudata Iugurthę indoles, cùm nōdum ambitione ac regnādi cupiditate eſſet deprauata. Is enim vbi primùm adoleuit, pollens viribus & decora facie, ſed multò maximè ingenio validus, non ſe luxui aut inertiæ corrumpendū dedit: verùm, vti mos illius eſt gentis, equitare, iaculari, curſu cum æqualibus certare, & quum omnes gloria anteiret, omnibus tamē charus eſſe, plurimum facere, minimum de ſe ipſe loqui.

Iuuentutis exercitatio.

Infames ludi.

Alearum, chartarumq; ludos, & ſiqua ſint alia otioſorum hominum oblectamenta, vt rem maximè damnoſam atq; infamem fugito. In huiuſmodi enim ludis non artis peritia viget, ſed fraus, fallacia, dolus, aſtutia. non habet locum ratio, conſilium, ſapientia, ſed caſus, fortuna, temeritas. Complectitur autem alea omnem ludum fortunæ mutabilitati

Alea quid.

tabilitati

tabilitati ſubiectum, teſſeras, pyrgum, fritillum, latrunculum, omnemque iactum talarium adeò, vt in minutiſſimis etiam rebus ac puerili negotio improbetur, ſi vel crebrò fiat, vel fallaciter, vel contentiosè. Sic ſcitè Martialis, *Lib.14.*

Alea parua, nuces, & non damnoſa videtur:
Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.

Quamobrem cùm omnia ferè in huiuſmodi certamine cupidè, improbè, dolosè peragi ſoleant, ea moderatio adhibenda, vt oblectationem potius, quàm quæſtum ſectemur. Nam incautos parumq; oculatos à ſubdolis emungi argento contingit. Et quanquam nonnulla lucri ſpes in talibus exercitijs animum hominis titillet, victoremque ſoletur præmium: non tamen ſpe nimis auida, aut lucri cupiditate quidquam facere decet. Inſtituitur autem exercitatio, ac ludendi licentia conceditur, non lucri, ſed valetudinis atque oblectamenti ratione, & quò animus defatigatus reſpiret, nouaſque vires, ad ſubeundos denuò labores concipiat. *Quæſtus non doloſus eſto.*

Ea eſt autem Aleatorum natura & conditio, vt vbi ſemel illa prurigo & ſcabies animum occupauit, ægrè excuti queat. Solicitantibus enim vndiq; eiuſdē farinæ hominibus, ſingulis momentis damnoſas illas voluptates repetunt. Quod vitium etiam ſcortatoribus inſitum. Quocirca ſalubriter Ouidius: *Aleatorum conditio.*

Sperne lucrum. vexat mentes inſana cupido,
Et reuocat trepidas alea ſæpe manus.

Nulli mea quidem ſententia improbari debet conquirendi induſtria, ac rei familiaris amplificatio: ſed lucrum ſectari par eſt, quod vtile ſit & honeſtum, ac nullius iniuriæ damnoque coniunctum. Scitum eſt prouerbium Plautinum, Ad ſuū quemque quæſtum æquum eſt eſſe induſtrium potius, quàm callidum. Nam res ſiniſtrè atque improbè

conquiſi-

Doloſè par-ta citò dilabuntur. conquiſitæ præter id, quod infamiam pariant, minus etiam diuturnæ ſunt aut ſtabiles, ſed facilimè dilabuntur, vt opes fallacijs, dolo, ſycophantijs, captionibus, verſutijs, denique fœnore, talis, aleis partæ. Quamobrem quos habes ſtudiorum ſodales, omnibus modis à rebus improbis abducere pergas, atque ad honeſtatem, ad decus, ad virtutẽ eſſe incitamento. Hoc enim humanitatis officiũ non ſolùm apud cordatos viros laudem promeretur, ſed Deo etiam gratum acceptumq́ue eſt: quod ita apud Hieremiam teſtatur Dominus, Qui ſeparauerit pretioſum à vili, quaſi os meum erit. Quo deſignat, illum palmarium quiddam præſtitiſſe, ac proximè ad Deum accedere, diuinoſq́ue honores promereri, qui vel ſeipſum vel proximũ (Deo enim nihil homine charius, aut maioris pretij) à viliſſimis rebus, à vita ſordida ac contaminata, ab itinere deuio abduxerit, atque ad vitæ integritatem, moreſq́ue inculpatos autor ſit & inſtigator. Quò ſpectat illud Iacobi Apoſtoli: Fratres ſi quis inter vos errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſciat ſe à morte reuocaſſe peccatorem, ac ſaluam feciſſe animam illius.

Cap.15.

Hieremiæ locus explicatus.

Cap.5.

In rebus gerendis, rationem in conſilium adhibendam.

C A P. XLV.

IN quauis actione, omnibuſq́ue vitæ negotijs ſic omnia ratione ac conſilio moderanda, nequid pridie agas, cuius te poſtridie pœniteat. Turpe eſt enim aliquid committere, vt re peracta cogaris dicere, Non putâram. In quem ſcopulum minus impinges, ſi nihil temerè ac præcipitanter agas, ſed omnia conſideratè, maturè, prudenter ita, vt ad rationis amuſſim ſingula exigas. Sic rectè præcipit Salluſtius, Priuſquam incipias, conſulto: & vbi conſu-

Non putarã vitio coniunctum.

Nihil præcipitanter agendum.

conſulueris, marè facto opus eſt. Et Cicero, In omnibus rebus, ſiquid aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens. Quò ſpectat prouerbium, Feſtina lentè: &, Sat citò, ſi ſat benè. *Lib. 1. offic.*

Quæ dubitas, ne feceris.

CAP. XLVI.

NIHIL agas, quod animo ſcrupulum inijcere poſſit, ac dubitationem inferre ſic, vt ambigas, æquúmne ſit, an iniquum, quōd aggredi paras. Aequitas enim, vt Cicero ait, lucet ipſa per ſe, ac cùm virtuti tum honeſtati coniuncta eſt. Dubitatio autem iniuſtitiæ alijſque vitijs affinis eſt. Huic conſentaneum eſt illud Pauli, Beatus eſt, qui ſeipſum non iudicat in eo, quod probat, hoc eſt, qui in adeundo aliquo negotio non ſentit tacitè reclamantem conſcientiam. Quam ſententiam tametſi de ciborum delectu, & vitando offendiculo ſcripſerit Apoſtolus, vt ſuperius ſumus teſtati: alijs quoque rebus appoſitè accōmodari poteſt. In omni enim actione, cùm quid agimus nulla firmitate, nullaque animi conſtantia, ſed vacillante mente & dubia, iudice cōſcientia damnamur. Quidquid enim nō proficiſcitur ex fide, qua Deo approbamus noſtrā mentē, ipſaq; refragante conſcientia, vitioſum eſt, & peccato obnoxium. Siquidem cùm quis rem per ſe non malam, hæſitans, mala ſit, néene: committit tamen, declarat ſe rem nefariam commiſſurum, ſi occaſio inciderit, aut opportunitas ſit oblata. Vera autem pietas ac ſolida ſapientia fide ſtipata, diuinoque Spiritu fulta, omnia ſcienter dijudicat, nec quidquam aggredi ſuſtinet, quod vllam mali ſpeciem præ ſe ferat, aut mentem ac conſcientiam aliqua ægritudine poſſit contaminare.

Lib. 1. offic.

Rom. 14.

Dubitatio mentis in agendo ſcrupulum inijcit.

Pauli locus explicatus.

Virtutis

Virtutis ac vitiorum præmia.

CAP. XLVII.

Voluptas momentanea. *Virtus æterna.* *Prouerbiū in degeneres.* *Platonis exhortatio ad virtutem.* *Sententia D.Gregor.*

QVOD Cato ſenior commilitonibus inculcare ſolet, id cuique menti infixum eſſe conuenit: Si cum labore præclari quiddam egeris, & quod honeſtati ſit coniunctum: labor abit, honeſtè factum remanet. Si cum voluptate mali quidquam commiſſum ſit: voluptas, vt res momentanea, citò auolat atque euaneſcit, improbitas verò & nequitia, vt indelebile vitium, perpetuò adhæret. Quò ſpectat prouerbium, Qui ſemel ſcurra, nunquam paterfamilias. Quiſquis enim ſemel in re infami, exiſtimationis ac probitatis iacturam fecerit, nō facilè probi viri elogium conſequetur, quamlibet etiam ditescat, aut opulentus efficiatur. Non diſſimili ratione extimulauit iuuenes Plato ad felicitatē conſequendam, propoſita virtutis ac voluptatis vitioſa imagine. Huius enim momentaneam dulcedinem atque illecebras ſubita pœnitentia, angor animi, mens inquieta, dolor perpetuus comitatur. Illius verò breues labores & ærumnas pacata mens, tranquillus animus, ſecura conſcientia, denique ſolidum æternumq́ue gaudium ſubſequitur. Quò ſpectat illa ſententia, Momentaneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat.

A Deo ſumenda omnium actionum noſtrarum initia.

CAP. XLVIII.

A Deo petēda actionum primordia.

QVIDQVID aggredi meditaris ac perficere, Deum opt. max. in cōſilium adhibeto, ita ſiquid tractare inſtituis ſiqua obire munia vel priuata vel publica, illius numen implores, quò afflatu ſuo optima quæque & ſalutaria inſpiret. Dici enim vix queat, quid adiumenti adferat ad felicem operum

ſucceſſum;

ſucceſſum, omnia actionum noſtrarum auſpicia, omnia vota ad Deum referre. Nam ſiniſtrè ferè atque inauſpicatò procedunt, quæ tali non ſunt inchoata principio. Hinc illa Dei apud Eſaiam comminatio, Væ filij deſertores, qui conſilium initis, & non per me, qui ordimini telam, & non per ſpiritum meum. Quibus verbis infelicem parumque proſperum ſucceſſum illis denunciat: quòd aliunde quàm à Deo ſalutis præſidia conquirant, nec illum in conſilium adhibent, ab eoque reſponſa petunt, cui omnia ſubmittuntur, & penes quem conſiſtit totius orbis dominatio & imperium. Per hũc enim; vt Solomon ait, Reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt, per hunc principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. illius eſt conſilium & æquitas, illius prudentia, fortitudo, decus, potentia, qua in imperio conſtituti, ſuas ditiones ſtabiliunt, ac ſubditos in officio continent. Quocirca cùm Dei arbitrio ac voluntate omnia perficiantur, atque ipſe ſit primaria rerum cauſa: ab eo felicem operum ſucceſſum, ab eo ſalutaria quæque, atque ad benè beateq; viuendum neceſſaria, ſummis votis petenda. Quod nobis Chriſtus inculcat, cùm inquit: Primùm quærite regnum Dei & iuſtitiam eius: cætera vobis vltrò ex illius munificentia obuenient, ac velut auctarium adijcientur. Eſt autem auſpicatiſſimum diei initium, quod à rerum cœleſtium contemplatione, à doctrina Euangelica, ab illuſtranda Dei maieſtate ſumitur.

Cap. 30. *Deus actiones noſtras moderatur* *Prouer. 8.* *Deus primaria rerũ cauſa.* *Matth. 6.* *Lucæ 12.*

Diluculum auroraq; matutina ad componendam mentem, atque animum in Deum erigendum, aptiſſima.

CAP. XLIX.

NVLLA eſt diei pars ad erigendam in Deum mentem accommodatior, quàm antelucana. Tũc

Aurora precationi apta.

enim animus diſcuſſa noctis caligine, eſt erectior, atque ad concipiendas ſalutares cogitationes aptior. Factitaſſe id ſacros vates, Bibliorum codices paſſim teſtantur. Sic Dauid in anguſtia cõſtitutus,

Pſalm.5. *Pſalm.62.* Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Mane aſtabo tibi, & videbo. Mane oratio mea præueniet ad te.

Cap.87. Sic Eſaias: Erigit mane, mane erigit mihi aurem Dominus, vt audiam tanquam magiſtrum, hoc eſt, monitorem, qui oſcitantibus aurem vellicat.

Cap.26. Rurſus, Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & in ſpiritu meo, & præcordijs meis de mane vigilabo ad te. *Eſaiæ locus explicatus.* Quibus verbis Propheta indicat totam mentem, omneſque animæ vires ac facultates, ſpiritus, cùm vitales, tum animales, & quidquid illis inſitum eſt, in Deo iugiter eſſe defixum ſic, vt nulla temporis pars abſque illius recordatione tranſigatur, ſed omnia dicta factaque, & ſiqua animum ſubit cogitatio, in Deum transferatur.

Exacto die exigenda à mente diurnarum actionum ratio.

C A P. L.

Exigenda à mẽte actionũ noſtrarum ratio. OMNIA negotia diurnaſq; actiones, & quid quoq; die dictum factumque ſit, veſperi ab animo repoſcas. Sic conſummato die, antequam te quieti dedas, exige à te peracti diei rationem, atque interrogato animum tuum: quod hodie malum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es effectus? quid incrementi acceſſit pietati? quis in virtute factus progreſſus?

Virg. in Viro bo.

Quò prætergreſſus? quid geſtũ in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus affuit? aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? Cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem
Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem?

Dici vix queat, quàm tranquilla ſit futura ac pacata mens, quàm quietus & placidus ſomnus, vbi concepto emendationis propoſito, huiuſmodi cogitatione animi nebulas diſcuſſeris. Quum autem diurnæ actiones, & quæ interdiu oculis obuerſantur, ſomno nonnunquam officiant: ſtudioſè elaborandum, vt honeſtis occupationibus dies tranſigatur, ne quid menti obijciatur, quod nocturnam quietem poſſit interturbare, aut turbulentam efficere. *Concipiendum quotidie emendationis propoſitũ.* *Actiones diurnæ honeſtæ ſunto*

Nemo vitijs ſuis blandiatur, aut malefacta extenuet.

C A P. L I.

SIQVID inſipienter actum ſit, atque auerſa à recta ratione voluntate commiſſum, quod honeſtati ac decori aduerſetur: nunquam in animum inducas, vt errori blandiaris, aut crimen excuſatione extenues. Parit enim confidentiam peccati excuſatio, atque iterandi commiſſi occaſionem miniſtrat. Sic cùm Dauid obſeruaſſet, quantum prauitatis ex hoc mentis errore pullularet, Non declines, inquit, cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quibus verbis precatur, vt longè abſit ab ipſo mala mens, malus animus, quo improbi imbuti, ſcelera ſceleribus accumulant, ſuaque flagitia diluunt atque extenuant, nec in ſe vllam culpam transferri aut deriuari patiuntur. Qua cæcitate ac mentis caligine efficitur, vt vbi animus ſemel vitijs occalluit, ac cupiditate ſe deuinxit mala, in dies magis magiſque in deterius prolabatur, ac corruat nulla emergendi ſpe. Quò ſpectat illud Solomonis: Impius cùm in profundum peccatorum deuolutus eſt, contemnit, hoc eſt, nihil admiſiſſe ſe habet perſuaſum, nec magnoperè commouetur patrati ſceleris, aut nequitiæ *Vitia nõ extenuanda.* *Pſalm. 140.* *Dauidis locus explicatus.* *Prouer. 18.*

enormitate. verùm, vt idem ait, hunc ſequitu[r] confuſio & ignominia. Quo indicat, illum ea[m] exiſtimationis iacturam ſubire, eam infamiæ la[bem] conſequi, vt non facilè in poſterum probi a[c] laudati viri nomen promereatur. Pari malo impli[cati] ſunt, qui vbi deliquerunt, atque in peccatum aliquod prolapſi ſunt, non agnoſcunt ſcelus, nec ic[d] confiteri ſuſtinent, etiamſi confeſſionem extor[queat] conſcientia carnificinę, ſed ſilent ac conticeſcunt, omniaq́; obliuione obruere meditantur.

Impio occalleſcit ſcelere animus.

Simile enim quiddam ijs vſuuenit, quod pueris, qui à rebus interdictis non abſtinent, præſertim vbi ſperant fore clam, nec à parente id reſcitum iri. Cuius rei exempla edita ſunt in Adamo & Cain, eorumq́ue poſteris, in quos hæreditaria labes eſt transfuſa. Proinde qui animi trãquillitati optimè conſultum cupiat, nec vllam perpeti carnificinam, non pergat abs ſe commiſſa vel inficiari, vel ſilentio inuoluere, ſed Deo patefaciat. Agnitio enim peccati, & errati confeſſio veniam impetrat, omneſq́; animi ſordes ac maculas eluit, abſtergit, abolet. Reticentia verò & tergiuerſatio malũ exaſperat, cauſamq́; rei reddit deteriorem. Quod in ſe expertus Dauid, Quoniam tacui, inquit, inueterauerũt oſſa mea, cùm clamarem tota die. extorſit quidem cruciatus & doloris intolerantia clamorem atque eiulatum, ſed non delicti confeſſionem expreſſit. mox tamen admiſſum crimen Deo detegere meditatur, quem certò ſcit promptum ac facilem ad condonandum peccatum, vbi quis ex animo reſipiſcit ſuaq́ue vitia deteſtatur. Itaq; ſumpta fiducia, Dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Is eſt enim amor & propenſio Dei erga homines, illa placabilitas & manſuetudo, vt vbi reſipiſcere meditantur, cõfeſtim illis peccatum remittat.

Simile à puerili natura.

Peccati agnitio peccatum expungit.

Reticentia malum exaſperat.

Pſalm. 31.

Dei facilitas in remittendo.

remittat. Quod per Eſaiam ita indicat, Et erit antequam clament, ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus aurem accommodabo. Quo indicat, promptam & expoſitam ſuam munificentiam ac fauorem, vt etiam ſi homo mente concipiat emendatioris vitæ propoſitum, ſtatim illi admiſſum ſcelus remittat. Sic apud Ezech. Quocunque tempore peccator ingemiſcet, iniquitatum eius non recordabor amplius. *Cap.* 65. *Cap.* 18.

In Deum transferendum, quidquid nobis boni obtigit.

CAP. LI.

SIQVID tibi in fragili hoc ac caduco corpore, vitaque momentanea ac fugaci obtigerit ſplendidum, regale, magnificum, ſi adſint latifundia atque ſuburbana prædia, ſi opes affluant & diuitiæ, easq; exornent decus, honeſtas, amplitudo, dignitas, gloria: ſi mens imbuta eſt multarum rerum cognitione ac ſcientia, nec deſit prudentię coniuncta ſapientia; corpus denique ſalubre ac vegetum, aut ſi quid ijs accedat amplius: omnia hæc munificentiſſimo Patri Deo feras accepta, à quo quidquid eſt boni, promanat ac profluit. Reuocat huc Paulus inflatum atque inani perſuaſione turgidum, illiq; ſui fiduciam his verbis eximit: Quid eſt, quod non accepiſti? quod ſi acceperis, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Idipſum etiam vrget, ac nulli non inculcat apud Hieremiam Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec glorietur fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur, quiſquis gloriatur, noſſe & ſcire me. Qui gloriatur, inquit Paulus, in Domino glorietur, à quo quidquid eſt bonorum, affatim ac cumulatè ſumus conſequuti per IESVM Chriſtum, qui factus eſt nobis à DEO ſapientia, iuſtitia,

Quicquid homini obtigit, in Deum transferendum. *2. Cor.* 4. *Cap.* 9. *1. Cor.* 1. *2. Cor.* 10.

Omnia noſtra bona à Deo promanant.

ſanctificatio, ſalus, redemptio. Quò autem nem ſibi plaudat ac blandiatur, ſeſeque efferat inſoler tius de externis interniſque donis, commonefac Paulus, geſtare nos theſaurum hunc in vaſculis te ſtaceis, hoc eſt, fragili ac moribundo corpore, qu cuique innoteſcat, hoc Dei virtuti atque eminen tiæ aſſcribendum, non hominis viribus. Vt auten quidquid eſt in homine lucis, quidquid ſapientiæ quidquid virtutis aut iuſtitiæ, Deo aſſeri debet, a Patri luminum, à quo omnes dotes, ac muner deſcendũt, vt Iacobus Apoſtolus teſtatur: ita quid quid eſt in mente humana vitij aut nequitiæ, quid quid caliginis ac cæcitatis; quidquid prauitatis ac corruptelæ: id omne noſtræ voluntati malitioſæ aſſcribi debet, nec vel minima culpa in Deũ tranſ ferri. Peccatum enim ac diuini mandati tranſ greſſio, omnis generis ærumnas, calamitates, morbos, cùm corporis tum animi, poſtremo mortem inuexit, omnemque procliuitatem ad nequitiam menti inſeuit.

Cap. 1.

Omnis nequitia à mente noſtra diffunditur.

Sapien. 2.

Delectus & conſideratio habenda in eligendo vitæ genere.

C A P. LIII.

Deliberatio in deligendo vitæ genere.

IN deligendo vitæ genere, quod amplecti ſtatuis, & in quo ad extremũ meditaris conquieſcere, ac pacatè conſenuiſſe, hoc in primis ſpectari debet, vt conſideratè omnia aggrediaris, nec temerè te alicui inſtituto addicas, à quo poſtmodum, ſi pœniteat, non liceat reſilire aut extricari. Qui enim ætate immatura nec ſatis explorata excuſſaque naturæ propenſione, aliquod vitæ genus arripiunt, illiq; ſe perpetuò adſtringunt, vitam agunt inamœnam, plenamque tædij & moleſtiæ, ſiquando (vt plerumque aſſolet) illos capiat inſtituti ſatietas,

pietas, aut ſe ſentiant ferundo oneri impares. Quocirca ne quis inconſultè ſibi laqueos injiciat, antequam aliquod vitæ inſtitutum amplectatur, deliberandi ſpatium ſibi conſtituat, quem potiſſimùm vitæ curſum conſectari velit, cui ſe addicere. In qua deliberatione, vt ſuadet Cicero, ad ſuam cuiuſque naturam conſilium omne reuocandum eſt, quo adhibita omni cura conſtituendæ vitæ, ſtabiliter in ſuſcepto negotio perſiſtat. Multi enim optima petentes, non tam voluntate, quàm curſus errore falluntur, atque à ſcopo, quem Chriſtus nobis præfixit, deuij ad ſuperſtitionem, hoc eſt, fucatæ religionis ſpeciem deuoluuntur. Quin à Chriſto potiſſimùm petenda ſunt ſalutis præſidia, quo vno duce in hoc mundi ſalo ad optatum portum prouehimur. Ipſe eſt oſtium, quod nobis aditum acceſſumque patefacit ad Patrem, Ipſe eſt via, veritas & vita, à quo nos auertere nititur Satanas, qui transformans ſe in Angelum lucis, per improbos doctores falſa pro veris, dubia pro certis, fucata pro ſinceris, pro ſalutaribus noxia mentibus hominum ingerit. Hæc fuit prima hoſtis noſtri impoſtura, qua Adamum adortus eſt, atq; illius menti fumos & caliginem offudit, incautoque ac nimis credulo ſpecie veritatis impoſuit, ſic vt in omnem illius poſteritatem eadem moliri non deſinat, atque abolito ſincero Dei cultu ac ſalutari religione, ſuperſtitionem, idololatriam, fucatam doctrinam, inſtitutiones vitæ ancipites & periculoſas inuehere, denique nullas non admouere machinas, quibus humanum genus extincta luce veritatis, ſopitoque fidei lumine, à Dei cognitione abducat, ac menti cæcitatem denſamque caliginem inferre conetur.

Li. 1. offic.

Errore non voluntate quidā deuiant.

Ioan. 10.

A Chriſto petenda ſalus.

Adam ſpecie veritatis decept⁹.

Diabolus à ſana doctrina mentes abducit.

De legitima Matrimonij ſocietate.

C A P. LIIII.

Matrimonij definitio.

MATRIMONIVM legitima eſt atque indiuulſa maris ac fœminæ coniunctio, à Deo inſtituta, partim ad domandas libidines, atque euitandos illicitos vagoſq; concubitus, partim ad liberorum procreationem. Eſt autem, vt præter Paulum Columella ex Xenophôtis Oeconomice prodidit, maritale coniugium natura excogitatum, vt non ſolùm iucundiſſima, verùm etiam vtiliſſima vitæ ſocietas ineatur, & ne genus humanum temporis decurſu ſpectaret ad interitum, marem fœminæ, infuſa diuinitus benedictione, legitimè coniunctum eſſe voluit, vt ex indiſſolubili copula non deeſſet homini mortali adiumentum, quo præter amorem gignendæ ſobolis, mutua vitæ ac fortunarum coniunctio illos deuinciret. Quocirca cùm coniugij portus ſit tutiſſimus, atque humano generi, cui natura inſitus ardor ac propenſio propagandæ ſobolis, fida ſtatio: non malè is conſuluerit ſuæ tranquillitati, qui huc ſe conferet, præſertim vbi ætas adoleuit, ac virile robur ſit conſequuta. Inconſultè autem faciunt, nec ſatis pro ætatis ratione, qui præmaturè atque intempeſtiuè tale quiddam aggrediuntur, non exploratis viribus, excuſſaque naturæ firmitate. Sunt enim nonnulli propemodum impuberes, qui vel temeritate quadam inconſulta, vel lenonum inſtigatione, aut etiam parentum impulſu, qui opimæ doti inhiant, hoc iugum ſubeunt, quorum nonnulles noui, necdum abſoluto anni curriculo, flaccidos atq; elumbatos, omnique vitali ſucco exhauſtos ſic, vt vires illis labefactatas ac collapſas, erigere atque inſtaurare fomentis ſim coactus. Quocirca ne pueri, aut paulò prouectiores pueris procreandis incumbant, quiſq; vires

Li. 12. c. 1.

Geneſ. 2.

Coniugij vſus.

Coniugiũ non temerè adeundũ.

Cõiugium multos eneruat.

vires ſuas ipſe metiatur atque exploret, quid valeant lumbi, quid ferre recuſent. Qui autem connubio ſe addicere meditatur, id potiſſimùm obſeruet, vt ex honeſta familia non tam dotatam (tametſi id non reſpui debet) quàm ingenuam, honeſtam, pudicam ac verecundam, beneque moratam in vitæ ſocietatem adſciſcat. Mulier enim (vt Comicus ait) ſi benè morata eſt, dotata eſt ſatis. Scitum eſt illud Alcumenæ apud Plautum, quod ſingulis virgunculis & matronis infixum eſſe debet. Non ego mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur: Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatam Cupidinem, Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam, Viro morigera, atque vt munifica ſim bonis, præſim probis. Quocirca parentibus ſolicitè elaborandum, ne ſexus iſte fragilis, atque ad ruinam procliuis, præſertim vbi nubilis eſſe incipit, ac matureſcere, aliquid labis concipiat, aut vllam pudicitiæ iacturam patiatur, ſed ad decus & virtutem ſuas filias inſtituant, atque ad vitæ integritatem moreſque inculpatos ſint incitamento. Non deſunt progenitores quidam improbi, qui malè cõſulunt virginum ſuarum integritati. Nam illas domeſticis exemplis corrumpunt, atque ijs ad temulentiam, audaciam, impudentiam feneſtram aperiunt. Quo efficitur, vt ſenſim conſueſcant pudorem exuere, ac pudicitiam venalem habere, ſic vt eam facilimè expugnari patiantur, aut non magnoperè obſiſtant callido virginitatis inſidiatori, cuius contactum, oſcula, titillationes non exhorreſcunt, nec admodum grauatè, aut repugnanter admittunt contrectantium blandimenta. Inter multos errores ac vitia, quæ committi ſolent in adeundo ſtatu connubiali, tria potiſſimùm mihi culpanda videntur, ex quibus multa incommoda emergunt. Primùm, quòd

Honeſta familia obſeruanda in adeundo connubio.

Amphi. act. 2.

Conſulendum puellarum fragilitati.

Eccle. 7.

Puellis nulla dãda occaſio lapſus.

Errores in adeundo coniugio commiſſi.

magna mortalium pars præcipitanter atq; inconſideratè, nullaque matura deliberatione hoc vitæ genus aggrediatur, idque ea ætate, quæ huic rei minus apta eſt. Deinde quòd nonnulli ſerius ac minus tempeſtiuè ſe matrimonio addicant, atque vbi iam defloruit ætas, atque anni ingraueſcunt, hoc onus ſubeant. Poſtremò quòd diſpari coniugio alligari ſuſtineant, ſanus morbidæ, iuuenis, qui doti inhiat, aniculæ, quod à naturali ſocietate alienum, ſenex adoleſcentulæ, quod non prorſus culpari poteſt, nec naturæ ordini ſtatui cõtrarium, cùm multis ſenibus crudis ac viridi ſenecta non deſit facultas procreandæ prolis, quod mulieribus annoſis atque effœtis denegatum. Vt autem meritò improbatur in ætate iuuenili, quæ coniugium animo concipit, nimia celeritas & feſtinatio: ita in prouectioribus cunctatio ac tarditas. Qui enim præmaturè ac properanter hoc capiſtro ſe alligari patiuntur, non ſatis firmo validoque corpore, nec adauctis viribus, non diu in hac palæſtra ſubſiſtunt, ſed poſt vnum aut alterum inſultum labaſcunt ac conuelluntur. Qui verò procraſtinãdo legitimum nubendi tempus præterlabi patiuntur, atque in longum differunt contrahendi matrimonij conſilia, vitam agunt tetricam atque inamœnam, vel nonnunquam vago illicitoque concubitu ſe polluunt: quod tot paſſim ficoſi, morbidi, diſtorti, lippi, incurui, podagrici tumidis inflatiſque cruribus commonſtrant, quos ſi poſtmodum, vbi eius vitæ pertæſum eſt, legitimo connubio alligari contingit, in magnas moleſtias ac tædia ſe conijciunt. Nam quum exhauſti ſint atque exoleti, viribuſque attritis ex ante actæ Veneris intemperantia, & ſibi graues fiunt, ac nouæ nuptæ ſpes ac deſideria fruſtrantur.

Coniugio inepti & cælumbes.

Maturè omnia agenda in adeundo coniugio.

Robuſta ætas, matrimonio aſſueſcat.

Omnis

Omnis ſocietas, quæ non conſiſtit intra coniugij limites, vitioſa, atque à legitimo matrimonio aliena.

C A P. LV.

QVVM impudicitiam atque obſcœnos illicitoſque amores Chriſtus & Apoſtoli deteſtentur, atque à regno Dei excludendos pronuncient, qui ſe adulterio aut ſcortandi libidine contaminant, non video, quo ſe colore tueri poſſint, qui matrimonium peroſi, liberè ac ſuaniter ſoluteque viuere meditantur. Non deſunt enim, qui extra coniugij cancellos vni amaſiæ pro tempore ſe addicant, non ſatis decorè, nec mente tranquilla, aut paca-ta conſcientia. Sectantur illi quidem commoditatem vitæ, vt ſibi perſuadent, nec vlli ſe addicere ſuſtinent, à qua non poſſint reſilire ac diuerti. verùm acerbiora aliquando experiuntur, magiſque indigna perpeti ac perferre coguntur ab amica imperioſa ac procaci, quàm ab ea, quæ alicui legitimè addicta adſcitaque eſt vxor. Quin & hoc accedit mali, quòd huius generis ſexui diutina vitæ conſuetudo audaciam pariat, ac confidentiam adeò, vt ſiquem eius ſatietas capiat, atque illam ablegare cupiat, non ſine tumultu id perfici queat. nam cœlum terræ miſcent, vbi incidit diuortij mentio, aut quum exorta aliqua intemperie, ex ædibus excluſum iri ſe metuūt. Exempla abundè multa ſuppeditant familiares illæ & domeſticæ, quas in vitæ ſocietatem adſciſcunt ſacrificuli, à quibus, interdicto legitimo matrimonij vſu, celibatus exigitur, res cum primis operoſa atque immenſæ molis vegetis ac ſucculentis. Quapropter toto errant cœlo, atque in humanæ ſocietatis delectu prorſus hallucinantur ac cæcutiunt, qui exiſtimant illos commodè & pacatè viuere, qui ab vxore liberi, aliquam

Hebr 13.

Illiciti amores & concubitus.

Quid ijs accidit, qui ſoluta Venere ſe oblectant.

Cōcubitus extra matrimoniū conſcientiā onerat.

domi alant,aut foris venentur, qua ſe oblectent, ac cuius conſuetudine, quum luber, fruantur. quum plerumque præter mentis inquietudinem, ac conſcientiæ carnificinam plus tædij & moleſtiæ, plus zelotypiæ ac ſuſpicionis à conductitia ac temporaria amica ſuboriatur, quàm legitima ac fida vxore in perpetuam vitę ſocietatem ſolenniter aſſumpta.

Nullus vitæ ſtatus moleſtia caret.

Et quanquam in hoc ſtatu, vt pleriſque alijs, dulcia ſint permixta amaris, acerba ſuauibus, læta triſtibus, nubila ſerenis, nec deſint huius vitæ inſtituto ſimultates, contentiones, iurgia, zelotypiæ affectus, (vt nihil eſt in quouis vitæ genere omni ex parte beatum.) non eſt tamen vlla culpa in matrimonij ordinem transferenda. Tametſi enim plurima incommoda hoc vitæ genus comitentur, magnaq́; ſolicitudo, cura, anxietas illos habeat occupatos in educandis alendiſque liberis, vt Paulus teſtatur, in conſtabilienda re familiari ac domeſtica: omnia tamen mitigat ac condulcorat amor mutuus, atque ex Dei inſtitutione liberorum procreatio.

1. Cor. 5.

Proles deliciæ matrimonij.

Sunt autem pueri deliciæ ac ſingulare oblectamentum matrimonij, quibus augeſcit ac fouetur amor coniugalis, magnumque vltro citroque concipitur ſolatium.

Orbitas placidè ferenda.

Si verò præter voluntatem atque animi ſententiam, nullam propagari ſobolem contingat, ac differri in aliquot annos poſteritatis ſpem: ſanctè tamen colenda matrimonij fides, fouendaque mutua vitæ ſocietas ſic, vt alter alterum fulciat, vt in confinio conſitæ arbores fructiferæ vineam, quibus fulta, ac velut maritata affixaque clauiculis aſſurgit in immenſum, ac ſpatioſiſſimè ſe propagat.

Vitis & matrimonij cōparatio.

Vt enim vitis deſtituta pedamentis ac ſtatuminibus, caduca eſt, atque in terram procumbit: ita quoque matrimonium ac res familiaris corruit, niſi mutua viri ac mulieris opera fulciatur. Quod ſi quid vitij ſubſit huic ſocietati,

ſiqua

qua ingruat intemperies, ſuſpiciones, tumultus, inſidia: hominum affectibus ac moroſitati potius, quam huic inſtitutioni aſſcribendum. Sunt enim iſta non coniugij, ſed deprauatæ naturæ ac turbulenti animi vitia, a peccati originalis labe contracta, in quam omnis culpa transferenda eſt. *Affectus hominũ, nõ natura culpanda.*

Qua ratione obtineri poßit, ne mors homini natura pauido ſit formidabilis.

CAP. LVI.

QVVM in rebus humanis nihil ſit fixum ac ſtabile, ſed omnia fluxa, fragilia, caduca, ruinoſa etiam ſpectatiſſima quæque: non eſt, quòd quis ea magnoperè admiretur ac ſuſpiciat, illiſque plus nimio afficiatur. Quin potius mente atque animo in ſupernas ſedes erecto, res ſolidas atq; æternas ſpectet ac meditetur. Quiſquis enim cõcepta in Deum Patrem per Chriſtum Ieſum fiducia, certa ſpe atq; expectatione immortalitatis ducitur, nõ eſt, quod metuat imminentes caſus & incommoda, nõ eſt, quod pertimeſcat morbos, calamitates, pericula, mortem deniq;, quam illi potiſſimè exhorreſcunt, qui ſpiritu Dei deſtituti ſunt, nec vlla notitia Diuinitatis imbuti. nam qui in Deo fiduciam ſuam collocant, diuino ſpiritu fulti, intrepidè infractoque animo contra omnes aduerſitates ſubſiſtũt. Neque enim, vt Paulus ait, accepimus ſpiritum ſeruitutis, aut timiditatis, ſed Spiritum adoptionis, ſpiritum potentiæ & dilectionis, per quem confidenter clamamus Abba Pater. In hoc, inquit Ioannes, perfecta eſt Charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij. Timor non eſt in Charitate, ſed perfecta Charitas abijcit omnem timorem. quoniam timor cruciatum adfert ſeu trepidationem. *Non fidendum rebus caducis.* *Chriſti fiducia mortẽ minus formidamus.* *Rom 8.* *2. Tim. 1.* *Galat. 4.* *1. Ioan. 4.*

Quocirca

Quocirca vt omnem metum ac mortis formidinem menti excutiamus, & ſiquid aliud trepidationem inferre poſſet, omnes noſtras cogitationes ſpem, vota, fiduciam in munificum Patrem conijciamus, atque in Ieſum Chriſtum, qui nos ſuo ſanguine expiauit, atque à peccato mortiſque tyrannide in libertatẽ aſſeruit, deleto expunctoq; quod aduerſus nos erat chirographo, quo Diabolo eramus obſtricti, & velut obærati, Belgæ vocant, *In hem ghehouden, Thegens hem verbonden* Quò autem Chriſtus pauidas ac meticuloſas mentes fulciret, omnemque ſpem ac fiduciam in ipſo conſtitutam declaret, Confidite, inquit, ego vici mundum. Iam princeps mũdi iudicatus eſt, hoc eſt, qui mortem inuexit, morte mea depulſus eſt, ac iudicio condemnatus, exutuſq; nocendi poteſtate. Venit princeps mundi huius, & in me nõ habet quidquam. Quibus verborum ſolatijs indicat, Satanam, & quos habet in hoc mundo per peccatum confœderatos, nihil obtinere poteſtatis, vel in Chriſtum, aut illius membra, quæ fide illi adhærent, atque inſita ſunt. Hæ ſalutares ac viuidæ conciones hoc efficiunt in mentibus hominum, qui illius præſidio innituntur, vt excuſſo mortis metu, alacriter aduerſus ingruentes quaſuis tempeſtates ſe muniant, ac præſtent inuictos, magnaque confidentia in has voces erumpant: Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet à laqueo pedes meos. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, non timebo millia populi circundantis me. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Etiamſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo, hoc eſt, Si mihi obijciat

Coloſſ. 2.
Chriſtus deuicit mortem.
Simile ab ære alieno oppreſſis.
Ioan. 16.
Ioan. 12.
Chriſtus ſatanæ formidabilis.
Conſolatoriæ ſententiæ.
Pſal. 29.
Pſal. 26.
Pſal. 3.
Pſal. 22.
Iob. 13.

obijciat horrorem mortis, ac vita ſim ſpoliandus, illi tamen fidam, qui ſua prouidētia rationem inibit, qua me ſeruet. Dominus auxiliator meus, non timebo, quid faciet mihi caro. Et illud Hieremiæ, Ecce ipſi dicunt, vbi eſt verbum Domini? veniat. Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens, & diem hominis non deſideraui, tu ſcis, hoc eſt, non expecto aliunde, quàm à te ſubſidium, ſic vt illos, qui mortē minitantur, pro nihilo ducam nec pertimeſcam. Non ſis tu mihi fortitudini ſpes mea in die afflictionis meæ. paueant illi, non paueam ego. Eodem ardore fidei inflammatus Paulus, ac Dei præſidio innixus cōfidenter pronunciat, nihil vſquam eſſe tam formidabile aut horrendum, quod poſſit pijs mentibus metū incutere, aut à Dei amore ac fiducia illos diuellere. Nam certo mihi perſuadeo, inquit, quod neque mors, neq; vita, neque angeli, ſeu inuiſibiles ſubſtantiæ, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, nec futura, nec vlla alia creatura ſeparare nos poterit à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ita Paulus conſtanter pronunciat illum, qui Deo Patri per Chriſtum inſitus eſt, intrepidè ſubſiſtere contra omnes terrores, vndecunque inciderint, contra incurſus & fremitus hoſtium, contra mortis horrorem, quem vel inimici intentant, vel etiam morbi, aut naturæ lex infert. Quum itaque nihil efficacius metum ac trepidationem mortis humanis mentibus eximat, quàm Chriſto duce, firma in Deum fiducia, qua concipitur certiſſima reſurrectionis ſpes, atque æternitatis expectatio: huc properent ac contendant omnes, hanc ſalutarem doctrinam ſinguli amplectantur ac foueant, infigantque animis, hac ſe in periculis, aut vbi extrema imminent, fulciant, hac pacatam ac tranquillam conſcientiam reddant, huius meditatione dolorem

Pſalm 117. *Heb.* 13. *Cap.* 17. *Hieremiæ locus explicatus.* *Rom.* 8. *Pauli fiducia omnes acuit.* *Pſalm.* 50. *Quid mortis metum eximat.*

doloremanimi diluant, ac mœrorem luctumq́u
quem ex orbitate vel parentum, vel liberorũ co
cipiunt, diſcutiant. Huc ſpectat viuida illa Pau
conſolatio, qua expectatione reſurrectionis ac ce
1. Theſſ. 4. ta æternitatis ſpe fulcit Theſſalonicenſes, illoſq; l
chrymas cohibere vult, nec lugere amicos è viu
Mortuos nõ lugendos more gentili. ſublatos, more gentili. Nolo vos ignorare fratr
de ijs, qui obdormiuerunt (velut ſomno, non mo
te ſopiti) ne dolorem concipiatis, vt cæteri, q
nullam habent reuiuiſcendi ſpem. Si enim cred
Mors ſomnus. mus Ieſum mortuum, & reuixiſſe, ſic & Deus eo
qui obdormierunt, per Ieſum adducet cum illo
Rurſum quum Philippenſes à rebus terrenis abdu
Philip. 3. cit, atque ad ſolidas reuocat, Noſtra, inquit, con
uerſatio in cœlo eſt, ex quo expectamus Dominum
Ieſum Chriſtũ, qui transfigurabit corpus noſtrum
humile, & conforme reddet corpori ſuo glorioſ
ſecundum efficaciam, qua ſibi poteſt ſubijcere om
Quibus metus mortis diſcutiendus. nia. Quo ſermone ſuadet Paulus, vt ſe conſolen
tur ac fulciant in afflictionibus, amore ac deſiderio
æternitatis, atq; in huius vitæ certamine nihil per-
timeſcant, quod illos poſſit auocare à potiore vita,
ad quam nobis viam patefecit Chriſtus reſurre-
ctionis potentia. Quocirca quum ad extremum
vitæ diem deuentum eſt, ac mors imminet, quæ
nulli non formidabilis eſt, niſi Chriſto ſe fulciat,
aut vbi ſanis beneque conſtitutis ſubit aliqua hu-
ius rei cogitatio, vel ſi premit egeſtas, morbi cala-
In Chriſtũ defigendi oculi. mitas, cæteraque vitæ diſcrimina: ad Chriſtum o-
mnia noſtra vota, ſpes, deſideria referamus, qui
morte ſua pœnas nobis debitas exoluit, qui nobis
Coloſſ. 3. condonauit omnia peccata, qui eſt propitiatio
1 Ioan. 2. pro ſceleribus noſtris, qui eſt aduocatus, vt Ioan-
1. Tim 2. nes ait, & interpres apud Deum Patrem, qui eſt
Eſa. 50. conciliator Dei & hominum, & qui, vt Paulus ait,
expoſuit ſeipſum redemptionem ac victimam pro
omnibus.

omnibus. In eo conſtituta eſt ſalus, vita, reſurrectio. Per hunc acceſſum aditumque habemus in vno ſpiritu ad Patrem. Per illius effuſum ſanguinem conſequuti ſumus redemptionem ac remiſſionem peccatorum. Quoniam in ipſo complacitum eſt Patri inhabitare omnem plenitudinem, & per eum reconciliare cuncta erga ſe pacificata per ſanguinem eius. Quum itaque habeamus Pōtificem maximum, vt autor ait ad Hebræos, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei, qui tentatus per omnia abſque peccato afficitur ſenſu infirmitatum noſtrarum: accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiā auxilio opportuno. Huius tanti Ducis præſidio fulti, ac ſtipati ſatellitio, contra omnia dæmonum portenta, quæ confeſtim exorta luce veritatis euaneſcunt: contra peccatum, mortem, infernum ſubſiſtimus, atq; ex malefida vitæ huius ſtatione ad optatum portum, ſedeſque beatas deuehimur. Quod ſiquid in huius vitæ decurſu incommodi atq; infelicitatis acceſſerit, ſiquem conijci contingat in aliquod vitæ diſcrimen, ſi premi paupertate, torqueri morbis, vexari ab inimicis, ingruere vaſtationes ac calamitates, abundare ſcelera, opprimi innoxios, atq; ijs vitam eripi, ſanas ac ſalutares doctrinas contemni, pullulare hæreſes ac perniciosa dogmata, diſſeminari vndique perniciosos errores: in tanta rerum confuſione ad Chriſtum quiſque ſe conferat, ab illo ſalutis præſidia conquirat, in illo totus conquieſcat, illo ſe tanquam ſacra anchora fulciat, denique id Dauidis identidem in animo verſet, Conſtituam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Quibus verbis indicat, ſe oculos in Deum continenter habere defixos, atque illius præſidio niti, illius auxilio in rebus periculoſis ac dubijs ſubſiſtere, non

Ephe.2.

Coloſſ.1.

Ioan.1.

Hebr.4.

Chriſtus pacificator inter Deū & hominem.

Quomodo firmanda mēs imminente morte.

In Chriſto omnium calamitatum ſolamen.

Chriſtus in tempeſtate ſacra anchora.

Pſalm.15.

non vacillare, aut quouis vento doctrinæ circun-
Ephe.14. agi, ſed ſtabilem eſſe & conſtantem, nec à concep-
Heb.13. in Deum fiducia dimoueri, hac vna ratione, quo
Deũ experiatur propitium, atque in omnibus ſi
Pſalm.27. aſſiſtere. Sic vt confidenter in hanc vocem erun-
pat: Ecce Dominus auxiliator meus, & in ipſo ſp-
rauit cor meum, & adiutus ſum, & in ipſo refl-
ruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ill

De nominis Ieſu Chriſti amplitudine, maieſtate, po-tentia: qua vna obſiſtendũ Magicis incantamen-tis, atq; illuſiones Dæmonum expugnandæ, & qua detrimenta, vel menti vel corpori inferi contingat.

C A P. LVII.

QVVM paulò antè demonſtraui, incantamen-
ta arteſque Magicas prorſus extirpandas, nec vll
hominum exercenda maleficia: reſtat vt obiter in-
dicem, qua vi & efficacia, quibus verbis ac preca-
minibus ſubleuentur obſeſſæ afflictæque mentes
Dæmones hominibus infeſti. ac Dæmonum præſtigijs irretitæ, tum quibus mo-
dis faſcinationes eximi poſſint, quas miniſtri caca-
dæmonum miſeris inferunt, illorumq́; mentes &
corpora diuexant. Inſiliunt latẽter in corpora ho-
minum, ac naturæ humanæ vim inferunt, eamque
ſuis facultatibus ſpoliant, aut ſaltem illas immu-
Dæmones humoribus ſe immiſcent, vt contagia corporibus. tant. Immiſcent ſe mali Genij alimentis, humori-
bus, Spiritibus, auræ atque aeri, quem intra corpus
concipimus, ac quo ſpiramus, multaque alia, quæ
nobis vſui ſunt, & valetudo conſeruatur, vitiant.
Quocirca operæprecium me facturum ſum arbi-
tratus, ſi commonſtrem, qua ratione calamitoſi
homines ab ijs nexibus, quibus ſe implicitos ſen-
tiunt & impeditos, cõmodè poſſint extricari. Nam
incommoda ac detrimenta, quibus afficiuntur,
non

non poſſunt in cauſas vllas naturales referri, nec ijs remedijs, quibus vulgares morbi, expugnari. Si morbus vel ægrotatio corporis à crapula, à Venere, laſſitudine, frigore, æſtu, ſatietate, inedia cõtracta eſt: quodque eorum ſuis remedijs expugnatur. At quæ mali Genij inferunt, non prorſus naturalia remedia expoſcunt, ſed diuina ac ſuperceleſtia. Mirantur nonnulli tantam Dæmoni attributam, eiuſque miniſtris poteſtatem, vt ita homines diuexẽt, ſic excrucient. Conniuet Deus, partim ad ea damna, quæ Satanici miſeris inferunt, atque illos exagitari permittit, in eaque re conſtat illi conſilij ſui ac prouidentiæ ratio. partim inſtigat Dæmones eiuſque miniſtros, vt in pleroſque tale quiddam promeritos ſæuiant, illorumque abutitur malitia ad caſtigãdos impios. Sic mittitur ſpiritus mendax in ora omnium prophetarum, quò ſeductus rex Achab pugnam ineat, qua illi præſens exitium parabatur. Nonnunquam detrimenta inferri permittit nonnullis, quò exploret illorum conſtantiam. Sic Iobum paſſus eſt non ſolùm exui bonis ſuis, omnibuſq; facultatibus ſpoliari, ſed in corpore quoque lanienam pati. Quod ipſum Deus fieri paſſus eſt, partim quò exploraret viri conſtantiam, ac reliquos mortales ad malorum tolerantiam excitaret, ne calamitatibus fracti, à Deo deficerent: partim vt declararet potentiam ſuam, qua & ipſius fiducia fretos conſolatur & fulcit, & iam in nihilum redactos erigit, atque in priſtinam dignitatem reſtituit. Diuerſa eſt autem ratio in ijs vulgaribus energomenis, qui à Dæmone obſeſſi ſunt, aut ab illo in aliqua corporis parte diuexantur. Magna enim illorum pars ſtupidi ſunt, atque à Dei cognitione alieni, in quos ille (vt inſtrumentum aptum paratumque) tyrannidem ſuam exercet. Sic Satanas ignauos oppugnat, idololatras, ſuperſtitioſos, in quorum men

Incõmoda quæ dæmones inferũt in naturales cauſas referri nequeunt.

Deus dæmonũ malitia abutitur ad mala caſtiganda.

Cur Deus nos à dæmone diuexari patitur.

3. Reg. 22.

Achab deceptus.

Iob. 2.

Iacob. 4.

Cur Iob à dæmone diuexatus.

Diabolus ſtupidos aggreditur.

rum mẽtibus poti⁹ ſtabulatur, quàm ijs, qui noti
Diuinitatis ſunt inſtructi, ac Dei fiducia ſe fulcii,
quin potius illos exhorreſcit, ac machinas adm
uere metuit, quòd irritos atque inualidos ſuos fo
conatus ac molimina erga illos, qui in excub
ſunt conſtituti, ac Dei præſidio fulti, non dubite
Vt enim arces ac ciuitates nullis ſeptæ mœnibu
nullis munitæ foſſis ac vallis, nullis militum præſ
dijs inſtructæ, faciliimè expugnari ſolent: ita me
tes ſocordes & ignauæ nulla ſalutari cœleſtiq́; d
ctrina fultæ, nulla erga Deum fiducia conſtabilit
Dæmonum verſutijs magis ſunt expoſitæ, ac citiu
labaſcunt. Quum autem Satanæ hoc potiſſimū ſi
in votis, vt Dei gloriam aboleat, vt hominem à ſa
lute abducat, atque ad defectionem ſollicitet, in
tus & foris illum oppugnare non deſinit, ac mod
corpori, modò animæ, nunc vtriſque infeſtus eſt
ac perniciem molitur Exemplum ſuppeditat, præ
ter Cain & Saulem regem, Iudas Iſchariotes, cuiu
quum mentem ad deſperationem ac diffidentiam
adegiſſet, tum vitæ tædio ad laqueum impulit, a
corpus publicitus ſuſpendij contumelia affecit
Quanquam autem Satanas humani generis hoſti
infeſtiſſimus mille inſidiandi nocendique artibus
inſtructus ſit: vnica tamen re cumprimis efficaci
ac præſentanea profligatur atq; opprimitur, nem-
pe ſolida fide, atq; in Deum Patrem per Chriſtum
firma ac ſtabili fiducia, *Met een vaſt ghelooue, ende een goed betrouwen op Godt.* Quo præſidio etiam
depugnandum ſuadet Petrus Apoſtolus contra ty-
ranni illius inſidias, fraudes, impoſturas, dolos,
verſutias, rabiem, ferociam, ſobrietate ſcilicet &
vigilantia fide fulta ac ſtipata. Sic enim oſcitanti-
bus aurem vellicat, Sobrij eſtote, & vigilate, quo-
niam aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo
rugiens, circuit, quærens quem deuoret, cui reſi-
ſtite

Simile ab vrbe parū munita.

Dæmon ad noxia quæque hominē incitat,

Gene.4.
1.Reg.31.

Matth. 29.

Dæmō profligatur Dei fiducia.

Petrus contra Dæmonem nos inſtruit.

1.Pet.5.

ſtite ſolidi fide. Hæc enim, vt Ioannes ait, eſt victoria, quæ vicit mundum, fides noſtra. Nam fiducia, qua nitimur Chriſto, & nos totos committimus tali propugnatori, contra dæmonas ac principes huius mundi, nobis victoriam parit ſic, vt opima ſpolia à victo deiectoque hoſte referamus. Quum itaque aliquid contra aduerſarium moliri viſum eſt, atque obſiſtere incantamentis ac faſcinationibus (*Toverie* Belgæ vocant) vel malos Genios ex hominum mentibus exigere: Ieſu Chriſti fiducia id perfici debet, contempta anili ſuperſtitione, ac gentili vanitate, cæteriſque Magicis execrationibus. Deus enim per filium, qui eſt ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius; omnia perficit in omnibus, ac moderatur ſingula verbo potentiæ ſuæ. Hanc prærogatiuam promeruit ob ſingularem erga Patrem obedientiam, humilitatē, modeſtiam. Quū enim eſſet in forma Dei, hoc eſt, illi par & æqualis, nō rapinam arbitratus eſt, vt eſſet æqualis Deo, ſed ſeipſum deiecit, forma ſerui aſſumpta, atque humilem ſe præbuit, factus obediens vſque ad mortem crucis ignominioſam & execrabilem. quapropter Deus illum extulit in ſummam ſublimitatem, & illuſtrauit illum nomine; quod excellit omne nomen, vt in nomine Ieſu ſeſe flectat omne genu cœleſtium, terreſtrium & inferorum, omniſq; lingua cōfiteatur & agnoſcat, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus in gloriam Dei Patris, in quem redundat & refertur omnis gloria filij, & ediuerſo. Siquis itaq; aliquid aggredi meditatur, ſi mentes afflictas ſubleuare, ſi è corporibus cacodæmones expellere; inuocato Deo Patre nominis Chriſti fiducia id perficere tentet. Sic enim omnia conſequetur, ſuoq; voto non fruſtrabitur. Huius admirādi auguſtiq; nominis vi & potētia (modò nequis hęſitet; ac Dei promiſſis diffidat) miteſcūt morbi,

1. Ioan. 5.

Chriſti fiducia abigendi dæmones.

Heb. 1.

Chriſto omnia attributa.

Philip. 2.

Chriſtus Deo par.

Amplitudo nominis Ieſu.

Res ardua Chriſti nomine perficiuntur.

affectus atq; animi perturbationes ſopiuntur, ten-
peſtates & maria conquieſcunt, cacodæmones, v
Marci Vlt. Chriſtus iam aſcenſurus in cœlum pollicetur, di
Christi fiducia expugnatur omne gen9 malorum. fugiunt, venena hebeſcunt, ſerpentes torpent, a
redduntur innoxij, diſpelluntur mentis tenebra
terror & formido, mortiſq; horror diſcutitur, di
ſipantur atq; euaneſcunt cogitationes noxiæ, m
tranquillitatem ac pacatam conſcientiam conc
pit ſic, vt nuſquã quidquam poſſit ingruere, quo
terrorem incutiat. quum Deus Pater per Ieſum
Chriſtũ ſpiritu ſuo nos fulciat. Quocirca in Deum
viuentem ductore filio erigenda mens eſt, atqu
omnia, quæ aggredi ſtatuis, mirifici nominis Ieſ
Matth.29. virtute perficienda memineris. Illi enim data e
Marci 16. omnis poteſtas in cœlo & in terra. Nec eſt aliu
Actor.2. nomen ſub ſole, in quo conſiſtit ſalus, quod impij
eſt terribile, dæmonibus tremendum, ijs verò, qu
illi fidunt, potentia, ſapientia, ſalus, vita, reſurre
Act.4. ctio. Ipſe eſt conſtitutus à Deo iudex viuorum &
1. Cor.1. mortuorum Ieſus Chriſtus, teſtis fidelis, princep
Apoc.1. regum terræ, qui dilexit nos, & lauit à peccatis no
ſtris per ſanguinem ipſius. Huic, vt Petrus in Acti
Act.10. Apoſtolicis ait, omnes prophetæ teſtimonium fe
runt, quòd remiſſionem peccatorum accepturu
Ioan.17. ſit per nomẽ eius, quiſquis crediderit in eum. Hæ
In Christo peccatorũ remiſsio. eſt vita æterna (quod teſtimonium Chriſtus Patr
defert) vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &
quem miſiſti Ieſum Chriſtum, in quem tota vis Di-
uinitatis, & quidquid Deo aſſcribi poteſt virtutis &
ſapientiæ, refertur ac deriuatur. Quum itaque no-
men hoc tam ſit celebre ac ſacroſanctum, tantæq;
maieſtatis & potentiæ: ſtudioſè obſeruandum, ne
inaniter atque irreuerenter vſurpetur, vt exorciſtę
Act.19. illi ridiculi factitabant, qui cùm certis ritibus ac
conceptis verbis ad quæſtum & oſtentationem ſpi-
ritum noxium profligare tentarent, Ieſu nomine,
cuius

cuius virtute Paulus miracula peregit, abuſi: in magnum periculum ſe coniecerunt, fuitque illis damnoſa adiuratio, aut potius ludificatio. nam obſeſſus à Dæmone in illos inſilijt, & crudeliter dilacerauit ita, vt fuga ſibi conſulere ſint coacti. Non defuerunt etiam noſtra memoria ſacrificuli, qui cùm nulla fide nominis Chriſti, nulla vitæ integritate imbuti, tale quiddam attentarent, à cacodæmone irriſi ſunt, & pudore affecti ſic, vt re infecta tremebundi decedere cogerentur. Si quis autem tale quiddam moliri velit, maloſque Genios ex hominum corporibus profligare: Petri & Ioannis exemplum imitetur, qui nullis ambitioſis verbis vſi, in hunc modum claudum erexerunt, In nomine IESV CHRISTI NAZARENI ſurge & ambula. & ille confeſtim, firmatis cruribus ac talis, exiliẽs conſtitit, & ambulauit, intrauitque cum illis in templum, ſaliens & inambulans, & laudans Deum. Quum itaque Ieſus Chriſtus vnigenitus Dei filius Patri coæuus & æqualis, in quo ſunt omnes ſcientiæ ac ſapientiæ theſauri abſconditi, moderetur omnia verbo potentiæ ſuæ: par eſt, vt concepta ac collocata in Deum per Ieſum Chriſtum fiducia, illius virtute ac præſidijs obſiſtamus Satanæ, peccato, inferno, & ſi qua ſunt alia homini infeſta. Eſt autem excellens magnitudo, robur, potentia, fortitudo, quam Deus pro ſua virtute exeruit in Chriſto, vt Paulus ait, cùm ſuſcitaret eum ex mortuis, & ſedere fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem poteſtatem & principatum, & dominium, & ſupra omne id, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, verùm etiam in futuro. Et ille omnia ſubiecit ſub pedes illius, eumque dedit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus implet, id eſt, Chriſtus eſt, per quem Deus complet, abſoluit, perficit

Petri & Ioannis miraculum.

Exorciſtæ dilaniati.

Huius temporis exorciſtæ futiles & inani doctrina imbuti.

Act. 3.

Chriſto aſſeritur omnis gloria.

Coloſſ. 1.

Heb. 1.

Ephe. 1.

Chriſtus caput eccleſiæ.

Chriſtus omnia in omnib. perficit.

ficit omnia in omnibus, præſertim in ijs, qui illi fidunt,& vt paulò antè Apoſtolus ait,obſignati ſunt ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus & arrabo hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitæ ac partæ poſſeſſionis, in laudē gloriæ ipſius. Quocirca Paulus,qui innumeris certaminibus aſſueuit, multoſq; inſultus perferre coactus eſt, ſuadet omnibus,ſiquando pericula imminent, mors intentatur, Satanas mentem oppugnat, forti infractoque animo illis obſiſtant atq; obluctentur. Sic enim Ephesios animat ac fulcit: Quod ſupereſt fratres mei, cōualeſcite & præbete vos fortes in Domino, perq; potētiam roboris illius, induite totam armaturā Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus aſſultus Diaboli. Quoniam nō eſt nobis lucta aduerſus ſanguinē & carnem, hoc eſt, fragiles & moribundos homines, tametſi & illi aliquando infeſti ſunt, ſed aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarū ſæculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. Qua verborū copia ac ſententiarum vbertate, tum eleganti Metaphora deſumpta à conflictu atq; hoſtili incurſione, indicat, ſpiritus Dæmoniacos, illorūq; ſatellites & miniſtros miro aſtu ac ſtratagemate inſidias moliri ijs, qui Chriſto addicti ſunt ac nomen dederunt. Quapropter quū ſint tam formidabiles hoſtes noſtri,& ſpirituali aſtutia inſtructi, quibus armis ijs ſit obſiſtendū, obiter commonſtrat. Aſſumite, inquit, vniuerſam armaturam Dei (exemplo ſumpto ab ijs, qui benè muniti in aciem prodeunt, atq; in procinctu ſtant) vt poſſitis reſiſtere aduerſario, atq; omnibus peractis cōfectoq; negotio ſtare, vt ij, qui non vertuntur in fugam & terga vertere ſunt coacti. State igitur lumbis circūcinctis baltheo veritatis,& induti loricam iuſtitiæ,& calceati pedibus, vt parati ſitis & alacres ad Euangeliū pacis. Super omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia ia-

Chriſtus fulcit nos in afflictionibus.

Epheſ. 6.

Simile à militari induſtria.

Arma militia Chriſtianæ.

Ephe. 6.

ula mali illius ignita extinguere. Galeamq́ue ſalutis accipite, & gladiũ ſpiritus, qui eſt verbũ Dei: *Oratio armat contra Dæmonem.* quibus adijcit velut ſuccenturiata præſidia precationes atq; obſecrationes aſſiduas, quę hoc efficiũt, vt victoriã conſequamur, ac Deus in tam ancipiti certamine, tamq́; dubio nonnunquã belli euentu, parũper afflictos, & velut in ruinã inclinatos, vt Petrus ait, qui in eodem argumento verſatur, inſtauret, ſtabiliat, roboret, fulciat. *1. Pet. 5.* Quum aũt tanti fuit olim apud ſui ſtudioſos Pythagoræ auctoritas, atq; ita æſtimata illius doctrina, vt oraculi loco habita ſit, & tanquam ex tripode dicta, adeò, vt incunctanter ad perſuaſionem, quaſi refragari foret nefas, *Argumentum ab autoritate Chriſti.* Αὐτὸς ἔφα, Ipſe dixit, dubitanti obijcerent: par eſt, noſtræq́; ſalutis ratio exigit, vt eundem honorem ac reuerentiam Ieſu Chriſto deferamus, atq; in aſſerenda illius doctrina, in ſtabiliẽda fidei profeſſione ſurdis tardiſque auribus inſonemus, ΠΙΣΤΕΥΣΟΝ, ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ ΣΩΤΗΡ. CREDE, IPSE DIXIT SERVATOR. *Ipſe dixit, Chriſto aſſerendum.*

Illius enim doctrina non eſt humana, non diluta, non frigida, ſed viuida, ſalutaris, efficax, diuina, & quæ beatitudinem homini conferat, quam ynam à Chriſto peti par eſt, qui eſt fons omnis ſapientiæ & bonitatis, & in quo inhabitat omnis plenitudo Dei corporaliter, per quem ſumus completi. *Chriſti doctrina omnem ſapiẽtiam ſuperat.* *Coloſſ. 1. 2.* Per hunc, vt Paulus ait, Deus Pater eripuit nos à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij ſui dilecti, per quẽ habemus redemptionem in ſanguine ipſius, remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inconſpicui, primogenitus vniuerſæ creaturæ; vtpote per quẽ omnia creata ſunt, quæ in cœlo ſunt & terra, viſibilia & inuiſibilia, throni, dominationes, principatus, poteſtates. *Deus in Chriſtum omnia profudit.* Omnia per illum & in illum condita ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & per illum cuncta ſubſiſtunt. Et ipſe eſt

caput corporis Eccleſiæ, principium & primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus primas tenens, ac principatum obtinens. Quoniam in illo cōplacitum eſt Patri inhabitare rerum vniuerſarum plenitudinem, & per eum cuncta reconciliare erga ſe pacificata per ſanguinem crucis eius. Quum itaque Deus Pater tam cumulatè ac profluenter omnia in Chriſtum effudit : ad vberrimū atq; inexhauſtum hunc fontem certatim properemus, ac ſumma fiducia ab eo nihil non petere & ſperare audeamus, nihil non perficere tentemus. Si viſum eſt profligare Dæmones, mederi morbis, eximere ſe periculis, virulentas beſtias conficere, venena diluere, atque innoxia præſtare, montes loco dimouere : hęc omnia viribus ac virtute Ieſu Chriſti, eiuſque fiducia peragenda memineris. Pollicetur enim Chriſtus fidenti omnia plana, aperta, facilia, quod poſtrema concione, antequam in cœlum ſublatus eſt, ſuis teſtatum eſſe voluit, cùm inquit : Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequētur, In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſiquid mortiferum biberint, non eis nocebit, ægrotis manus imponent, & benè habebunt, hoc eſt, confeſtim ad contactum conualeſcēt. Hæc omnia ſemper præſtò erunt, vbi profectus atque vtilitas Euangelij exiget miraculum. At in animis iſta nunquam non præſtantur ab Euangelicæ profeſſionis miniſtris, cùm fœda vitia mentibus eximunt, cùm efficaci vi ſpiritus & ſalutari doctrina morbis animi medentur, cùm cor ab auaritia, odio, ira, libidine, calumnia, obtrectatione, alijſq; venenoſis affectibus liberum efficiunt, ac diuinis dotibus exornant.

Vis fidei.

Marci 16.

In animis edita miracula.

An-

In Herbæ & Gemmæ aliquam vim conferant in profligandis Dæmonibus, ac depellendis rebus alijs noxijs.

CAP. LVIII.

TAMETSI herbæ eum præcipuè vſum, eaſq; vires inſitas habent à naturæ Opifice, vt alimenti ratione ac medicamenti corporibus humanis accommodentur: ſunt tamen veterum ſcriptis nobilitatæ aliquot ſtirpes, quæ maleficijs obſiſtant, atq; incantamenta omniſq; generis faſcinationes abigant ac propulſent. Appellantur hæc alexicaca ſiue amuleta, quod noxia quæque atque homini infeſta amoliantur ac depellant. Hæc vis præter herbas, etiam gemmis ac pretioſis lapidibus attribuitur, quam conſequuta ſunt non à primis qualitatibus, hoc eſt, temperamento caliditatis, frigiditatis, ſiccitatis & humiditatis, ſed ſpecifica vi, & occulto effectu, abditaque proprietate; cuius cauſa prorſus explicari nequit.

Herbæ ad multa efficaces.

Gemmæ occulta vi imbutæ.

Sic Magnes attritu ferrũ allicit, Gagates & ſuccinum paleas & feſtucas, Saphyrus, qui cœleſti & cæſio colore eſt, caſtitatẽ tuetur. Hyacinthus & Chryſolithus digito annulari geſtat⁹, peſti obſiſtit. Smaragdus & Praſius viridantes gemmæ cor exhilarant. Eranos, hoc eſt, Cyanos & Cæruleus, vulgò Turcoſa, à lapſu, caſu & ruina præſeruat, aut ſi tale quiddam inciderit, corpus illæſum præſtat. Corallium collo admotum turbulenta ſomnia abigit, & nocturnos puerorum timores compeſcit. Carbunculus & Sardius lapis, vulgò Corneolus à corni arboris rubicunda bacca nomen ſortitus, diffuſo per corpus ſanguine, hilaritatem excitat, & colorem floridum. Sic aliæ gemmæ alijs virtutibus pollent, ac Lemures, Stryges, Incubos, Genios aereos arcẽt atque abigunt, ſi veterum monumentis habenda fides.

Magnes. Succinum. Gagates. Saphirus. Hyacinthus. Chryſolithus. Smaragdus. Praſius. Eranos. Ceruleus. Corallium. Carbunculus. Sardius.

fides. Sic inter herbas ſunt, quæ morbis, qui multũ habent affinitatis cum Dæmonũ vexationib & torturis, obſiſtunt. Quales ſunt melancholia, phreneſis, mania, epilepſia, & ſæuiſſimi morbi, qui virgunculis ac viduis ex veteri affectu emergunt, aut vbi vel ſerius ijs mẽſes profluunt, vel tardius coniugio deſtinantur. Siquidem ex fumis atque atra denſaque fuligine mens ita afficitur, vt à noxio aliquo Genio vexari videantur, ac ſibi perſuadeant, Dæmonem obſidere mentem, qui ad multas abſurdas imaginationes illas impellat. Cui malo, tentata circa talos primùm venæ inciſione, adhibentur ſalutares herbæ, quæ illos ab huiuſmodi accidentibus liberent, vt ſunt arthemiſia, ſatureia, ſerpillũ, tymbra, pulegium, origanum, gallitricum. Inter herbas aũt, quæ afflictas mentes releuant, ac vel à Dæmone, vel concepta illius imaginatione, vel venenatis fumis, qui cerebrũ vitiant, præſtant immunes, referuntur ruta, ſcilla, ex cuius ſucço & orymelitis & acetum conficitur, Oſteritium, vulgò magiſtrantia, Angelica, ſpõdylij vel laſerpitij ſpecies, Aliſſon vel Rubia minor, quæ canis rabiem atque à rabido cane demorſos ſanat, Qui affectus non prorſus alienus ab ijs, qui à Satana diuexantur ac furiunt: Roſmarinus ædes luſtrat, atque in limine ſuſpenſus huius ſtirpis frutex Dæmones abigit, & peſtis contagiones, vt etiã Ricinus, qui palmę Chriſti nomine paſſim innoteſcit, quòd folia in expanſę manus formam ſint effigiata. Sic Corallium, peonia, viſcus frutex morbũ comitialem expugnant, vel à collo ſuſpenſa, vel etiam ex vino propinata. Quorum nonnulla ſiquis exhiberi poſſe putet exturbandis Dæmonibus: abſit vanitas & gentilis ſuperſtitio, abſint futiles precationes & verba quædam exotica, quibus ferè ſuas incantationes perficiunt, qui Magicas artes profitentur. Siquid hęrbæ habẽt virium,

Horrendi morbi herbarum præſidio expugnantur.

Ruta.

Scilla herba.

Oſteritiũ.

Aliſſon.

Libanotis vel Roſmarinus.

Ricinus.

Epilepſia contraria.

virium, vt experientia demonſtrat, id memineris à Domino cōſequutas. Omnia enim medicamēta & ſtirpes, quæ corporibus humanis applicantur, non ſui ratione, ſed Dei munere efficacia ſunt, ac ſalubrem effectum conſequuntur. Itaque ſiquid herbarum præſidio perficere ſtatuis, non tam herbis, quàm Deo fidas. Sic enim in propulſandis morbis res optatum felicemque ſucceſſum eſt habitura. aliâs conatus in diuerſum rapitur, atque artificem fruſtratur euentus, vbi nulla ſubit Opificis, à quo omnia effectum ſortiuntur, cogitatio, aut abeſt erga illū fiducia. Hinc Aſa rex Iuda, quum acerrimo pedum dolore affligeretur, nec Deum in cōſilium adhiberet, ſed tantum medicis fideret, nihil opis ex illorū fomentis ſenſit, ſed articulari morbo (vt hiſtoria teſtatur) immortuus eſt. Non enim Deus medicorū opera vti prohibet, ſed illis plus nimio fidere, nullamq; habere eius rationem, qui ſanitatem præſtat, & cuius munere omnia ſunt efficacia. Quin & ſuperſtitioſè faciunt, & rem aggrediuntur ab idololatria non prorſus alienam, qui herbas fictitijs quibuſdam precaminibus conſecratas incantationibus adhibent, aut etiam morbos illis excantare pergūt. Sic filicem ſolſtitio æſtiuo, intempeſta nocte erutam, rutam trifolium, verbenam Magicis impoſturis accommodant, quibus rudi atq; imperitæ plebi imponunt, fumoſq; offundunt, quò aliquid ab ijs corradant, atq; argento illos emungāt. Quum tamen vani illi artifices nunquā diteſcant. Hæc ſtudioſe lector huic argumento inſerenda duxi, quo quiſq; à Magicis incantamentis abſtineat, atque obſeruet, à quo ſalutis ac ſanitatis præſidia petenda ſint, & qua ratione (contempta vanitate ac ſuperſtitione gentili) obuijs paratiſque remedijs vti deceat, quæ à Dei munificentia nobis affluenter ſunt conceſſa.

Herbæ à Deo effectum conſequūtur.

Aſa Rex cur non eſt ſanitatem cōſequutus

3. Reg. 15.
2. Par. 16.
Pſalm. 7.

Herba magicis incantamētis nō accommodandæ.

De

De maieſtate & potentia ſupremi Numinis: & quàm varias appellationes vnica Dei eſſentia tribus perſonis diſtincta ſortiatur. Cuius rei contemplatione humanus animus tranquillitatem & ſolatia, ſummamq; erga Deum fiduciam concipit.

CAP. LIX.

Dei natura immutabilis. *Ioan.* 1.

QVONIAM præſtans illa ac præpotens natura Deus, ipſaque æterna mens ab omni concretione mortali immunis ac libera in immenſum ſe porrigat, atque vndique diffuſa, ſingula regat ac moderetur, ſuaq; vi imbuat: ob id vna Deitas, propter virtutem atque operum excellentiam, varijs deſignatur nominibus, multiſq; præclaris elogijs illuſtratur, cùm apud Hebræos, tum alias nationes, quibus aliqua Diuinitatis cognitio obtigit. Sic in ſacra hiſtoria Iehoua dicitur, El Eloim, Adonai, Emanuel. quorum quodque peculiarem vim ac virtutem deſignat, magnamque poteſtatem Deo attribuit, quam in res inferiores exercet. Vnde cùm præcepta legis ſolicitè obſeruāda proponit Iudęis, quò maior illi accederet autoritas & veneratio. Ego ſum, inquit, Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti & domo ſeruitutis. Nō habebis Deos alienos coram me. Nomine tam ſacroſancto ac mirifico, rerum omnium exiſtentium imperiū & dominatum ſibi aſſerit. Nam quum ſit fons & origo totius vniuerſi, atque ſolus per ſe exiſtat, omnibus ſubſiſtendi vim confert. Quamobrem par eſt, vt eius imperio & mandatis mortales omnes pareāt, illiuſque legibus ſubijciantur, nec ab alio, quàm ab eo, qui ſolus ab æterno exiſtit, ſalutis præſidia conquirant, aut aliò ſe diuertant. Quod Hebræi Iehoua, Græci ΑΤΟΦΥΗ, Latini Exiſtentem, Germani inferio-

Deus varia nomina ſortitur

Exod. 20. *Deuter.* 5.

Iehoua ſingulare Dei nomen.

Deo ab effectu nomē aſſignatur.

inferiores *Een eewich goddelick wezen* dicunt. Itaque à pluribus rebus deſumitur diuinæ eſſentiæ appellatio. A prima & perpetua exiſtendi vi & potentia, ab æternitate, à magnificentia, maieſtate, dominatu, imperio, cui omnia ſubſunt, & qua res omnes conditas regit, ac ſumma prouidentia moderatur. Sortitur quoque nomen Deus à placabili- *Oſeæ* 3.
tate, manſuetudine, clementia, qua vtitur erga ho- *Ioelis* 2.
mines, qui rebus afflictis ac deploratis illius opem *Naum* 1.
ac ſubſidium implorant. Nam, El, Hebraica vox, Dei clemētiam exprimit iuſtitiæ coniunctam, qua pios fulcit ac tuetur, & improbos caſtigat, atq; in-
cuſſo terrore, à ſceleribus reuocat. A luce, qua ca- *Naum* 2.
liginem & nebulas mentiſque errores diſpellit, at- *Oſe.* 11.
que animos tenebroſos veritatis ac cognitionis luę
lumine illuſtrat. Sic Chriſtus: Ego ſum lux mundi, *Ioan.* 1.
qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Ab igne, quo pios inflammat vritque amore Diuinitatis, atque illorum mentes ſalutari viuidaque doctrina imbuit. Aduerſarios verò, & qui nulla ducuntur erga Deum reuerentia, nullo metu, conſumit, atque vt ignis arida nutrimenta ac fomitem,
in nihilum redigit. Quocirca ſuadet Moſes & Pau- *Deut.* 4.
lus, reuerenter ac religioſè Deum colendum, quò *Heb.* 13.
illi ſimus accepti. Eſt enim Deus noſter, inquit, ig- *Mich.* 6.
nis conſumens. quare ſubmiſsè quiſque ſe apud il- *Oſe.* 2.
lum gerat. Aſſignatur quoque Deo nomen à boni- *Deum Belgæ*
tate ac munificētia, qua vtitur erga ſuos, quos non *Godt à*
ſuſtinet premi vlla rerum egeſtate, aut inopia ta- *bonitate*
beſcere: ſed de omnibus affatim illis proſpicit, atq; *vocant.*
affluenter ad vſum neceſſaria largitur, cùm externa bona, tum animi tranquillitatem ac pacatam mentem. A pietate ac paterno affectu, quo ſuos
complectitur, illorumque ſaluti ac commodis pro- *Hier.* 3.
ſpicit, Pater dicitur. Sic Deus apud Hieremiam, Pa- *Malach.* 1.
trem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. *Hier.* 1.
Rurſus, *Eſa.* 63.

Rurſus: Factus ſum Iſraeli pater, & Effraim progenitus meus eſt, & deducam illos per torrentem aquarum in viam rectam, & nō impingent, hoc eſt meis veſtigijs inſiſtent, me comitabuntur, meæque voluntati acquieſcent, & ego illos tutos præſtabo in omnibus vijs ſuis, nec quidquam illis accedet incommodi, nec vlla inferetur iniuria, nulla clades, nulla calamitas. Eſaias autē ſpecioſiſſimos titulos ac triumphales cōmemorat, quos Deus pater Chriſto attribuit, quò quiſque cognoſcat, quid Seruator Chriſtus natiuitate, morte & reſurrectione ſua ipſoq; in cœlū aſſenſu nobis contulit. Sic enim vates Chriſti magnificētiam, ſplendorem, gloriā, decus, potentiā, amplitudinem exprimit, quorū nihil nō in noſtrū vſum & cōmoditatem redundat, vnde Emanuel dictus, hoc eſt, nobiſcū Deus. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerū eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Innumera ſunt atque infinita, quæ huic immēſæ maieſtati accommodari poſſunt. imò quę ipſe ſibi attribuit. Sic Medicum ſe vocat, quòd ſanitatem mentis & corporis præſtet, ac cùm externis, tum internis hominum vitijs medeatur. Paſtorem, quòd ſumma cura ac vigilantia gregi proſpiciat, ac diſſipatas oues colligat, illaſque ſalutari pabulo verbi ſui paſcat ac reficiat. Sic Chriſtus ſe vitem fructiferam vocat, Patrem verò agricolam, nos palmites viti inhærentes, quos ille purgat, ex eaque inutiles frutices reſecat, hoc eſt, ſuperuacaneas cupiditates amputat, quò plus fructus proferant. Quos verò reperit infructuoſos ac prouentu annuo deſtitutos (qua Metaphora deſignat illos, qui nullum fidei fructum proferunt) vt inutile ſarmētum atque aridum, nulloque ſucco imbutū igni deputat. Paulus quoq; non diſſimili vtitur Metapho-

Eſa.9. *Emanuel quid deſignet.* *Hiere.5.* *Oſea 7.* *Eſa.3.* *Matth.9* *Eſa.40.* *Ioan.16.* *Pſal.78.* *1. Pet 2.* *Ioan.15.* *Simile à Vite.* *1.Cor.3.*

Metaphora, ab agri colendi ſtudio, atque architecturæ induſtria deſumpta. Sublatis enim ſopitiſq; ſimultatibus, quibus inter ſe diſſidebant Corinthij, atque intumeſcebant doctorum ſuorum nomine, alius aduerſum alium: vt noſtro nunc ſæculo factitari videmus, commonefacit ſingulos, vt ſiquid ſalutaris doctrinæ conſequuti ſint, id non miniſtris attribuant, ſed in Deum bonorum omnium autorem tranſferant. Nos, inquit, adiutores ſumus, & veluti conducti operarij. Dei negotium agimus, illi noſtram approbamus induſtriam, illi noſter labor deſudat. Vos eſtis Dei agricolatio & velut fundus, quem cultiorem reddimus ſemente ſalutaris doctrinæ. Vos eſtis ædificium & ſtructura, quæ aſſurgit in illius gloriam. Cæterùm quod ad Dei amplitudinem ac maieſtatem ſpectat, nihil excogitari poteſt, aut mente concipi tam ſublime, magnificum, illuſtre, excellēs, ſpectabile, eximium, nihil denique omnibus ſuis numeris, omniq́ue virtutum genere tam abſolutum, quod non in Diuinā eſſentiam meritò referri, aut illi accommodari debeat. Illius Sapientia, moderatrix rerum omnium, qua mundi hanc vniuerſitatem inſcrutabili ſuo cōſilio ac prouidentia conſeruat ac tuetur, incōpræhenſa eſt, inexplicabilis, infinita adeò, vt tantarū rerum ordo & ſeries omnes in admirationem Opificis atque amorem rapiat. Illius Fortitudo, robur & potentia, qua hoſtes deijcit, ac pios fulcit, inexpugnabilis eſt & inuicta. Nihil eſt enim, quod illius viribus non cedat, nec vllæ arces, munitiones, propugnacula, quantumuis firma, quæ illius potentiæ obſiſtant. Illius iudicium & iuſtitia, qua cuique ſua diſtribuit, ac pro dignitate ſuiſq́ue meritis pręmia decernit, recta eſt, legitima, ſancta, ſincera, laudabilis, ac ſummæ æquitatis, adeò, vt à nemine (niſi iudicij ſit deprauati) calumniam mereatur.

Simile ab architectura.

Apoſtoli Dei miniſtri.

Deus abſolutum virtutis exemplar.

Sapientia Dei. *Pſal.* 31. 32. 103. 146. *Ephe.* 2.

Fortitudo Dei.

Potentia Dei. *Pſal.* 27. 62 *Eſa* 25. *Prouerb.* 8. *Luca* 2.

Iuſtitia Dei. *Pſalm.* 18. 47 84. *Pſal.* 16. 22. 144. 16.

Miſericordia Dei, profugium peccatorib. mereatur. Illius Miſericordia, clementia, placabilitas, quæ nulli non prophetarum amplè & magnificè decantata, immenſa eſt, omneſque illius virtutes ſuperat. Ad eam enim omnes, qui iuſtitiā eius pertimeſcunt, tanquam ad aſylum confugiunt, at-
Pſal. 32.56. *Coloſſ.* 2. queſubſidium implorant. Hæc pauidis mentibus deſperationem ac diffidentiam eximit. Hac Spiritus paracletus labantes ſolatur ac fulcit, inſertaque ſpe ac fiducia conſequendæ ſalutis ad thronū gratiæ impellit, quò miſericordiam (*Remis ende quytſcheldinge van miſdat* Belgæ vocant) conſequantur, ſic vt nihil ſit, quod illis poſſit imputari, aut mortis reos agere. Hanc quum Paulus eſſet exper-
Hebr. 4. tus, ex perſequutore in Apoſtolum aſcitus, ſic animos hominum dubios ac vacillantes fulcit, atque ad Dei miſericordiam ſuo inſigni exemplo prouo-
1. *Tim.* 1. cat, Quum prius, inquit, perſequutor eſſem, blaſphemus, violentus: miſericordiam adeptus ſum, quòd ignorans feci per incredulitatem, hoc eſt, ex-
Miſericordia Dei Paulo decantata. pers fidei, & conſilij diuini ignarus. exiſtimauit enim, quum Chriſtianos inſectaretur, obſequium ſe præſtare Deo. Quò autem omnibus ſalutis ſuæ ratio habeatur, & cuique teſtatum ſit, peccata expiari
Ioan 16. ſanguine Chriſti, ijs, qui illi fidunt, aſſeueranter firmaque aſſertione Paulus pronunciat, Certus ſer-
Paulus omnes extimulat, vt Dei miſericordiæ ſe cōmittant. mo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret, quorum ego primus ſum. Verùm ideò miſericordiam conſequutus ſum, vt in me primò oſtenderet omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri ſunt in illum in vitam æternam, hoc eſt, ſpe & expectatione regni cœleſtis. Quod beneficium quum totum transferri debeat in cœleſtem Patrem, nec deceat illum debita laude, ſuoque præconio fraudari: Regi, inquit, ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſa-

pienti

enti Deo honos decus, & gloria in perpetuum men. Petrus quoq; ob redemptionis myſterium item laudem defert Deo Patri Domini noſtri Ieſu hriſti, qui iuxta copioſam ſuam miſericordiam generauit nos in ſpem viuam per hoc quòd reſurxit Ieſus Chriſtus à mortuis in hæreditatem immortalem, incontaminatam & immarceſcibilem poſitam in cælis erga nos, hoc eſt, noſtri amore. oſtquā enim benignitas atq; erga homines amor humanitas apparuit Seruatoris noſtri Dei nullis oſtris meritis, nec ob iuſtitię opera quæ fecim⁹, ſal os fecit nos, ſed pro ſua miſericordia per lauacrū egenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quē ef udit opulentè per Ieſum Chriſtū ſeruatorē noſtrū, t iuſtificati illius gratia, heredes efficeremur iuxta pem vitæ æternæ, qui ſermo certus eſt & indubiatus, omnibusq; mod s ſingulorum animis infiendus. Quum itaq; tantus ſit erga genus humanū Dei amor & propenſio, is fauor & charitas, vt præer vſum & commoditatem rerum omnium etiam ilium ſuum vnicè dilectum homini redimendo mpenderit, quò Chriſti morte & reſurrectione reconciliationem & gratiam conſequeretur: par eſt atq; id ęquitas, impēſiq; beneficij gratitudo expoſcit, vt quiſq; noſtrum omnē ſpem ac fiduciam in illo conſtituat, illum ſummis laudibus proſequatur, illi vitam ac mores approbare ſtudeat, illi fide placeat nō equidem otioſa & inani, ſed operibus charitatis fulta ac ſtipata; illi abnegata impietate, reiectiſq; carnalibus deſiderijs, ſe totum conſecret, ac ſobriè, iuſtè, ac piè viuat in hoc ſeculo, expectans beatam ſpem & apparitionem gloriæ magni Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui exhibuit ſe pro nobis, quò redimeret nos ab omni iniquitate, & purgaret ſibi populum peculiarē ſectatorē bonorum operū. Hac enim inſtituendæ vitæ ratione concepto ſpiri-

1. Petr. 1.

Petrus Dei miſericordiā eſſert in immēſum.

Tit. 3.

Deo approbanda noſtra vita

Fides fructibus exornatur.

Tit. 2.

Rom. 5.

tu Paracleto fouebitur pax & ſecuritas in mentib
noſtris, excuſſaq; trepidatione ac mortis metu
ad immortalitatem, ſedesq; beatas, Chriſto duc
Mors vera innouatio. patebit ingreſſus. Non eſt aũt Mors corporis inter
tus, ſed innouatio, nõ naturę extinctio, ſed alteriu
vitæ veſtibulum, ac ianua primuſq; ad cæleſten
Ciuitatem aditus, atque introitus ad æternitaten
De cuius rei certitudine non eſt quod quis amb
gat, aut Dei promiſſis diffidat. quum ipſa Verita
Deus verax in promiſsis quæ non fallit, fideliter præſtet quod eſt pollicita
Eſt enim Deus verax: omnis homo mẽdax, hoc eſt
Deus neminẽ fallit, neminẽ decipit, nec ſua ſpe &
Pſal. 61. 115. expectatione quenquã fruſtratur, nõ eſt vanus poll
citator, aut promiſſor inanis, more hominũ qui rũ
Rom. 3. punt fœdera, reſcindũt pacta, pollicitis vafricie qu
dã veteratoria ſe eximũt, atq; elabuntur, ſed eſt con-
ſtãs, ſtabilis, firmus ſummaq; fide pręſtat & exolui
quod eſt pollicitus, & quod ſe recepit facturum. Om
Homo mendax quem ſenſum habet. nis autem homo mendax, hoc eſt, fallax, futilis, lu-
bricus, leuis, inconſtans, mutabilis, dubius, vacillãs,
varius, fraudulentus, vanus, captioſus, infidus, &
qui aliud ſtans, aliud ſedens loquatur ita, vt nemo
tutò illi poſſit fidere. Quæ vitia à Diuina maieſtate
ſunt alieniſſima, vt in quã nulli cadũt affectꝰ huma-
ni. Quocirca illi potiſſimùm ſumma fiducia inni-
tendum, in illum omnia noſtra vota, ſpes, deſide-
ria transferẽda, ſeu pericula & calamitates, ſeu mors
In vitæ diſcrimine ad Deum cõfugiẽdum. atq; extremus cõflictus imminet. Omnia enim illi-
us fauore ac præſentia miteſcunt. omnia ex acerbis
atq; amaris dulcia perficiuntur. Diſcutitur illius fi-
ducia mortis metus, animisq; noſtris omnis terror
& trepidatio eximitur. Huius amore contemnimus
ac deſpicimus vitæ huius delicias & blandimenta.
Huius virtute ac præſidio perferimus (quæ ſingulis
momentis nos circumuallant) ærumnas & incom-
moda. Huius ſolida ſpe atq; expectatione æternita-

[...]s fulti alacriter emigramus ex æui huius ergaſtu-
[...]o, ac Chriſto duce ad beatas ſedes prouehimur.
[...]inùs autem grauatè ab hac corporis ſocietate à
[...]itæ huius ſtatione diuellimur minuſq; nos reddit
[...]nxios poſtrema cum morte luctatio, in qua ferè
[...]iffidentia ac deſperatio mentem oppugnat, quòd
[...]erti ſumus merito Chriſti nobis partam redemp-
[...]ionem ac gratiam. Mediator enim inter Deum &
hominē Ieſus Chriſtus Patri nos reconciliauit, ſuo-
que ſanguine peccata noſtra eluit ac per reſurrecti-
onis potentiam iuſtitiam nobis contulit. Traditus
enim fuit Chriſtus propter peccata noſtra, vt Paulus
ait, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtrā.
Sic vt reſurrectione Chriſti tanquam pignore con-
firmati confidamus nos ſaluos fore, atque eius vir-
tute reſuſcitandos. Ipſe enim, vt Apoſtolus teſtatur,
transformabit corpus noſtrum humile, & confor-
me reddet corpori ſuo glorioſo ſecundum efficaciā
qua poteſt ſibi ſubijcere omnia. Tametſi enim iuxta
Pauli doctrinā terrenum hoc noſtrum domicilium
hui⁹ tabernaculi deſtruendū ſit, vt domus ruinoſa,
quæ ſoluta compage ac nexibus, diuulſaq; contig-
natione diſſoluitur, quod ædificiū à Deo habemus
non manufactam, ſed ęternum in cęlis Deus enim
qui ſuſcitauit Dominum Ieſum, nos quoque per il-
lum ſuſcitabit, atque efficiet communis reſur-
rectionis gloriæ conſortes, quæ certiſſima
ſpes hoc efficit vt minus grauati
hinc nos ſubduci patia-
mur.

Mors Chriſti peccata noſtra exuit.
Reſurrectio Chriſti iuſtificat.
Ioan. 1.
Rom. 4.
Phil. 3.
2. Cor. 4. & 5.

FINIS.

INDEX CAPITVM,

QVÆ PRIMO LIBRO

CONTINENTVR, IN QVO PRIOR NV*merus caput, alter paginam denotat.*

1. De natura, Diuinitatis instrumento 1
2 Hominis dignitas & præſtantia 9
3 Naturaliſſimum procreare ſibi ſimile, eoq; reuerenter vti debẽt homines tanquam diuino munere, Deiq; inſtituto 13
4. De ſimilitudine natorũ cũ progenitorib. Et qua ratione, quæ foris incidunt, infanti communicentur, multarumque rerum formas ex matris imaginatione concipiat 16
5. De abſurdo prægnãtium appetitu, atq; inſatiabili rerum deſiderio, quibus ſi contingat fruſtrari, periclitantur. 26
6 Semen conferre mulierẽ, totiuſque operis eſſe conſortem. 29
7 Vnde ſpecies, ſexuſq; animalis, hoc eſt, vtri acceptam ferre cõueniat, virõne an mulieri, maſculi, vel fœmellæ procreationem. 33
8 De prodigioſis, monſtroſiſque partubus: Obiter quid deſignet prouerbiũ QVARTA luna nati, alia ratione, quam in libello nuper à me edito tractatum. 3
9. Qua ratione maſculum qua fœminam procreare po ſit, qui eius rei ſit auidus: ob ter ex qua cauſa Hermaphr diti, hoc eſt, vtriuſque ſexu homines generentur. 4
10. An excremento men ſtruo fœtus alatur, & an ado leſcẽtulæ concipere poſſint prius quàm menſes profluxe rint. 5
11. Animam non à parenti bus profeminari, ſed infund diuinitus, omnisque interi tus ac corruptelę eſſe exper tem: tum quoto geſtationi die inducatur. 4
12. Anima tametſi ſit incor porea, nec ex cõcretione ma teriæ, aut elementis conſtet, affectibus tamẽ expoſita eſt, ſuaſq; ſentit perturbationes, & pathemata, quæ in corpus redundant. 63
13. Animas hominum non omni ex parte eſſe æquales, nec pari condicione ac digni tate, ſed aliam alia præſtantiorem. 73
14. De animæ immortalitate, atque indubitata, certaque corporis humani reſurrectione: tum qua ratione ac

cmodo id perfici cōtingat. Deniq; quanta ex tanto munere mētis erectio in Deum, quantaq; morituro fiducia conſequendæ ſalutis. 81
15. An prodigioſis monſtroſiſq; partubus atque abortiuis anima rationalis indita, ſintque reſurrectionis futuri participes: obiter qua ex cauſa excitentur. 98
16. Humores atque alimenta corporis habitum mentiſque ſtatum manifeſto immutare, atque hinc affectuū origo, ac conſcientiæ ſtimuli emergunt: obiter quid Melancholia efficiat, & qua quiſque ratione illi mederi queat. 102
17. Herbas mutationib. obnoxias, tum viribus formaq; deſtitui, niſi nouos ſubinde cultus adhibeas. 115
18. Quàm varia ſint ac multiplex ſoli, terræq; natura & conditio. 134
19. Lunæ radijs augeſcit, nō matureſcit, hortus. 137
20. Stercoratio quare Heſiodo improbata 138
21. Qua ratione Curculio, aliæq; beſtiolæ infeſtæ frugibus abigi, necarique poſſint. 139
22. Lumbricorum vermiumque qui humanis corporibus innaſcuntur, ſagacitas, & quid portendat per os nareſque erepere. 141.

QVAE SECVNDO LIBRO CONTINENTur.

1. Humores, non malos genios morbos inducere: ſpiritus tamen aëreos ſe ijs, vt tempeſtatibus immiſcere, ac fauces ſubdere. 144
2. Melancholicos, maniacos, phreneticos, quique ex alia cauſa furore perciti sūt, nonnunquam linguā alienā perſonare, quam non didicerunt, nec tamen eſſe Dæmoniacos. 152
3. De epilepſiæ, quam tum veteres, tum recentes plebeij in certos Diuos referunt, violentia ac ſęuitia, qua deniq; ratione expugnari poſſit. Obiter comitiali morbo, lethargo, apoplexia oppreſſos non ſtatim in ſepulchra inferendos. 155
4. Qui fiat, vt morbi longi ſint ac diuturni, nec facile medicamentis cedant. Vnde febres recidiuæ, vndeque induciæ, atq; intermiſſio. Quæ ſcire omnium intereſt, ne quis facile morbo tentetur, aut vt illū cito excutiat. 163
5. De ijs, qui ſubducti lecto, ſomnoque oppreſſi ambulāt ac perreptant culmina, ædiumque tabulata, multaque perficiunt dormitantes, quæ vigilantibus acceſſu, adituq; ſunt difficillima, quæq; ſumma

ma cura perficere præſtareq́; nequeant. 167

6. Ex his, q ſubmerſi ſunt, virorum cadauera ſupina: fœminarum verò prona fluitare, exemptoque pulmone non emergere. 171

7. Submerſorum corpora, vbi emergunt, atque in conſpectum producuntur, tum eorum qui interempti, confosſique ſunt, præſentibus amicis, aut eo, qui interitus cauſa illis extitit, è naribus, aliaque corporis parte ſanguinem profundere. 174

8. De infantium recens natorum galeis, ſeu tenui, molliqúe membrana, qua facies tanquā larua, aut perſonato tegmine obducta, ad primū lucis intuitum ſe ſpectādam exhibet, Helm vulgo vocant. 176

9. Cur apud Belgas, In fabis verſari dicantur, vacillātis parumque firmi cerebri, vulgo In die boonen. 179

10. Non quiuis grauis ac teter odor homini noxius. Sūt enim inter hos qui contagia diſcutiant, morbiſque putridis obſiſtant. Obiter manauit prouerbium, Cornua inibi, eoque loco aduri, vulgo Men branter hoornen. 181

11 Digiti ſiniſtræ manus, qui minimo proximus eſt, præſtantia, qui poſtremo omnium morbo articulari, aut chiragra infeſtatur, & ſi quā do affici contingat, non mu tò pòſt mors imminet. Obiter quare præ cæteris aur deuinciri mereatur. 18

12 Quædam ignem non co cipiunt, flammiſque inuicta ſunt, & qua ratione id efficiant. 18

13 Calor natiuus hominis fouetur, augeſcitque animaculorum, præcipue autem infantium calore, ſi parti corporis inualidæ applicentur. Non enim hoc fomentum concoctionem ſolum adiuuat, ſed dolores quoſque articulares ſedat. Inter catellos autem, qui id præſtent efficatius. 186

14 Cur morbus Gallicus nunc, quàm olim, mitior, minuſque ſæuiat, & in quos morbos degeneret. 188

15 Qua ratione moribundi etiam conſtante adhuc mente raucum murmur edant ac ſonitum reciprocantem, quē Belgæ populari voce De Rotel vocant. 190

16 Mortem hominis, rerumque exiſtentium interitum eſſe contra naturam, parumque appoſite naturalem dici. Sic tamen obfirmandus eſt animus, vt mors non ſit formidanda, licet nō ſine ratione omnes illam exhorreſcant. 191

17 Ebrietatis ac temulentię incommoda, & quæ illi obſiſtant, ac medeantur. 193

18 In-

18 Intemperantia potius, quàm cibi nocentior. 196
19 Alia vi ac ratione vinum inebriat, aliterque homines afficit, quam Sicera, Zythus, nobisque vocata Cereuiſia. pag. 199
20 Procero craſſoque corpore homines aliquādo minus vitales, quam graciles, minusque animosè morbis obluctari. Exiguæ autem ſtaturæ homunciones plerumque vini capaciores, quā obeſi, ac ſerius temulentia tentari. 200
21 Qui manè ientaculum ſumunt, ſi id moderatè fiat, in prandio liberalius edunt, minusque vino, etiamſi largius bibant, offenduntur. Obiter àn multus panis eſus ſit ſalubris. 202
22 Nux myriſtica ſeu moſcata, & Corallis lapis à viro geſtata melioreſcunt, deteriora verò efficiuntur à fœmina. 205
23 Magna ex parte ſteriles eſſe, & infœcundos, quibus ſemen ſponte profluit, ſeſeque polluunt, & qua ratione id fiat. 207
24. In morbis excreſcere corpora, atque in longitudinem produci, licet minus edant: in latitudinem verò diminui. 212
25 An ieiunis, an pranſis, venam incidere expediat, & an conſultum ſit ſtatim ab incisa vena ſomno ſe dedere 214
26 Phyſiognomonia, hoc eſt, naturę morumque inſpiciendorum ratio, qua ex notis ſignisque corporis, animorum motum ac propenſionem elicimus ac diiudicamus, non improbanda. Cæterùm quid ex hac potiſſime obſeruare conueniat, ſcripturæ teſtimonijs comprobatur. pag. 216
27 An aperto hiantique ore dormire, an clauſo, cohibitiſque labris ſalubrius. pagin. 220
28 Imprecationes parentū, quibus ex ſe genitos execrātur, ac maledictis inceſſunt, aliquando in euentum effectumque rapi. Bonas quoque ominationes, quibus illis felicia ac ſalutaria quæque exoptant, ad lætum exitum eſſe adiumento, atque ex progenitorum voto omnia conſequi. 221
29 Qui fiat, vt iuxta vulgare prouerbium, Nemo propemodum ex morbo, aut lōga peregrinatione melior euadat, vitamque emendatiorem aſſumat. 222
30 Lapides ſeu gemmæ terra marique erutæ, vel animātium corporibus exempta, qua vi ac facultate polleant, quaue ratione aliquid efficiant. 228

31. De Somniorum euentibus, & quatenus obſeruanda ijsque adhibenda fides. 232

32. De anno κλιμακτηρικῷ, hoc eſt, Scalari & gradario, ſeptimo & nono, quibus annis corpora hominũ manifeſtã mutationem ſuſtinent, ſenum potiſſimè tertio & ſexageſimo: Similiter de dierum Criticorum ratione, hoc eſt, iudicijs morborum, quib. Medici indubitãter ſalutem vel mortem ægrotis denunciant pag. 234

33. Qua ratione Speculum obiecta referat, & quid ſtudioſis, quiq; continenti intuitu oculos fatigãt, nitidus ſpeculi leuor commodi præſtet: tum qua ratione hebeſcentẽ viſum reſtauret. 238

34. Qua vi & facultate polleat Aqua vitę ſeu vinum ardẽs & cauſticum, vulgo Brande vvijn, & quibus id tuto exhiberi poſſit. Obiter admirãdi aliquot factitij hui⁹ liquoris effectus. 241

35. Argenti viui prodigioſa vis & natura, quod Belgæ à mobilitate Quicſiluer vocãt. pag. 244

36. Qua ratione in ſalis inopia carnes, aliaque edulia à putredine cõſeruari poſſint: Obiter ſalis, acetique vis mirifica. 247

37. Pallidæ mulieres rubicundis, macilentæ obeſis magis ſalaces, magiſq; viri deſiderio pruriunt. 2

38. An affluenter atq; aui[...] an ſenſim ac parcius, nonn[...] lisq; interuallis vrgente ſi[...] vel in menſę accubitu bibe[...] dum ſit. 2[...]

39. Quæcunque properè [...] feſtinanter matureſcunt, v[...] iuſtam longitudinem aſſ[...] quuntur, celerius intercidũ[...] nec diutinam ætatem perfe[...] runt: quod infantes ad ſtirp[...] um aliquot genera commõ[...] ſtrant. 25[...]

40. Alimenta aliquaudo vitiari, ac veneni aliquid contrahere ex beſtiolarum inceſſu incubituq;. Deniq; humanis corporibus ex diffuſi[...] in illa ſordibus ſimile quiddam innaſci, nempe mures, ſorices, glires, ranas, tuberas: eiuſq; rei exemplum. 257

41. Solis Lunæque vis & natura in conſtituendis excitãdiſq; tempeſtatibus. Quid denique auræ aeriſque mutatio in corporibus, animiſque hominũ ac ſpiritib. efficiat. Obiter vnde Oceani fluxus refluxuſque ac reciprocatio, quæ diei naturalis ſpatio bis conficitur. 260

42. De lactucæ natura ac viribus, & quibus illa vel proſit, vel officiat. 268

43. De Hippolapatho herba, vulgo Patientia. 270

44. De Saliuæ hominis effectu. 270

45. De vſu Lactis, de collo-

ſtro

ro ac cremore, illud Belgæ ieſt, hunc Room indigetãt, ım quę hęc coagulari in ſto aacho prohibeant. 272

6. Podagrici cur ſalaces, tque in Venerem proni, & uotquot in dorſum decum-unt, duroq́; cubili innitun-ur. 273

7. An exanthemata ac pue-iles varioli, quę vulgo Ma-elen dicũtur, vino rubro ex-gi expugnariq́; poſſint: De-niq́; lacte bubulo, quę à mu-lierculis exhiberi ſolet, cùm huiuſmodi puſtulæ effloreſ-cant. 275

48. Tonitru ac fulmine vi-tiari vinum, eumq́ue liquo-rem, quę Belgis Cereuiſia di-citur: & quibus id prohibea-tur, eorumq́ue vires inſtau-rentur. 276

49. Tempeſtatis, ex marinæ aquæ contactu pręſagia, tum quid portendant hiberna to-nitrua. 278

50. Pueros rebus pulchris af-fici, ac rugoſas deformeſque anus exhorreſcere, quocirca cum annoſis fœminis in eo-dem lecto non collocandos, multò minus, ſi pedibus ex aduerſo illis ſint conſtituti. pag. 279

51. Qui fiat, vt tenella ætas, prægnantes, ſacrifici, quiq́ue ſolitariam vitam agunt, ac ſedentarij ſunt, primò omni um morbis popularib. ac pe-ſte corripiantur. 280

52. Varia naturæ documen-ta, rerumq́ue diuerſarum nõ inconcinna congeries. Quæ cùm grata breuitate tracta-re inſtitui, vno velut faſce cõ-plecti viſum. 282

QVAE TERTIO LI-bro continentur.

1. Qua ratione filij parentũ probra atque ignominiam perferre cogantur, illiſque progenitorum ſcelera atque iniquitates imputẽtur, adeò, vt horum cauſa, vel famę, vel rerum fortuitarum iacturã patiantur, aut aliqua in cor-pore animoq́; damna ac de-trimenta concipiant. 294

2. Quare conualeſcentibus ac morbo defunctis primum omniũ genitalia turgeſcant, queq́; illis natura inſita ſunt, nempe concũbendi deſideri-um perficere tentent, ac hac de re ſalubre conſilium atq́; admonitio. 301

3. De auræ atque Aeris effe-ctu, tum flatuum ventorum-que nominibus, natura ac vi-ribus in excitandis morbis, ac promouendis humoribus, qui agitati menti dãna non-nunquam inferunt. 305

4. De pixide nautica, vulgo Compas, quam Plautus ver-ſoriam vocat, cuius obtutu atque obſeruatione naucle-ris velificatio perficitur. 323

5. Quid canes agat in rabiẽ, & qu

&'quo effectu polleat, ſi quādo in ſanitatis vſum ac tutelam corpori humano adhibetur. 334

7 De grandine porcorum aliiſq; huius animantis morbis ac vitiis; quæ vulgari lepræ ſeu lazariſmo affinia ſũt vulgo ab inſalubri ac morbido corporis habitu Ongās appellatur. Et qua ratione hæc contagio expugnari poſſit, etiam in hominibus. pagin. 337

8 Cur Belgæ, vbi nox moleſtè ac tumultuosè, parumque ex animi ſententia trāſacta ſit, quiritentur Ioannis Baptiſtæ noctem ſibi obtigiſſe. 343

9 De ſalis conficiendi ratione ſingulari atque inaudita, eiusque natura, effectu, viribus, vſu & differẽtiis: Obiter herbarum aliquot maritimarum, quæ ſalſuginoſo ſucco imbutæ ſunt, & ex quibus Sal elicitur, conſideratio. 347

QVAE QVARTO LIbro continentur.

1 De vi effectuque Lunæ, cuius motu impellitur Oceanus, & quid moribundis ac morbo deploratis obuenire ſoleat, vbi cum morte luctātur, atque è vita migrare incipiunt, ex acceſſu receſſuque Oceani ac Lunæ decurſu, cuius vires efficacius, quam cæteri percipiunt atque experiuntur maritim[i]. pag. 3[…]

2 De Zelandiæ inſulis a[c] gentis huius natura, conditione, moribus, origine: [&] quantum commoditatis atque emolumenti huius regionis fundus, ac ſoli vberta[s] exteris adferat, compendio[ſa] ac dilucida deſcriptio, in qua obiter refricatur rerum geſtarum memoria, multæque naturales cauſæ explicā[n]tur. 39[…]

3 Qui fit, vt ſenes ac prouectioris ætatis homines cum minus robuſtos, tum tetricos plerunque liberos progenerent, vultuque triſti atque inamœno, & qui rarius exhilareſcant. 390

4 Qui fiat vt Laurus, quam nonnulli Zelandiæ denegatam adſerunt, nulli quam huic regioni, ſpecioſior exiſtat, & qua ratione effeceris, vt contra gelu atque hiberni frigoris iniuriam intacta ſubſiſtat nec emoriatur. pagin. 394

5 De corpore neutro, hoc eſt, quod nec ſanum, nec ægrotum ſtatui poſsit, ſed vacillanti dubiaque valetudine exiſtat atq; inter vtrumque fluctuet. 306

6 De videndi ratione atque oculorum acie, & cur nonnulli remotiſſima quæque acutè cernant, cùm ad proxima

a cæcutiant atque hallucinentur: alij propius admota exactè videant etiam minutiſſima, longius verò ſita, iam eminentes moles ęgrè perſpiciant. Et cur oculus dexter magna ex parte ſiniſtro obtuſior, minuſque lucidus: Obiter de coloribus oculorum ac pleriſque alijs, qui animi argumenta proferunt: obiter hebeſcenti viſui remedia. 401

7 Ratio cur nonnulli mutilis truncisque ac decurtatis membris naſcantur, alij geminis quæque redundant ac ſuperuacanea ſunt nec vlli vſui inſeruiunt. 411

8 An induſia, vulgo Camiſiæ, tegumenta lintea febricitantibus mutanda. Et an ſtatim à morbo conualeſcentibus barbam radere, aut capillos adimere expediat. Tū in quibus morbis pedes abluere conſultum ſit. 414

9 Quod mira naturę vi, atquo incredibili efficacia ſingulæ herbæ ſingulis proprijſq; membris ac corporis partibus auxilientur, atque aliæ in alias, vires ſuas peculiari effectu proferant. 421

10 Sexum ineſſe ſtirpibus, atque alias alijs affici. pagin. 426

11 Murenæ, quas Belgæ pricken vocant, in fumario exſiccatæ, tædæ atque ardentis facis vicem vſumque præbent, ſi accendantur. 432

12 De ouo à Gallo edito, & qua ætate atq; annorum decurſu id proferat: denique quid ex eo progeneretur, tum de lapide Gallinaceo & Aetite gemma. 434

13 De mulierum natura, condicione, moribus & cur is ſexus, vbi incanduit, acriores quàm vir, iras concipiat ac rixetur enormius, multiſque alijs affectibus impotentibus ſuccumbat. Obiter quem ſenſum habeat illud Sapientis Hebræi, Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens. 441

14 Cur ouum duobus extremis verticibus, quibus oblonga atque anguſtiore ſui parte (vt Polus Arcticus & antarcticus) ſubnixum fulcitur, digitis aut complicatis palmis comminui frangiq; nequeat, quamlibet premas: Et cur aceto acri maceratum, in tractabilem teneramque membranam molleſcat, denique idipſum aqua vitæ, hoc eſt, vino ardenti immerſum, non ſecus, quàm ferrum ab aqua forti conſumatur. 451

15 Luna mira naturæ vi ſin-

ſingulis menſibus, ſecùs, quã alia aſtra, ſingulas corporis partes, ſanas latenter & tacite, valetudinarias manifeſtè nec citra doloris ſenſum perreptat, illisq; modo duobus modò tribus diebus inhęret: obiter an in ea parte, cui ſid⁹ incumbit, tutò vena incidi poſſit. 453
16. Conſilium quo iuuenibus gratificari ſoleo, vt maturè pubeſcant, venuſtaque lanugine mētum decoretur: Obiter graminum, fruticũque cum crinibus ac capillis non inſcita comparatio. pag. 457
17. Quatenus aut qua ratione Medicina conſeruatrix in peſte, atque aeris contagione adhiberi debeat, tum quę hac vi effectuq; polleant. 459
18. Cui rei aſſignanda tanta in numeroſiſſima hominum multitudine, formæ diſſimilitudo, ac tam multiformis diuerſaq; in facie, vultu, oculis, ſpecies, ita vt nonnunquã ne vterini quidem partus cõformes ſint ac ſibi aſſimilentur. 662
19. Multa animantium, piſcium, alitum, inſectorum genera abſq; ſemine progenerari, vt etiam herbas, multaque animalia atque auiculas inſolita ratione, ac modo abſque mutua maculi opera concipere. 465
20. Manus vel alię corporis partes frigore, geluque ac pruinis obſtupeſcentes ac rigidæ vt reſoluantur, ac calore rurſus imbutæ reuiuiſcã pag. 46
21. Vnde exoriantur atqu emergãt in homine conſciẽtiæ ſtimuli, & an vt affectus & animi perturbationes humoribus aſſcribendi, an in animo, menteq;, ac voluntat conſiſtant. 47
22. Ad quotum menſem ho minis geſtatio in vtero pro ducatur, partusque tempeſti uus cenſeri debeat. Obiter de corporis humani formatione, quóue dierum aut menſium numero fœt⁹ abſoluatur, ac vitalis exiſtat. In qua narratione omnia tractantur accuratius, quod hinc acerbæ contentiones exoriantur, nõ ſolùm in legitimo cõgreſſu, ſed alia quauis Geniali ſolutaque Venere. 479
23. De hominis procreatione vtilis & iucunda narratio, in qua illuſtratur altera argumenti pars. 486
24. Quoto ætatis anno Puellis pubeſcentibus concubitus deſiderium excitetur, & conceptui efficiãtur idonee. Rurſus quando prouectioribus fœcunditas deſinat, ac deſinentibus mẽſtruis vterus ſterileſcat. In qua narratione virilis quoque naturę conditio excutitur. 497
25. Qui potiſſimum alij ab
alijs

iĳs morborũ contagia concipiant, Et qua ratione efficiatur, vt infantes conualeſcant, exhibitis nutrici medicamentis. 501
5. De pelle ſeu plumoſo tegmine vulturis, quod mira vi pollet in corroborãdo vẽtriculo, atque excitanda ſibi auiditate paulò efficacius, quàm zinziber, cuius natura quoque hic exprimitur, non cuiuis obſeruata. 504

RERVM ET SENTENTIARVM HVIVS OPERIS INDEX.

A.

AB agricolarum induſtria ſimile. 455
Ab arboribus ſimile. pag. 255
Ab herbis ad homines reducenda cultura. 432
Ab incisa vena temperantia exigitur. 215
Ab officina fabrili ſimile. 254
Abortus & effluxus diſcrimen. 101
Accõmoda ſimilitudo à bõbardis. 45
Aceti vis. 249
Aceti & fecis cum cineribus comparatio. 395
Acetum melancholicis noxium. 340
Acetum ouum conſumit, ac cotem diſſoluit. 249
Acida bilioſis ſalubria. 340
Acrimonia vrinę morbo gallico infectis peculiaris. 208
Adoleſcentia conſilĳ inops. 477
Aduerſa quæ aliquando acciderunt, animo repetenda. 383
Adulteria notantur. 227
Adulteria nõ impunita. 299
Adulteria cauenda. ibid.
Adulterium muliebre indelebilis macula. 449
Aduocati muneribus afficiu tur. 366
Aer & alimenta valetudini vel proſunt, vel officiunt. 138
Aer ſerenus mentem exhilarat. 314
Aer Zelandus qualis. 366
Aegroti cur panis eſum reſpuunt. 205
Aegrotis quando in edulĳs gratificandum. 27
Aeſtate ædes & corp. beſtiolis ſcatent. 364
Aeſtuaria quid ſit. 385
Aeſtuaria in bello, Belgarum perfugia. ibidem
Aeſtus Oceani cauſa. 26.
Aetites lapis qua vi polleat

Affectib. omnes obnoxii. 108
Affectus Venereus in herbis. pag. 429
Affectus in fœtum tranſeunt. 392
Affectus quādo mitiores. 108
Affectuum in animo tyrannis. 103
Affectuum origo. ibid.
Afflictio religioſos facit. 496
Affluētia ſocordes, & accedioſos facit. 225
Africi natura. 315
Alcis vires, vulgo Eelant dicitur. 161
Alectoria gemma quid præſtet. 439
Alectoriæ gemmæ vis in viros. 440
Alembicum quid ſit. 242
Alex. Magni veſtes cur odoratæ. 206
Alexander ſauciatus fragilitatem ſuam agnouit. 225
Algæ maris deſcriptio. 355
Alia aliquando parentum, alia filiorum conditio. 296
Alia hominis, alia animantium conditio. 81
Aliquando in peſte non incidendam venam. 460
Alia vis longitudinem, alia latitudinem parit. 213
Alius qualitatis in herbis effectus, alius ſubſtātiæ. 424
Allio roſæ odoratiores euadunt. 286
Allium & quę viroſa ſunt, oculis inimica. 409
Alumen igni obſiſtit. 185
Amantes palleſcunt. 66
Amara ebrietati obſiſtun[t] pag. 19[.]
Ambacti qui Zelandis. 3[.]
Ambulare ac vociferari i[n] ſommo vnde eueniat. 16[.]
Ambulones nocturni nō ap[-]pellandi proprio nomin[e] pag. 16[.]
Amicitiæ & inimicitiæ rerum. 426. (16[.]
A morbo vires inſtaurandæ
A morbo nemo emendatio[r] pag. 22[.]
Amor parentum in filios, & è diuerſo vnde emergat. 39[.]
An à galli ouo baſiliſcus pr[o]deat. 43[.]
An dormiēdū inciſa vena. 21[.]
Andreas ab Aurea quid Carolo Cæſari contulit. 32[.]
Angelica, illiſque affines herbæ. 120
Angelorum diſcrimen. 74
Anguillę ſalſa aqua delectātur. 376
Anguis ex ſpina hominis. 436
Anhelitus cohibitus concoctionem adiuuat 221
Anicularis halitus pueris noxius. 280
Anima quid. 61
Aniculæ ne iuuenibus ſe addicant. 499
Anima hominis diuinitatis particeps. 82
Anima migratura cur vaticinetur. 155. (72. 68
Anima affectibus obnoxia.
Anima quando corporis miniſterio indiget. 70
Anima multa agit abſq; corpo 113

poris adminiculo. ibid.
nima ſingulis diuerſa. 61
nimalculorum in corporibus origo. 257
nimalia ſponte nulloq; ſemine nata. 258
nimalia noctu oculata. 407
nimam rationalē quando homo concipit. 57
nimātes mēte deſtitutę. 82
nimantes naturę inſtinctu ducuntur. 8
nimarum inepta transmutatio. 56
nimarum diſcrimen. 75
nimæ carnificina mentem vellicat. 89
nimæ domicilium. 61
nimę dotes & ornamēta. 56
nimi cruciatus, quam corporis ſæuior. 69 (85
nimi & corporis cōſenſus.
Animus ab aeris intemperie vitiatur. 309
Anni non ſuperſtitioſè obſeruandi. 235
An pars, in qua Luna eſt, ferro tentanda. 454
Antidoton contra peſtē. 289
Antonij heremitæ de natura ſententia. 5.
Antonius Cæſar diademate inſignitus 177
Antuerpiam Scaldis exornat. 375
Anus minus irritantur. 445
Apolepti ſerius humādi. 157
Apuleij de mundo ſentētia. 4
Aqua calida canam barbam, & faciem rugoſam efficit pag. 459
Aqua in Zelandia qualis. 367
Aqua cui nigra in fontibus. pag. 406
Aqua vitę vt exploratur. 242
Aquæ vitæ vis. ibid.
Aquilo quando minus diuturnus. 319
Archimedis memorabile factum. 240
Ardelio, vulgo tātafaire. 170
Argentum viuum auro afficitur. 293
Argenti viui effectus. ibid.
Argumentum validum immortalitatis. 474
Aridus vterus quæ exigat. 48
Arnemudæ portus. 369
Arte mutatur ſpecies & color animantium. 18
Artificialis promontorij deſcriptio. 354
Aſale ſilt & zolt, vnde ſoldaten Germanice. 348
Aſellus piſcis vulgo cabbeliau. 376
Aſignatis cauendum. 219
Aſtra ad morborum indicia conferuntur. 237
Aſtrorum in terrrena efficacia. 124
Atriplex marina. 352
Auicennæ conſilium in conceptione molienda. 48
Auidè biberè flatibus corpus diſtendit. 305
Auiditas omnia ſuauia efficit. 28
Aura & venti corpora immutant. 307
Aura rigida ſatis noxia. pagin. 319

Auri-

Auri in cibo vſus. 335
Auri ſacra fames. 334
Auri igniti effectus. 336
Aurum cor recreat. ibid.
Aurum lepram expurgat. 135
Aurum decoctione non atteritur. 135
Aurum fumo ſplendeſcit. 122
Aurum liquorem combibit. ibid.
Auſter epilepſiā excitat. 161
Auſter articulares dolores mouet. 313
Auſter pituitoſis noxius. 312
Auſter omnia obnubilat, Aquilo ſerenat. 313
Auſter inſtabilis. 311
Auſter & Aquilo diuerſa ratione catarrhos mouēt. 319
Auſter bilioſis non incommodat. 312
Auſter quos morbos excitet. pag. 311.
Auſter animo grauis. 313
Auſtri incommoda in excutiendo partu. 312

B.

Balnea quando adhibenda. 419
Barbæ raſura aliquando noxia. 418
Barba vt adoleſcat, ſępius radenda. 457
Barbam quæ præſtant. 458
Baſiliſci ſilueſtris deſcriptio. pag. 434
Bataui piſcibus porcos saginant. 340 (386
Bataui Zelandis conſociati.
Belgarum inferiorū aliquot propenſiones 372
Bellum non temerè ſuſcipiendum. 3[illegible]
Beſtiolæ ex ſordibus generatæ. 2[illegible]
Bilioſi hominis natura. 1[illegible]
Bilioſis acutus viſus. 4[illegible]
Bombardæ an olim fuerint pag. 32[illegible]
Brabanti annoſi. 50[illegible]
Braſſica ebrietati obſiſtit. 15[illegible]
Braſſica vitę inimica. 42[illegible]
Braſſica vinum corrūpit, be[illegible] ta inſtaurat. 27[illegible]
Braſſicæ marinæ ſeu ſoldanellæ deſcriptio. 35[illegible]
Bruta non ratione ſed naturæ ductu feruntur. 7[illegible]
Bubones inguinis, vulgo, cl[illegible] poren. 4[illegible]
Bufones noxij. 34[illegible]
Butyrum & oleum ſordes eximunt. 42[illegible]

C.

Cabbeliau. 23[illegible]
Cæcias cuius naturæ. 32[illegible]
Cæcias qua ratione nubes trahat. ibid.
Cæpe natura ab alijs ſtirpib. diuerſa. 289
Cæruleus oculorū color quē vſum facit. 407
Calore, humore, & ſpiritu corpus ſubſiſtit. 187
Calthæ vulgo gouldtblomē. pag. 275
Calx cum aqua raparum ignitos dolores placat. 350
Camelot. 123
Cancer & lepra affines morbi. 211
Cancri marini effectus 342

Can-

Caneri, rabidi canis morſū curant. 342
Cancrorum deſcriptio & vires. 341
Cancrorum aſtutia. ibid.
Canes quando rabie concitantur. 331
Canes aquam expoſcūt. 329
Canis vt à rabie præſeruetur. ibid.
Caphuræ vis putredinem à liquoribus arcet. 287
Capillorum ac graminum comparatio. 458
Capa vnde gemma innaſcitur. 459
Caput læſum viſui officit. pag. 402
Carbones foſſiles oleo exſtinguuntur, aqua ardeſcunt. pag. 124
Cardiaci morbi remediū. 336
Caro melācholici ſucci particeps ſapida eſt. 338
Carpioni è capite lapis eximitur. 231
Carthaginenſes nauigandi periti. 326
Caſeus viridis appetentiam acuit. 366
Caſtaneæ qui ſeruentur. 289
Catamidiari quid ſit. 15
Catelli melitæi. 24
Catelli vniformis coloris qd membris admoti præſtēt. pag. 187
Cauda canum truncata non rabiunt. 329
Cauſidicorum ſuperſtitio in conſeruandis infantium galeis. 178
Cerebri & hepatis affecti pręſagium ex teſtibus. 274
Cerebro regia poteſtas. 402
Cerebro quę cōueniunt. 422
Cerebrum & cor à remotis partibus afficiuntur. 218
Chelidonius vel hirundinarius. 230
Chriſti fiducia mortis metū homini adimit. 192
Chriſti pauor hominis argumentum. 70
Chriſtus cur ſerius Lazarū ſuſcitauit. 158
Cley à verbo cleuen deducitur. 353
Cibi delicati libidinis fomēta. 224
Cibum aliquando commodius, quàm potum deglutiri. 254
Cibus immodicus potoribus noxius. 296
Cibus offerendus ante venæ ſectionem. 215
Cibus & potus ſpiritus alimenta. ibid.
Ciconię parentibus afficiuntur. 32
Cineres herbas à gelu tuentur. 395
Cynoſura quid. 325
Circius vētus, vulgo noordtuueſt 266
Collega quo nomine Zelandis dicitur. 368
Coloris oculorum diuerſitas vnde emergit. 406
Coloſtrum vulgo bieſt. 273
Columbare, colūbatim prouerbium. 467

Comites vnde dicti. 378
Comparatio elegans a præconibus ſumpta. 127
Comparatio elegans à ſole & luna deſumpta. 85
Compendioſa morbi gallici curatio. 211
Conceptus non naturalis eijcitur. 38
Concubitus enormis deteſtãdus. 49
Conditoris maieſtas & amplitudo. 86
Coniugij inſtitutio à Deo. 13
Conrardi Geſneri laus. 6. 377
Conſcientia quid. 472
Conſcientia ſpeciem corporis immutat. 473
Conſcientia quid in mente efficiat. 73
Conſcientię fiducia quid efficiat. 492
Conſcientiæ vis. 471
Conſanguines cito contagium accipiunt. 502
Conſenſus corporis & animæ. 85
Cõſilium in oculis inſtaurãdis. 408
Cõſpicialia quãdo vſui. 403
Continuæ febres vnde. 54
Conualeſcẽtibus Venus noxia. 301
Corallina à Corallij amplexu herba. 556
Corallium ex mari Liguſtico ſubducitur. 185
Corallus rubicondior fit viri contactu. 206
Corallus frutex. 123
Cordi quæ accommoda. 422
Cor primum viuens, vltimũ moriens. 40
Cori natura. 31
Corporis deformitas vnde. pag. 46
Corporis proceri incommoda. 20
Corporis habitũ multa immutant. 10
Corporis moles ingenio officit. 200
Corpus animi vi ad actionẽ impellitur. 66
Corpus animi inſtrumentum. ibid.
Corpus quomodo animę inſtrumentum. 85
Corpus animæ cauſa periclitatur. 84
Corpus neutrum admittunt nonnulli. 393
Corpus aeris conſtitutioni obnoxium. 262
Craniũ caluaq; humana ad quid proſint. 160
Criſis ſeu iudicium de morbis. 236
Crocodili lachrimæ prouerbium. 427
Cruditas melancholicis noxia. 148
Cruſtacea rabidis ſalubria. pag. 340
Cucumeres aquã appetunt, oleum reſpuunt. 283
Cucumerum natura. 427
Cultura omnia melioreſcunt. 125
Cuniculi humano ſanguine paſti inſalubres. 358
Curculiones. 139

Curcu.

Curculiones quibus abigantur. 140
Cur diuulſa ſpectantur. 405
Cur fœmina minus ingenioſa. 447
Cur filij naturales, quos vocant, alijs erectiores. 392
Cur nonnulli deiecta mente. 391
Cur nonnulli minus validi. ibidem
Cur conualeſcentes in Venerem proni. 301
Cur gemina videntur. 405

D.

Damaſt. 123
Dauid naturæ admirator vnicus. 10
Dauid Rex amplexu iuuenculæ incaluit. 188
Decretorij Dies. 236
Decubitus in dorſum noxius. 168
Deformitas non priuat quēquam hominis nomine. 99
Delphini in hominē amor. pag. 427
Dei amor & propenſio erga hominem. 83
Deitatis arcana quatenus eruenda. 90
Delectus vini. 113
Dētatos naſci inominoſum. pag. 256
Deo qua ratione membra attribuuntur. 68
Deo nihil impoſſibile. 102
Deo ſe quiſq; ſubmittat. 89
Deus præcipua fœcunditatis cauſa. 33
Deus prima conceptus cauſa 43.
Deus qua re homini innoteſcat. 3.
Deus elementis vtitur ad inferenda damna. 321
Deus homine vnice afficitur. 83
Deus cur coniugium instituit. 14. & 442
Deus omnipotēs in eo quod vult. 86
Deus omnium rerum cauſſam in ſeipſo cōplectitur. 1
Deus caſtigat vt emēdet. 226
Deus noxijs beſtijs homines vexat. 427
Deus collapſæ naturæ inſtaurator. 56
Dies quadrageſimus rabiei expoſitus demorſis. 333
Diffidentia excutienda animis. 98
Diffidentia & fiducia quid efficiant. 94
Digiti annularis præſtantia. pag. 183
Digiti medici dignitas. 184
Dilemma auctoris de menſtruo profluuio. 52
Diogenis ſententia de iuuene pallido. 66
Diſſimilitudo hominū cui aſcribenda. 492
Diuis non aſſignandi morborum cruciatus. 155
Diuitiæ non malæ, ſed eorū abuſus. 227
Doctrina diuinitus inſpirata optimos mores effingit. pag. 223
Doctrina cœleſtis mentis pabulum. ibid.

Dolores neruorũ vnde. 209
Dolor capitis ex heſterno mero. 196
Duces vnde nomẽ ſortiti. 378
Ductus naturæ quid efficiat. pag. 374
Dulcia aliquando vermes perimunt. 141
Dupla quando obuerſantur. pag. 412
E.
Ebrietas Dioſcoridi deteſtata. 253
Ebrietas vitanda, 193
Ebrij ridiculo vultu. 299
Ebrijs & iratis ſpecula obijcienda. 238
Elephanti erga hominẽ obſequium. 427
Embolia ingreſſus ſecretior ab immittendo. 22
Embrio primis menſibus hominis nomen non promeretur. 60
Emplaſtrum ad tumores peſtilentes. 439
Epati quæ conferunt. 422
Epibara quid ſit. 324
Epilepticorum habitus formidabilis. 156
Epilepſis morb. puerilis. 483
Erectio genitalium ſanitatis indicium. 302
Errores inueterati ægrè eximuntur. 477
Errori naturæ non inſultandum. 219
Ethnici immortalitatẽ admittunt. 88
Eunuchi cur imberbes. 459
Euri locus & effectus. 310
Euronoti effectus & ſtati ibidem
Eurus aliquando peſtis cauſ eſt. ibid
Eurus hieme frigidiſſimu ibidem
Ex animantibus naturæ vi perſpicitur. 1
Exemplum reſurrectionis e Cypriano. 9
Exemplum ex hominis ſtructura. 9
Exemplum à tenellis arboribus. 30
Exemplum ab exhauſto corpore. 9
Exemplũ à rabidi canis morſu. 21
Exemplum à vitioſo corpore. 29
Exemplum eius, qui à ſomn morte ſopitus eſt. 21
Exemplum à fumoſis ędibu pag. 18
Exhortatio ad humanitat ex amantium affectu. 1
Experientia de pediculorum ſagacitate. 14
Experimentum in matrona gemmæ Aetitæ. 44
Ex ſagittarijs videndi ratio eruta. 404
Ex ſpeculo noſtram cõditionem exploramus. 239
Ex teſtaceis quæ ſanis, quam infirmis aptiores. 342
F.
Fabarum flores cur cerebro officiunt. 179
Fabri cur ſurdaſtri 304
Famelici ingruẽte febre. 290
Fauo-

[F]uonij natura. 315
[F]ebricitantes & ebrij cur de-lirent. 112
[F]ebrium induciæ vnde. 165
[F]eles marinæ. 245
[F]errum qua ratione fulmen à liquoribus arceat. 277
[F]erruminare quid ſit. 285
[F]eruidus ſpiritus cauſa motus in ſomno. 169
[F]icoſi omnes podagrici, non contrà. 189
[F]ides charitate ſtipata. 96
[F]iducia in Chriſtum mentes erigit. 96
[F]landrorum virtus. 381
[F]liſſinga ciuitas. 370
[F]loces vini porcis accommodi. 339
Fluuiatiles cancri quibus vſui. 341
Fœmella tardius maſculo perficitur. 58
Fœmina virum, vt materia formam appetit. 31
Fœminæ informes maſſas edunt. 429
Fœminæ æſtate ſalaciores. 253
Fœminis nō deeſſe ſemen ratione conuincitur. 29
Fęminis multū tribuendum in procreatione liberorū. pag. 15
Formæ elegantia aut turpitudo vnde. 178
Formicatio quis morb9. 120
Formicatio accedens morbo gallico. ibid.
Formicinus homo. ibid.
Formulæ percontandi de valetudine. 398
Francorum rex Zirizæos ſubleuat. 380
Frictio capitis oculis cōfert. pag. 419
Frictiones & ligaturæ quando vtiles. 420
Frigore obrigeſcunt corpora. 468
Frigus inimicum neruis & oſſibus. 469
Fructus puteis immerſi atq; in olla reconditi diu conſeruantur. 250
Frugalitas in rebus ſpectanda. 335
Fruges vnde corruptioni obnoxiæ. 138
Frugiperdæ ſtirpes quæ. 429
Frumenta vnde corrumpantur. 139
Fuligo ſatis noxia. 284
Funes ex herbis conficiuntur. 185
Fungoſum caput. 483
Furor muliebris vnde emergat. 445

G.

Galeus piſcis ore parit, & qui alij. 466
Gallinæ incubatio. 32
Gallina oua edit abſq; galli opera. 33
Gallitricum quid ſit. 284
Gallo vnde cōcretio oui. 435
Gallus quo tempore ouum edit. 434
Gallus leoni formidabilis. ibid.
Gandauum ſtudiorum alumna. 374

Gariophylea flos Belgis ſpectatiſſimus. 116
Gelu opportunum ad crurũ fractionem. 251
Genij mali ad inferenda dãna præſto. 314
Geniorum malorum diſcrimen. 79
Genitalia ex morbo primũ reuiuiſcunt. 275
Germani ſale & aromatis delectantur. 343
Glires quare ædes ruinoſas deſerunt. 142
Goeſa ciuitas. 384
Grando porcorum quis morbus. 338
Gratitudo erga Deum exigitur. 227
Guido Flandrorum Comes captus. 382
Guido Dampetra Flandriæ Comes. 378

H.

Halmi legitimi deſcriptio. pag. 351
Halimus famem arcet. ibid.
Hannibalis ſcomma in Phormionem. 127
Hederæ vis in diſcutienda ebrietate. 196
Helucus capitis grauedo ex crapula. ibid.
Herba kali ouibus gratiſſima. 353
Herba kali cancros remoratur. ibid.
Herbæ kali deſcriptio. 352
Herbæ aliæ alijs aduerſantur. 285
Herbę ſingulis membris conſecratæ. 42
Herbæ & vires & ſpecies immutant. 12
Herbę ſilueſtres priores hortenſibus, 43
Herbæ ſuis quæq; delectantur. 12
Herbæ ſalſæ medentur morbis ouium. 35
Herbarum diuerſitas. 8
Herbas mutationi obnoxia ac degeneres eſſe. 11
Herbis cognatio & affinitas pag. 42
In Herbis affectus Venereus pag. 42
Hermaphroditos quid gignat. 49
Hieronymi à Seroskerka laus. 377
Hippocratis in peſte conſilium. 307
Hippolapathi deſcriptio. 27
Holcas genus nauigij vaſtum. 388
Holmia Sueciæ regio. ibid.
Homines quomodo reſuſcitandi. 91.
Homines interdiu inquieti noctu clamoſi ſunt. 170
Homines non conſcientiæ motu, ſed affectibus ducũtur. 477
Hominis primordia quæ. 14
Hominis cauſa omnia condita. 5.
Hominis mens Dei ſimulachrum. 9
Hominis ſecuritas in quo conſiſtat. 81
Homo in quem vſum & finẽ crea-

creatus. 3.
Homo Dei imago. 55
Homo mundi præfectus. 10
Homo præcipuum Dei opificium. 9
Hortatio ad amplectendam doctrinam cœleſtem. 80
Homo Dei imaginem refert pag. 82
Homini rerum principatus attributus. 88
Homo caducis afficitur. 334
Humani corporis origo. 486
Humani corporis decor. 10
Humida & liquida citius alunt. 197
Humidę mulieres exotica appetunt. 27
Humores praui oſſa corrodunt. 452
Homores ſua tempora ſortiuntur. 145
Humores menti infeſti. 64
Humores corporis quos mores pariant. 151
Humores quique certis horis vigent. 146
Humores ſyderibus expoſiti. 456
Humorum prauitas & copia morborum origo. 144
Humorum mira vis in concitanda mente. 152

I.

Iapix ventus qualis. 315
Idololatria, & ſuperſtitio infœcunditatis cauſa. 43
Ignis aeris contagia diſſipat pag. 182
Ignis ſudorem & contagia elicit. 415
Ignorantia veri errores parit. 450
Imaginaria Venus quid in vtero moliatur. 468
Imaginatio mulieris multa molitur. 462
Imaginatio in muliere quid efficiat. 412
Imberbes minus viriles cenſentur. 457
Impuri gemmas contaminant. 229
In acutis morbis negligenda aſtra. 455
In claudos prouerbium. 219
In contagioſis morbis ſudor eliciendus. 416
Incubus De Macre. 158. 168
Inedia macilentis noxia. 115
Inedia quando pernicioſa & quouſque. 307
Inedia bilem accendit. 114
Infans quando mouetur. 489
Infans quando galeam proferre videtur. 177
Infantes non exaſperandi ſęuis verbis. 221
Infantis quatuor formationis tempora. 487
Infantis ſitus in vtero. 490
Infantis geſtatio ad lunę curſum referenda. 484
Infantia a maiorib. inſtituenda. 373
Ingenium vbi intenderis, ibi valet. 130
Inguinum tumores non reprimendi. 209
In mari ſonitus longiſſimè exauditur. 382
In morbi augmēto nihil innouan-

nouandum. 418
In prandio citius, quã in cœna inebriamur. 204
In re medica omnia ſeriò agenda. 132
In re medica turpe dicere, Non putaram. 131
Inſitionis tres ſpecies. 119
Intemperantia Veneris, infanti noxia. 38
Inter homines alius alio nequior. 450
Inundationes ineũte hieme incrudeſcunt. 266
Ioannis Baptiſtæ dies memorabilis. 343
Iocus popularis in hos, qui ex inguine laborant. 212
Itali quomodo anatomiam perficiunt. 291
Iudicium Domini in illatis cladibus. 297
Iudicium de ventre inſpiciẽdo medicis defertur. 480
Iudoci à VVeruia laus. 377
Iuſtificatio impij ex Dei fiducia. 98
Iuuentus conſcientiã negligit. 476
Iuuentus ſucculenta. 390

L.

Labra fiſſa ſiue lepotina vnde. 17
Lac piſces corrumpit. 273
Lac corruptelæ obnoxiũ. 176
Lac lapideſcit in vberib. 440
Lac quibus vtile. 272
Lacertæ erga hominem ſtudium. 427
Lactantij ſententia de ſimilitudinis ratione. 16
Lacte madeſcunt vbera, vbi menſes ſubſiſtunt. 52
Lactuca ante aut poſt cœnã ſumenda. 269
Lactuca quibus vſui. ibid.
Lactucæ frigiditas quibus retunditur. 268
Lætitia ſolida. 345 (370
Lagena quale poculi genus.
Lagenæ corpori applicatæ ſudorem eliciunt. 470
Laminæ corneæ glauco colore. 407
Lampetræ vnde nomen ſortitæ. 432
Lapis bufonius. 231
Laricis ligni vis. 186
Lauro frigus inimicum præſertim radici. 394
Laurus viti inimica. 285
Laurus quibus natalibus delectetur. 394
Laurus cur Brabantis negata. 395
Laurus denſum ſolum exigit. 394
Lens aquæ quid. 355
Leproſi vt explorentur. 292
Leproſi habitus qualis. 338
Leproſorũ ſaliua noxia. 272
Lex de porcis mactandis. 338
Liberi à patribus inſtituendi. 222
Liberi quando ferre cogantur parentum probra. 299
Libonoti & Auſtroafrici natura. 314
Lignum aloes licet leue demergitur. 247
Linacius lapis quo effectu polleat. 230

Limo-

Limonis ſuccus corroſiuus. pag. 250
Liquores vitiati vt inſtaurentur. 278
Lyſſa vermiculus ſub lingua canis. 331
Loci ſitus mutationem herbis inducit. 117
Luna mare concitat. 263
Luna quot diebus curſu perficiat. 484 (484
Luna ſidus terrę proximum.
Luna menſes conſtituit in puerperis. 482
Luna quando tēpeſtates concitat. 266
Luna morbos humidos exaſperat. 156
Lunæ decurſus. 265
Lunæ effectus in producēdis viribus. 137
Lunæ vis quos morbos acuat. 359
Lupulus vulgo hoppe. 141
Luſci qua animi conditione pag. 410

M.

Macilentis nihil adimendū. pag. 420
Magna apud Zelandos rerū viciſſitudo. 388
Magnes qua ratione ferrum alliciat. 324
Magnetis natura. 426
Mala mens inquieta. 64
Mali corui malum ouum. 21
Mali genij ventos exſperant pag. 149
Mali genij corpus & mētem oppugnant. ibid
Mali genij melancholiæ incumbunt. 109
Mali genij hominibus infeſti. 73
Mali Medici aut Citrei vires. 461
Mandragora an conceptum perficiat. 430
Manus ac pedes vnde trunca & mutila. 412
Manus quādo vellicādę. 420
Maria doloríb. concuſſa. 71
Margaritæ aceto maceratæ liqueſcunt. 249
Maritimæ herbæ ſquallidæ. pag. 358
Martinalia feſta. 345
Martiniana ciuitas. 384
Mares cur citius, quam fœminæ abſoluantur. 489
Maſculus quando concipitur. 46
Materia accumulandi ſeminis. 45
Mathioli induſtria. 350
Matrimonij incōmoda. 442
Matrimonij commoda. 443
Medicinæ tres sūt partes. 396
Mediocritas fœlicitatis laudanda. 389
Medicorum de partu pronūciatio nullius vel fauorę, vel iniuria. 482
Meditatio alterius vitę quid efficiat. 81
Melancholia vnde contrahitur. 109
Melancholia vt expugnetur pag. 110
Melancholiæ incōmoda. 423
Melancholici natura. 105
Melancholici cōmiſeratione

ne digni. 112
Melancholici non facile inebriantur. 148
Melancholici vnde abſurda imaginantur. 110
Melancholicorũ natura vbi vino incaluerint. 148
Membra ſibi ſalutaria alliciunt. 421
Membris frigore oppreſſis quæ auxilientur. 469
Memorabile de Mauro. 173
Mens aſtrologis in Deum erigenda. 456
Mens quibus vacillat, ab aere citò offenduntur. 314
Mens ab aſtris aliena. 456
Mens hominis à Dei ſpiritu, nõ ab aſtris impellitur. 457
Mens ab aſtris libera. 453
Mens hominis Dei ſimulachrum. 9
Mens verbo Dei fulciẽda. 111
Mens tabulæ raſæ comparatur. 76
Mens humana diuinitatis exemplar. 87
Mens hominis diluculo erectior ex ſanguinis habitu. 146
Mens atque anima incorporea. 56
Mens in Deum nos erigit. 55
Menſis à luna Belgis nomen accipit. 266
Menſtrua quæ venenata. 54
Menſtrui liquoris facultas. pag. 34
Menſtruo inquinata intacta eſto. 40
Menſtruum materiam ſuppeditat alendi fœtus.
Mentha oblactum reſtitui[t] 25
Mentis cum gemmis comparatio.
Mentis præſtantia & vis.
Mentis intentio corpus att[e]nuat. 7
Mercurialis, quo effectu i[n] excitanda prole. 4
Metelliburgum expugnatur. 37
Metelliburgum Emporium 36
Metelli dictum de vxore ducenda. 44
Mineralia vnde. 12
Mirabilis Deus in operibus ſuis. 42
Mituli vulgo Moſſelen, porcis ſalubres. 33
Moderatè omnia inſtituenda. 1
Mœchi adulteria ioco eludunt prouerbiali. 44
Moer quid Belgis. 12
Mola matricis Belgarũ maritimorum qualis. 12
Moles & promontoria capu[t] vocantur. 35
Monſtroſa ſpecies vnde. 9
Morbilloſi omnes dolorum differentias percipiũt. 29
Moralea partus anguſtia. 49
Morbilloſi ſanos inficere geſtiunt. 39
Morbi aſſuetudine miteſcunt. 189
Morboſi & debilis diſpar cõditio. 399
Morborum incredibilis con-

tagio. 210
Morborum inſultus, vt hoſtium propulſandus. 167
Morbos expugnari ciborum nonnullorum deſiderio. pagin. 28
Morbus Comitialis in quos referendus. 155
Mores ex humoribus emergunt. 106
Moribũdi cur murmuloſum ſonum edant. 190
Morſus canis venæ inciſionẽ non exigit. 332
Moſæ origo. 386
Motus & iactatio corporis, ægroto noxia. 415
Mulier cur irata lachrymetur. 445
Mulieres erga natos viris cur propenſiores. 32
Mulier quando pacatior. pagin. 449
Mulier quale animal. 444
Mulier citò irata citò placabilis. 445
Mulier concubitus auida. pagin. 30
Mulier cur vini copiam perferat. 201
Mulier quæ magis imperioſa. 17
Mulier viro patentiores habet meatus. 172
Mulier geſtans vterum affectibus expoſita. 23
Mulier corallum deterius efficit. 207
Mulier cur ſubitò incandeſcat. 445
Mulier pręgnans incommodum ſentit ex denegatis edulijs. 29
Mulier quando primum fœcunda efficitur. 498
Mulieres non ſegnes in elaborando fœtu. 33
Mulieres ab omnibus ſcriptoribus proſcinduntur. 442
Mulieri quando menſes deſinunt. 498
Mulieres comendi ſtudioſæ. pag. 238
Mulieres immodicè canibus afficiuntur. 24
Mulieres vnde moroſæ. 449
Mulieris intemperies tempeſtatis ſimilis. 444
Mulieris fragilitas vnde. ib.
Mulierum ſalacitas. 303
Multa ex ſordibus enata. pagin. 465
Multa in rerum natura exoleſcunt. 326
Multi animæ immortalitatem ſtatuunt, pauci reſurrectionem. 83
Munia fracturis apta. 423
Murænæ exiccatæ inardeſcunt. 433
Murænę ſpina neruus eſt, nõ os. ibid.
Murenæ ſiue lampetræ deſcriptio. 432
Murenæ quo tempore pingueſcant. 434
Murenis in cauda ſpiritus vitalis. 432

Muſtę-

Muſtela baſiliſco hoſtis capitalis. 291
Muſtela baſiliſco hoſtis. 438

N.

Napus, vulgo Naucel. 141
Narratio cōtentionis de prole ſuſcitata. 480
Naſi forma quæ decora. 463
Natiuitas Chriſti quid effecit. 95
Natura quid. 1.
Natura rerum ad Deum nos erigit. 7.
Natura Dei miniſtra. 93
Natura nec iners, nec otioſa. 2.
Natura præcipuas partes à morbo tuetur. 183
Natura modicis cōtenta. 335
Natura rerum aſtris ſubiecta. 453
Natura rerum reſurrectionem aſtruit. 86
Naturalia ſomnia obſeruanda. 232
Naturæ vis ad Deum referenda. 3.
Naturæ propria definitio. 4.
Naturę contemplatio ad Deum erigit animos. 5
Naturæ artificium. 92
Naturæ ordo ac ſeries. 145
Naturę lex cuiq; impreſſa. 80
Naturæ inſtinctus. 72
Nauale prælium. 381
Naufragi qua ratione inſtaurandi. 470
Nautę clepſydris vtūtur. 324
Nautarum apud Zirizæos vitæ conditio. 374
Negotiatio Euāgelica qd. 73
Negotiatores frumētarij, vulgo Corenbyters odioſi. 140
Nemo culpam in Deū transferat. 77
Nemo non afficitur rerū varietate. 280
Nemo inſoleſcat progenitorum nobilitate. 300
Nemo non mortis metu cōtremiſcit. 191
Nemo non effectibus vrgetur. 102
Nemo nō immortalitatē vel affectat vel meditatur. 83
Nerui motu & ſenſu præditi. 255
Nerui quomodo à cerebro producuntur. 299
Neruis quæ auxiliātur. 422
Nigrū tegmen infantis quid ſignificet. 177
Nihil abſq; argento viuo inauratur. 246
Nihil ex omni parte beatum. 139
Nix liquefacta ſtirpibus noxia. 394
Nobilitas quæ ſolida. 300
Nocte omnia late exaudiri. pag. 382
Nomen à re inditum Fliſſingæ. 370
Non inuadendas aliorum ditiones. 382
Non nimium dolendum orbitate liberorum. 299
Non omnium conſilia in re medica admittenda. 460
Notæ corporis animi conditionem indicant. 218 (314
Noto ſpirante paludes olidę

Nuces muſcatę vt explorentur. 206
Nutrices notantur. 464
Nutrices infantibus morbos adferunt. 502

O.

Obeſi æſtu maris accedente periclitantur. 361
Obſeruatio in conſtituendis ianuis. 307
Occluſo ore ſomnus ſalubrior. 220
Oceani vis in morſu canis. pag. 332
Oceanus ęſtate magis ſalceſcit. 347
Oculi animi indices. 410
Oculi cæſij vnde & qua functione videndi. 406
Oculi & viſus moderatè conſtitutus. 408
Oculi nigri qua videndi facultate. 406
Oculi primū moriuntur. 405
Oculi prominentes & reconditi caligantur. 404
Oculis cur abſurda obuerſātur. 405
Oculorum color & acies qua ratione variatur. 408
Oculorum colores medicamenta immutant. ibid.
Oculorum varia diſpoſitio. pag. 410
Oculos exhauſtos quæ fouet. pag. 408
Oculus Chriſti flos. 116
Odores fœdi aliquando vtiles. 181
Odores graues aliquando peſti obſiſtere. ibid.
Odores ſpiritus inſtaurāt. 417
Oleæ natura. 286
Oleum cuiuis liquori ſuperinfuſum putredinem arcet. 283
Oleum lini & ſeſami nō congelaſcit. 243
Oleum venena retundit. 283
Olfactus vt reſtituatur. 286
Olidis faucibus qui parcius pane veſcuntur. 204
Omne nimiū pernicioſum. pag. 304
Omnia membra ſuis officijs diſtincta. ibid.
Omnia naturæ opera in Deū referenda. 4.
Omni homini ſimilis introitus & exitus. 296
Omnis natio ſuis vitijs imbuta. 373
Omphacij viri vis. 250
Operū habendus delectus. 98
Opificia quædam colorē homini immutant. 358
Opij vis. 291
Opinio anilis de infantium galeis. 176
Oppoſitio plenilunium, coniūctio nouiluniū facit. 263
Orbitas liberorū à Deo. 398
Oriens occidenti obuertitur. pag. 267
Oſſa humana comitiali morbo idonea. 160
Otioſi catharris obnoxij. 360
Otioſi lunæ effectibus expoſiti. ibid.
Ouillis pedibus lanuginoſa concretio ſubeſt. 330
Ouiū natura in curſu. ibid.

Ouum & ambra ſalſugini immiſſa fluitant. 171
Ouũ in aceto liqueſcere. 451
Ouum ſalſugine immerſum innatat. 453
Oxalis Zurckel. 270

P.

Palmæ natiua vis. 429
Panis vſus. 204
Papauer erraticum noxium. 292
Parentum morbi & vitia in proles redundat. 21
Partes genitales vel ſecundæ vel aduerſæ valetudinis sũt indices. 274
Partus Decimeſtris. 492
Partus Septimi menſis quur vitalis. 493
Partus Octimeſtris non vitalis. 494
Partus quando placidus. 485
Partus quãdo laborioſus. ib.
Partus ſeptimi menſis vitalis. 480
Partus contra naturæ ordinem. 491
Partus deprauati vnde. 411
Paſſi vis. 250
Patriciorum conditio diuerſa à plebeia. 373
Pauent aquam rabidi. 332
D. Pauli ſolidæ rationes in aſſerenda immortalitate. pag. 89
Pauli de muliere pręceptum pag. 448
Paupertas ſapientiam ſortita. 393
Peccata actualia. 296
Peccatum morbos & mortem inuexit. 192
Peccatum originale quam labem intulit. 295
Peccatum originis quomodo obliteratum. 397
Pectori quæ herbæ amicæ. 422 (334
Pecuniæ vſus & neceſſitas.
Pedum lotio quando adhibenda. 419
Pedum lotio aliquando noxia. Ibidem
Pelles quando animantibus detrahendæ. 362
Pellium quarundam natura in erigendis pilis. Ibidem
Pæonia qua vi polleat. 159
Pæoniæ ſemen ſpectatiſſimum. 430
Peſte extincti ocyus humandi. 157
Peſtis ex prauo cibo plebi peculiaris. 460
Peſtis ex aere omnibus communis. ibid.
Phœnix reſurrectionis typus. 91
Philandri opinio de verſoria. 328
Philippi regis laus. 260
Phoca, vulgo Zeehont. 277
Pica morbus. 26
Picatio morbus ſeu Cittaquis. 351
Pilotæ ſeu naucleri ventorũ obſeruantiſſimi. 320
Pingues plerũq; ſteriles. 289
Pinguia venenis obſiſtunt. pag. 198
Piſcatorum apud Belgas affectuum moderatio. 374

tuitoſi conditio. 105
xis nautica duos & triginta ventos ſtatuit. 308
ix oleo eluitur. 428
latonis ſententia de fœmina. 448
enitudo aut inanitio obſeruandæ in oculis fouendis. 408
linij ſententia de ſimilitudinis ratione. 18
lumbum liquefactum, vt non vrat. 242
lumbum liquefactum, & oleum feruidum vrentiſſima. ibid.
lus nimium ſalaces podagrici. 273
lutarchi ſententia de vino eluendo. 289
otio ſalutaris qui marinā hauſerint. 470
orci in ſiluis vagantes ſalubriores. 339
orcorum fœtoſa cutis adurenda. ibid.
otentiæ naturales quatuor. pag. 505
ortulaca, dentium ſtupori medetur. 286
Portulacæ marinæ conditura. 351
Præcocia cito euaneſcūt. 256
Præmaturus interitus vnde. pag. 297
Præmaturæ veneris incommoda. 464
Præpoſterus diuorū cult9. 344
Præſeruatiua cautè adhibenda. 459
Præſeruatiua in peſte. 461
Principijs obſtandum. 163
Procacitas hominum. 300
Prognoſtica ex Luna. 485
Proles cur fere matri aſſimiles. 31
Proles cur matri addictiores ibid.
Proles quando damna concipiunt ob parentum reatus. 297
Properata minus ſolida. 256
Prouerbium vulgare ex imaginatione deſumptum. 26
Prouerbiū in morbidos. 211
Prouerbium muliebre in eunuchos. 46
Prouerbium in ignauos. 105
Prouerbium vulgare ex cibo malè cocto. 115
Prouerbium In fabis oberrare. 199
Prouerbium ex tumultu nocturno deſumptum. 344
Prouerbium populare in fœminas. 303
Prouerbium triuiale in pueros præmaturè agiles. 246
Prouerbium Belgicū de Brabantia & Zelandia. 384
Prouerbium ex oculorū obtutu in nefarios. 411
Prouerbium ab equis effœtis. 391
Prouerbium de virginib. 498
Prouerbium in viduas. ibid.
Prouerbium in improbos. pag. 321
Prouidentia diuina omnia adminiſtrari. 389
Puellæ venuſtæ iuuenes viriles videri exoptant. 456

Puellæ maritatæ reuiuiſcunt. 30
Pueri, deformes anus fugiunt. 280
Pueri morbidi nutrices inficiunt. 502
Pueri non plectuntur ob ſcelera parentum. 295
Puerorum malitia parentibus imputanda. 392
Pulmo prælargus quid commodi afferat. 173
Pulſus vermiculans. 210
Pulſus formicans. 209
Puluis nitroſus vulgo Buſſenpoluer. 45
Puluis præcipitatus. 245
Puſillanimes ac meticuloſi qui. 106
Poſtulę vnde varij coloris. 414
Putei æſtate frigidi, hieme calidi. 470

Q.

Quamdiu in longum corpora porrigantur. 213
Quam multa viſui officiunt pag. 404
Quando cœnacula frōde adornanda. 417
Quādo mulier ex facie in fœmora aut nates notas trāſferat. 26
Qua re vxoribus gratificandum. 46
Qua re quiſque fiat emendatior. 224
Quatenus obſeruanda aſtra. pag. 455
Quatuor calamitates à Deo homini immittuntur. 140
Quatuor leuiſ. inter liquores 243
Quatuor humorū decurſu in corpore. 14
Quæ capiti dolorē inferant. pag. 18
Quæ à peſte pręſeruant eamque demoliuntur. 41
Quæ bilem expurgant. 42
Quæ corniculæ ore concipiant. 46
Quæ corallo ruborem concilient. 20
Quæ affectus exaſperāt. 10
Quæ edulia ex carne ſuilla conficiantur. 33
Quæ flatus diſcutiunt. 30
Quæ generandi facultatem perficiant. 4
Quæ herba fœmina, quæ mas. 42
Quæ herbæ maritimo tractu delectantur. 12
Quæ humiditatem vteri expugnent. 4
Quæ peſti obſiſtunt. 45
Quæ pituitā exturbant. 42
Quæ qualitas vermiculos progignat. 36
Quæ ſemen virile accumulent, ac Venerē excitēt. 4
Quæ res ſpiritus fulciant. 1
Quæ venena depellant. 42
Quæ vrinam moliuntur. ib
Querc⁹ oleæ aduerſatrix. 42
Quibus locis herbæ præſtantiores. 13
Quibus fœtida, quibus odorata admouenda. 44
Quibus rebus corpus incrementa ſuſcipit. 21
Quibus deeſt cōſcientia. 47
Quibus os ſiccū vel vdū. 27

Quibus affatim bibendũ. 254
Quid Germanis Burg. 369
Quid talenti & minæ diſtributio deſignet. 77
Quid Zelãdis cleynzout. 348
Quid officiat proceritati. 212
Quid homines macilentos efficiat. 452
Quid veſtibus tineas innaſci prohibeat. 363
Quid Aetius de porcis morbidis ſtatuit. 338
Qui filij naturales. 299
Qui morbo oppreſſis adeſſe coguntur. 416 (407
Qui oculi nocte ſcintillant.
Qui placidè, qui tumultuoſè extinguantur. 191
Quod genus hominum inhumanum. 106
Quod ſalis genus optimũ. 247
Quomodo euitanda pericula anni climacterici. 236
Quo ſale ſalſamenta conſeruantur. 348
Quoto dierum numero fœtus abſoluatur. 57
Quur quidam fabricitantes non ſitiant. 285
Quur alij in longum, alij in latum excreſcunt. 212

R.

Rabidis potus non denegandus. 332
Rabiem quæ expugnent. ib.
Radijs. 287
Ranarũ eſus quib. vtilis. 340
Raphanus temulentiæ obſiſtit. 285
Raphanus & rapa oculis grata. 409
Rara auis mulier bona. 446
Ratio & experientia exiguntur in artibus. 424
Ratio multarum rerum inexplicabilis. 286
Rauus color qui. 355
Reconditi & protuberantes oculi ratione diuerſa vidẽt. 404
Reges olim rei herbariæ ſtudioſi. 128
Regiones corporis & animĩ conditiones immutant. 100
Regi Hiſpa. Philippo grata zelãdorum mundicies. 365
Rei geſtæ narratio de alcis viribus. 162
Rei geſtæ narratio de prægnantis appetitu. 27
Rei geſtæ narratio de puero magno capite. 25
Rei geſtę narratio, de admirabili mulieris partu. 41
Rei apud Ferrarienſes geſtæ narratio. 134
Rei geſtæ narratio de gallĩ ouo. 435
Religio nõ aſtris, ſed Dei ſpiritu ſubiecta. 456
Remedia ad rabiẽ canis. 331
Remedia incubi. 159
Renibus quæ cõueniunt. 422
Rerum viciſſitudo quid indicet. 7
Res geſta apud Tornacenſes dum peſtis ibidem graſſaretur. 182
Reſurrectio quid homini cõtulit. 95
Reſurrectio labãtes fulcit. 95
Reſurrectio ſemper in animum

mum reuocanda. 69
Reſurrectio corpora indecora reſtituet. 100
Rhamni deſcriptio. 357
Rheni origo & decurſus. 369
Ridiculum de ruſtico quodam. 180
Rubigo brant vulgo. 277
Romanorum lex de fœmina 447
Romerſuuilla ciuitas. 384
Ros ſolis quid. 336
Rubia radix & alumē durabili colore pãnos imbuit. 365
Rubicundum infantis velamen quid portendat. 177
Rudimenta humanæ formationis. 58
Ruta corpori admota adurit. 439
Ruta & chelidonia quando oculis ſalubria. 409
Ruta oculis aliquando noxia. 409
Ruta venenis obſiſtit. 291
Ruta frigida venena obtundit. 438.
Rutæ vis. ibid

S.

Sal agros & iumenta fœcunda præſtat. 248
Sal recens citò liqueſcit, vetus ſerius. 347
Sal fœcunditatē confert. 247
Sal torridus vulgo braetzout 349
Salaces homines notantur. pag. 42
Salem Zelandi quomodo cãdidum efficiant. 348
Salis conficiend inaudita ratio. ib.
Salis efficacia in morſu canis rabidi. 349
Salis ex glebis confectio. 348
Salis habendus delectus. 347
Saliua quid. 271
Saliua cani rabidi noxia. 331
Saliuæ vis & effectus. 270
Salſugo. 248
Salſugo ambuſtis vtilis. 350
Sãguis cur homini ex cõſternatione ſubitò erumpat. pag. 175
Sanguis cur febres continuas excitet. 147
Sanguinem defecantia. 424
Sanguis putredini obnoxius. 165
Sanguis mortuis referueſcit. 176
Sanguineis fortis viſus. 402
Sanguinei hominis natura. 105
Sanguiſuga in corpore muliebri. 42
Sani vt contra peſtem ſubſiſtant. 460 (302
Sanitatis indicia in pueris.
Sapientes cur aliquando ſtultos procreant. 2c
Sapo vnde conficitur. 428
Scaldæ fremitus quando tempeſtatem denunciat. 375
Scaldia inſula à flumine ſic dicta. 371
Scaldis per Flandriam decurſus cur de Hõte dicitur. 375
Scaldis fluuij origo & decurſus. 374
Saturnus infanti grauis. 494
Scheluiſch. 231

ıeluiſch piſcis vnde deno-ıinetur. 376
hoerbuyck à vitioſo ſto-ıacho gingiuas & pedes ıficit. 130
ylla qua vi polleat in epile ıſia. 159
orta cur non concipiāt. 53
cunda algæ ſpecies. 355
men virile opifex fœtus. 39
minis cohibiti noxa. 30
minis efficacia in ſimilitu linis ratione. 16
minis vis quantum ad ſi-nilitudinem. 34 (487
minis humani efficacia.
natus cōſultum ne ſal ad-ulteretur. 349
nes citò ebrietate tentan-ur. 202
nes aridi. 390
nes cibo ſe fulciant. 203
nſim nō auide bibendū. 253
ptenarius numerus ſacra-us. 238
ptentrionalis venti natu-a. 317
rotini fructus diuturni. 256
xtarius librā & vncias octo omplectitur. 336
xus in ſtirpibus. 428
cci & aridi in Oceani deflu-xu moriuntur. 361
dera & humores vim, non neceſſitatem inferunt. 108
dera res infernas regūt. 453
iderum vis humoribus in-cumbit. 426
iderum vis metallis incre-mento eſt. ibid.
imilitudo nemini prolem aſſerit. 20
Similitudines ab opificib. 488
Simile ab infœcundis arbo-ribus. 207
Simile ab arboribus in ſaxo-ſis locis conſitis. 413
Simile ab hominum natura & educatione. 119
Simile ab equo calcitroſo. 67
Simile à gallinis & fœminis quibus mas deeſt. 418
Simile non inconcinnum ab herbarum fragrantia, 163
Simile ab ignis fomite ac nu trimento. 319
Sinapi corallum rubicundū efficit. 207
Sinapiſmi & pulueris præci-pitat vis in morſu. 333
Synaxis ſiue euchariſtia. 97
Singula mēbra Lunæ motus percipiunt. 454
Synthereſis quid. 72
Sirupi vis. 250
Scnoeck. 238
Smaragdi viror oculis gra-tus. 409
Socrates cur affectibus min obnoxius. 103
Socratis temperantia. 460
Solarium quid ſit. 324
Sol geminus in ſpeculo aquę ſubdito. 246
Solis & Lunæ vis in res infe-riores. 263
Solis & Lunæ effectus in in-feriora. 260
Solomoni nihil nouum. pa-gin. 327
Somnia à Deo aliquando im-mitti. 232

Somnia ægrorum & ebriorum. 234
Somnia varia pro humorum redundantia. ibid.
Somnus noxius à veneno aſſumpto & in peſte. 198
Speculum quid oculis conferat. 239
Speculũ cur ex aduerſo imaginem referat. 240
Specula viſui opitulantur. pag. 404
Speculi præcipuus vſus. 239
Spiritus diuinus aereo ſpiritui comparatur. 306
Spiritus vitioſus alimẽto nocentior. 307
Spiritus rarus & tenuis viſui officit. 403
Spiritus humidus & modicus qualem viſum efficit. 403
Spiritus nõ æquè ac cibus ad neruos penetrat. 255
Spiritus mundi omnia fœcũda præſtat. 430
Spiritus corporei mentẽ concitant. 112
Spiritus craſſus quem viſum efficit. 403
Spleni quæ conferunt. 422
Statura puſilli cur iracundi. pag. 104
Status cœli animos immutat. 261
Stercoratio inſalubris. 138
Sterilitas à Deo. 43
Sterilitas & orbitas à Deo. pag. 398
Stimuli Veneris varij. 14
Stirpes renaſcẽtes reſurrectinem commonſtrant. 91
Stolones vulgo vvaterſchoten. 3[illegible]
Studioſi non perferunt in[illegible]diam. 2[illegible]
Stupri illati inficiatio. 4[illegible]
Sub æſtu & gelu canes rab[illegible]unt. 32[illegible]
Sublimis animus ad ſumm[illegible] enititur. 3[illegible]
Submerſi cur ſtatim non [illegible]mergant. 1[illegible]
Submerſi quoto die eme[illegible]gant. 1[illegible]
Subſolani venti, qui ab or[illegible] progreditur, effectus. 3[illegible]
Succini natura. 4[illegible]
Succinum vulgo ammer. [illegible]
Succiſæ ſtirpes ad tempus g[illegible]minant. 1[illegible]
Sudor quando maturius [illegible]rumpit. 4[illegible]
Sudor & ſaliua ex humori[illegible] vim ſortiuntur. 2[illegible]
Suydtbeuelandia inſula v[illegible]de dicta. [illegible]
Sulphur & argentum viuu[illegible] metallorum principia. 2[illegible]
Superſtitio quid. 3[illegible]

T.

Tartarus quid ſit. 3[illegible]
Tartarus, VVeinſtein. 2[illegible]
Tepor lecti pelles deterio[illegible] efficit. 3[illegible]
Terrauana quare ſic dicta pag. 1[illegible]
Terræ atque vteri compa[illegible]tio.
Terra poſt Deum rerum p[illegible]rens.
Terrena aſtris obſequunt[illegible] pag. 4[illegible]

Tertulliani falſum dictum in pythagoræos Druidas. pag. 57
Veſtes flaccidi vel erecti quæ valetudinis argumēta prębeant. 274
Thomæ Mori epigramma lepidum. 19
Timor quando ſalutis ac reſipiſcentiæ cauſa. 471
Tithymalli vires. 288
Tonitrua hiberna tempeſtates præſagiunt. 279
Tonitrua & fulmē liquores vitiant. 276
Tophꝰ teras gipſo affinis. 451
Tres in homine ſpiritus. 11
Tres membranæ infantem muniunt. 176
Tres ſunt conditiones corporis humani. 196
Triremes vulgo Galeyē. 380
Triſſa quod genus piſcis. 348
Tropi ſcripturæ de Dei membris. 68
Tumorum in inguine curatio. 210
Turcoſæ vis. 229
Tuſſis à liquido humore moleſtus. 312
Tuſſis pueros ſtrangulās. ib.

V.

VValachria vnde dicta. 369
VValachriæ ſitus. ibid
Valetudinarij auræ mutationem percipiunt. 262
Valetudinarij alij lecto affixi, alij inambulantes. 396
Valetudinarij auræ iniurijs obnoxij. 317
Validum argumētum reſurrectionis. 48
Vapores tetri cerebro infeſti 110.
Varronis in peſte cōſiliū. 307
Vates calamitatibus expoſiti. 71
Vbertas materiæ geminata profert. 411
Venæ emulgentes quæ. 49
Venena etiam foris admota cor petunt. 425
Venæ apopleticæ. 61
Venena liquida nocentiſſima. 197
Venti etiam animo intemperiem adferunt. 311
Vēti cardinales quatuor. 308
Ventorum origo. 306
Ventus quid ſit. ibid.
Venus immodica venuſtatē depopulatur. 304
Venus omne animal mœſtū efficit præter gallum. 434
Venus incommoda valetudinarijs. 302
Verbi Dei fructus & vtilitas. pag. 81
Veria ciuitas vnde dicta. 371
Veria ciuitas. ibid.
Vermes cur è naribus prolabuntur. 142
Vermis linguæ canis eximitur. 329
Verminatio qui morbus. 210
Verrucæ & claui vt aboleantur. 288
Verſoria an recēs inuēta. 326
Verſoria ex quibus conſtet, eiuſq; deſcriptio. 323
Verſoria ſeptētrionis index ex vi magnetis. ibid.

Ver ſpiritus etiam effætos erigit. 391
Verticulus quid ſit. 351
Vetuſtas omnia deteriora efficit. 127
Vexilla Zirizæa cur rubra. 379
Videndi origo à cerebro. 401
Vina vitioſa mentem perturbant. 114
Vini & olei vires. 283
Vinum ardens quibus vſui. 244
Vinum aut alius liquor vt cito aceſcat. 292
Vinum diluculò hauſtũ perniciosum. 203
Vinũ glutinoſum vt inſtauretur. 291
Vinum rubrum an ſudorem & vrinam moliatur. 275
Vinum quomodo ab acore vindicetur. 290
Vinum quomodo diluendum. 288
Vinum & lac commixta vitioſa. 272
Virago vnde nomen ſortita. 17.
Virgo cultus ſtudioſa. 498
Virgines fragiles. ibid.
Virgines maturius elocandæ. ibid.
Virgines tempeſtiuè elocandæ. 30
Viridia oculos fouent. 409
Virgilij laus ob rerum cognitionem. 261
Viridi colore oblita ſerius igneſcunt. 186
Viri qui citò in lachrymas proni. 44
Vir muliere præſtantior. 20
Vir calidior quam fœmiua. 50
Vir diutius fœcundus quam fœmina. ibid.
Vir quouſq; fœcundus. 495
Vires à morbo inſtaurandæ. 167
Virus vt ad intra rapiatur. 330
Viſcum, planta quo effectu contra epilepſiam. 160
Viſus cui exactiſſimus. 402
Vitia natura corrigi poſſunt 462
Vitis oleæ amica. 428
Vitis vt fœcunda afficiatur. 284
Vnde corporis deformitas. 463
Vnde flatus in corpore. 305
Vnde herbis purgandi efficacia. 324
Vnde pueris notę imprimantur & deformes ſpecies. 25
Vnde vis in concitandis ſpiritibus. 154
Vnde membrorum defectus. 412
Vnde nigri oculi emergant. 406
Vnde in corpore & animo monſtroſæ ſpecies. 40
Vnde ſitis nocturna. 220
Vnde Zelandi Mattiaci dicti. 367
Vngues vnde. 482
Vnicornis venenis obſiſtit. 162
Vomitus commoda. 196

Vora

Voragines zelandicæ Creken. 385
Vox cur viris robuſtior, quā fœminis. 172
Vrentia ſpecula. 241
Vrina quib. ſupprimitur. 208
Vſus rerum ſpectandus. 335
Vteri natura. 441
Vtero quæ apta. 422
Vt nonnulla abſque nucleis proueniant. 119
Vt oculorum orbes nigreſcant. 463
Vulnera ex effectu Lunæ lethalia. 454
Vulnus non citò obducendū in morſu. 333
Vulturni natura. 310
Vultus animi index. 65
Vultus & oculi animi indices. 216
Vulturis natura. 505

Z.

Zevvolff. 231
zelandia inſulis fœcūda. 368
zelādia Batauiæ appēdix. 384
zelandia apud Danos. ibid.
zelandia cuniculis fœcunda. 364
zelandia an veteribus cognita. 367
zelandia in duas quæſturas diuiſa. 377
zelandia mutationi obnoxia 337
zelandiæ aer cur ſerius inficiatur. 366
zelandi callidi & induſtrij. 367
zelandij Mattiaci dicti à ſociali concordia. 357
zelandi cur poculis addicti. 270
zelandi aſtuti. 372
zelandici ſoli vbertas. 395
zelandorum origo. 384
zirizæa quando primùm erecta. 371
zirizæa piſcatoribus fœcunda. 374
zirizæa puteos ſalubres habet. 361
zirizæi literis afficiuntur. 371
zirizæi Metelliburgum expugnatum Comiti reſtituunt. 389
zirizæis virtute parta priuilegia. ibid.
zinziberis effectus. 506
zinziber ſitim non excitat. pag. 507

ELENCHVS OMNIVM CAPITVM QVAE IN PARAENESI CONTINENTVR.

1. In Deum per Chriſtū potiſſimè defigēdos oculos, mētemq; erigendam. 508
2. Quanta contulit homini rerum opifex Deus. 509
3. Deo nihil homine charius, omniaq; in eius vſum creata. 510
4. Quanta eſſe debeat hominis erga Deum gratitudo. 511
5. Baptiſmus quid homini conferat quod moneat. 512
6. Poſt Deum in proximum proferenda charitas. ibid.
7. Quanta eſſe debeat erga parentes liberorū pietas. 513
8. Qualem ſe quemq; præceptori exhiberi cōueniat. 514
9. Quibus potiſſimè in humana ſocietate honor exhibendus & reuerentia. 515
10 Quid præſtet homini inſtitutio, & qualis ea eſſe debeat. 516
11. Vnde morum integritas atque optima vitæ præcepta petenda. 519
12. Qui autores ad expoliendam linguam, mentemq; exornandam vſui, & quæ artes potiſſimū amplectendæ. 522
13. De Ethnicis ſcriptorib. Cenſura. 523
14. Poetæ officium, & quid iuuentuti atq; etiam adultis conferat. 524
15. De Hiſtoriarum vſu & vtilitate. 525
16. De Comœdia. 526
17. De Eloquendi dicendiq; peritia nulli non, cuiuſcunq; ſit idiomatis, vſui & neceſſaria. 527
18. Ad quas diſciplinas nobis aditum patefaciant humanitatis ſtudia. 528
19. Certo fixoq; diſciplinę generi inhærendum. 530
20. Quæ ſtudia & occupationes operoſæ ac minus frugiferæ, quæ noxiæ & pernicioſæ. ibid.
21. Non minus animo mentiq; proſpiciendum, quā corpori. 532
22. Qua ratione corpori ſubueniendum, vt inculpata valetudine ſubſiſtat. 532
23. Cibos ex Dei liberalitate ac munificētia magna gratitudine ac gratiarum actione ſumendos. 537
24. Quomodo Hoſpitalitatis habenda ratio. 538
25. De rei familiaris ac domeſticæ cura, eiuſq; adminiſtratione. 542
26. Somni ac vigiliæ moderatio. 545
27. Quid adferat commodi

vel

:l incommodi repletio & ianitio, deniq; aluus vel a-riĉtior vel laxior. 548
ȝ. Studioſis viriſq; politi-s ſæpius meatus, per quos xcrementa deferuntur, ex-urgandos. 549
9. Precepta ſalubria nõ mi-us animo, quàm corpori i-onea. 551
ɔ. Exiſtimationis ac famæ ıabenda ratio. 153
ı. Laudabilis diſſidiorum ›acificatio. 558
2. Nemo inſoleſcat rebus ›roſperis, nec deijciatur ad-ıerſis, ſed Dei prouidentia ſe ulciat. 559
ȝ3. Vitanda curioſitas. 560
ȝ4. In veſtitu moderatio. 562
ȝ5. Nemo ſortẽ ſibi deſigna-:am deſpiciat. 563
ȝ6. Improborum conſuetu-linem ac familiaritatem vi-tandam. 567
ȝ7 Linguam cohibendã non ſolum ab obſcenis verbis, ſed etiam otioſis. 568
ȝ8. In verbis omniq; actione vitæ, deteſtabilis fucus ac ſi-mulatio. 570
ȝ9. Philautia, hoc eſt, cæcus amor ſui excutiendus, atque inanis doctrinę perſuaſio. 571
40. Familiariũ atq, amicorũ habendum delectum. 575
41. Ne temere te cuiquam ſponſorem offeras. 576
42. Aſſentatores quos vulgo Pluymſtrijkers vocant vitandi. 577
43. Præcepta quædã ad benè beateq́; viuendum accõmoda. 578
44. De exercitatiõe qua defatigatæ vires inſtaurantur cũ animi tum corporis. 579
45. In rebus agendis rationẽ in conſilium adhibendã. 588
46. Quę dubitas ne feceris. 589
47. Virtutis ac vitiorum pręmia. 590
48. A Deo ſumenda omniu actionum noſtrarũ initia. ib.
49. Diluculum auroraq́; matutina ad componendam mẽtem, atq; animum in Deum erigendum aptiſſima. 591
50. Exacto die exigenda à mẽte diurnarum actionum ratio. 592
51. Nemo vitijs ſuis blandiatur, aut malefacta extenuet. pag. 593
52. In Deũ transferendũ quidquid boni nobis obtigit. 595
53. Delectus & conſideratio habenda in dilegẽdo vitæ genere. 596
54. De legitima matrimonij ſocietate. 598
55. Omnis ſocietas quæ non conſiſtit intra coniugij limites, vitioſa, atq; à legitimo matrimonio aliena. 601
56. Qua ratione obtineri poſſit, ne mors homini natura pauido ſit formidabilis. 603
57. De nominis Ieſu Chriſti amplitudine, maieſtate, potẽtia, qua vna obſiſtẽdum magicis incantamentis, atq; il-

Iuſiones dæmonum expugnādæ,& ſi qua alia detrimenta vel menti vel corpori inferri contingat. 608
58. An herbæ & gemmæ aliquam vim conferant in profligandis dæmonibus, ac depellendis alijs reb. noxijs. 617
59. De maieſtate & potentia ſupremi numinis, & quā va rias appellationes vnica D eſsētia tribus perſonis diſtin cta ſortiatur. Cuius rei con templatione humanus an mus tranquillitatem & ſol tia, ſummamque erga Deur fiduciam in ſe concipit. 62

RERVM ET SENTENTIARVM

IN PARAENESI CONTENTARVM, INDEX.

A.

A Chriſto inſtitutionis initia ſumenda. 519
Adam ſpecie veritatis deceptus. 597
A Deo cibus nutriendi vim obtinet. 537
A Deo petenda actionum primordia. 590
Adoleſcentia Chriſti laudata. 521 (577
Adulatoris & amici diſcrimē
Aes alienum conflatum. 562
Aeſtate frigus opacum captandum. 584
Aetas tenera optimis aſſueſcat. 519
Affectus hominum non naturales culpandi. 603
Affectus vitioſi menti efficiunt. 534
Agricola nunquā otioſus. 580
Agriculturæ oblectatio. ib.
Alea quid. 586
Aleatorium conditio. 587
Aleæ a Talis diuerſæ. 585
Aliſſon. 61
Amicitia immortalis eſto mortalis inimicitia. 57
Amicorum habendus dele ctus. 57
Amico quatenus obſequen dum. 577. (52
Amœna herbarū cōtēplatio
Amor vinoſos vellicat. 58
Amplitudo nominis Ieſu. 61
Animæ pabulum. 53
Animus incōſtātiæ cauſa. 56
Arma militię Chriſtianę. 61
Artes damnoſę quæ. 53
Aſa rex cur non eſt ſanitat conſequutus. 615
Aſſentator pernicioſus. 57
Aſtragaliſmus quid. 58
Aſtrologia nō prorſus explodenda. 53
Aſtrologia quatenus exercē da. 53
Aſtrologiæ vanitas improba ta. 53
Aurora precationi apta. 59

B. Baptiſ-

B.
Baptiſmus quid efficiat. 512
Barbaries vitanda. 570
Beneuolentia alterius erga alterum fouenda. 570
Biblia ſalutares doctrinas exhibent. 526
Bona noſtra omnia à Deo promanant. 596
C.
Cæcus amor ſui deteſtandus 561
Calamitoſis non inſulandum. 555
Carmen Auguſtino vſurpatum. 559
Carmē cōuiuale elegās. 539
Carbunculus. 617
Ceruleus. ibid.
Chriſolitus. ibid.
Chriſti doctrina omnē ſapientiam ſuperat. 615
Chriſti fiducia expugnatur genus omne malorum. 612
Chriſti philoſophia. 528
Chriſto omnia attributa. 611
Chriſtus ad excubias incitat. 521
Chriſtus auram popularem non captauit. 553
Chriſtus Deo par. 611
Chriſtus eccleſiæ caput. 613
Chriſtus in tempeſtate, ſacra anchora. 607
Chriſtus mortē deuicit. 604
Chriſtus omnia in omnibus. 613
Chriſtus pacificator inter Deum & hominem. 607
Chriſtꝰ ſatanæ formidabilis 604
Chriſtus ſcopus & vitæ exemplar. 522
Ciborum apparatus vitandus 542
Ciuilitas inſidioſa. 578
Comicorum licentia. 526
Comœdiæ moderatio adhibenda. ibid.
Comœdiæ vſus. ibid.
Concoctioni violentus motus officit. 584
Confidentia vitioſa. 555
Coniugij vſus. 593
Cōiugio inepti & celōbes. 600
Cōiugiū multos eneruat 598
Coniugium non temerè adeundum. 598
Connubiū ſi adeatur, honeſta familia obſeruāda eſt 599
Corallium. 617
Coricæi, vulgo Verſpiers, obſeruandi. 557
Contentiones ſopiendæ. 563
Cultus animo & corpori impendendus. 532
D.
Decori habenda ratio. 573
Deliberatio in deligendo vitæ genere. 596
Dæmon ad noxia queq; hominem incitat. 610
Dæmon profligatur Dei fiducia. ibid. (608
Dęmones hominibus infeſti
Dęmones humorib. ſe immiſcēt, vt cōtagia corporib. ib.
Dentati morſus vitandi. 568
Dei in remittendo facilitas. pag. 594
Dei munificentia in cibo agnoſcatur. 537

Dei

Dei natura inſcrutabilis. 620
Dei prouidentia rerum moderatrix. 580
Deum Belgæ Godt à bonitate vocant. 621
Deo ab effectu nomen aſſignatur. 620
Deus abſolutum virtutis exemplar. 623
Deus actiones noſtras moderatur. 591
Deus cur nos à dæmone vexare permittat. 609
Deus dæmonũ malitia abutitur ad mala caſtiganda. ib.
Deus fons bonorum. 508
Deus homini mirè afficitur 510
Deus in Chriſtũ omnia profudit. 615
Deus moderator rerum. 563
De⁹ primaria rerũ cauſa. 591
Deus varia nomina ſortitur. 620
Diabolus à ſana doctrina mẽtes abducit. 597
Diabolus ſtupidos aggreditur. 609
Diſciplinę certo generi inhęrendam. 530
Diſciplinæ tres potiſſimum vtiles. 528 (538
Doloſè parta citò dilabũtur.
Dubitatio menti in agendo ſcrupulum inijcit. 589

E.

Eccleſiæ miniſtri honorãdi. 115.
Effigies hominis duplex. 509
Eloquentia quib. vſui. 527
Eloquentia ſeditiones ſopiuntur. ibid.
Emanuel quid deſignet. 622
Emẽdationis propoſitũ quotidie concipiendum. 593
Epilepſiæ contraria. 618
Eranos. 617
Errore, non voluntate quidã deuiant. 597
Exercitationum multa genera. 581 (583
Exercitatio minus laborioſa
Exercitatio ſtudioſis apta 584
Exigenda à mente actionum noſtrarum ratio. 592
Exorciſtæ dilaniati. 613
Exorciſtæ huius temporis futiles & inani doctrina imbuti. ibid.

F

Famæ habenda ratio. 553
Fidei vis. 616
Fidendum non eſt cuiuis. 575
Fides fructib. exornatur. ibi.
Fœlicitas vitæ quibus rebus conſtet. 579
Fœmina cultus auida. 562
Foris oculati, domi cæci. 561
Fortitudo Dei. 623
Fortunæ vocabulum Chriſtianis exploſum. 560
Frugalitas vtilis. 534
Frugalitatem imperat Chriſtus. 536
Futilitas damnoſa. 556

G.

Gagates. 617
Gẽmæ occulta vi imbutę. ib.
Gloria qua ratione affectanda. 554
Gratitudinẽ exigit Deus. 509

H.

Heluc⁹, nauſeoſus affect⁹. 546
Herbæ

Herbæ ad multa efficaces. 517
Herbæ quæ aluum lubricam præſtant aſtringúntve. 548
Hyacinthus. 617
Hieme apricari pamœnū. 584
Hiſtoriæ cō mendatio ex Liuio, Cicerone & Zenone. 525
Hominem à Beluis quid ſecernit. 509
Homo Dei ſimulachrū. ibid.
Homo mēdax quem ſenſum habet. 626
Homo mundi præfectus. 510
Hominis reconciliatio. 511
Honor quib. deferendus. 515
Hortorum amœnitas reficit animum. 584
Hoſpites fouendi. 538
Hoſpitū habēdus delect⁹. 539
Humanitatis officijs inter ſe certent Chriſtiani. 570
Humores praui mentem obnubilant. 534
Herbæ à Deo effectum ſortiuntur. 619
Herbæ magicis incantamentis non accōmodandæ. 619

I.

Iactantia odioſa. 555
Iehoua ſingulare Dei nomē 620. (601
Illiciti amores & cōcubitus.
Impij inquieti. 534
Impio occalleſcit ſcelere animus. 594
Improbi vitandi. 567
Incantatio damnoſa. 532
Incommoda quæ dæmones inferunt, in naturales cauſas referre nequeunt. 609
Incōſtantia improbatur. 563
Indefeſſe ſtudijs inſiſtēdū. 530
Infrugifera ſtudia reijcienda ibid.
Ingenuitatis argumentū. 554
Inopum habenda ratio. 539
Inſtitutio mētē exornat. 514
Inſtitutio quid homini præſtet. 516
Inuita Minerua nihil. 530
In vitæ diſcrimine ad Deum confugiendum. 626
Iob â dæmone cur diuexatus 609. (615
Ipſe dixit, Chriſto aſſerendū
Italiæ & Græciæ laus. 523
Iugurthæ indoles. 586
Ius ciuile Chriſto & Paulo probatum. 529
Iuriſprudentia Ciceroni laudata. ibid.
Iuriſprudentiæ vtilitas. ibid.
Iuſtitia Dei. 623
Iuuentutis exercitatio. 586

L.

Lex Amaſis cōtra otioſos. 543
Lex ſumptuaria Corinthiorum. 544
Lybanotis vel Roſmarinus pag. 518
Liberalius aliquando accūbendum. 538
Lingua cohibenda. 569
Literæ politiores ſtudia exornant. 528
Loquela ſingulare Dei donum. 509
Ludi infames qui. 586
Ludi Magiſtri imperiti. 572

M.

Magiſtratus honorandus. 515
Magnes. 617

Magnificentia Dei erga homines. 508
Matrimonij definitio. 598
Matrimonio robuſta ętas aſſueſcat. 600
Maturè à vitijs reſiliẽdũ. 520
Maturè omnia in adeundo coniugio agenda. 600
Meatus excrementis expurgantur. 549
Medicinæ vſus. 429
Mens quomodo cõfirmanda imminente morte. 607
Mẽtem quidnã ſtabiliat. 566
Miracula in animis edita. 616
Miſericordia Dei Paulo decantata. 624
Miſericordia Dei profugiũ peccatoribus. ibid.
Moderatio cibo adhibenda. 548
Moderatio victus ſtudioſis vtilis. 535
Modus rebus adhibendus. 543
Morbi horrendi herbarum præſidio expugnantur. 618
Mors Chriſti peccata noſtra abluit. 627
Mors ſomnus. 606
Mors vitæ innouatio. 626
Mortis metus quibus diſcutiendus. 606
Mortis metum quid eximat. 605
Mortui lugendi nõ ſunt more gentili. 606
Muſica inſtrumenta Hebræi non reſpuerunt. 582
Muſica mentem oblectat. 581
Muſices ſtudioſi veteris fuerunt. 582

N.

Nequitia omnis à mente noſtra diffunditur. 596
Nihil præcipitanter agendum. 588
Non fidendum rebus caducis. 603
Non putâram vitio coniunctum. 588
Noſtri noſmet pœnitet. 565
Nulla ætas ad diſcendum ſera. 527

O.

Obſeruatio rei alienæ improbatur. 560
Obtrectatio fugienda. 559
Otioſa verba quæ. 568
Omnia in vſum hominis cõdita. 510
Opinio ſcientiæ tollenda. 572
Optimi quiq; imitandi. 522
Oratio arma contra dæmonem. 615
Oratio per Chriſtum efficax 512
Orbitas placidè ferenda. 602
Orca, quid. 585
Oſteritium. 618

P.

Pacificator laudẽ meretur. 558
Pandiculari quid ſit. 546
Paranda rerum & verborum notitia. 516
Paraſiti conditio. 577
Paraſitus delatore minus noxius. 557 (578
Paraſitorũ infida amicitia.
Parſimonia ſera eſt damnoſa. 543
Pauli ad fures admonitio 545

Pauli

Iuli exemplo ad ſomnia e-
itendum. 523

Iulus ignauus extimulat
d induſtriam. 545

Iulus omnes extimulat vt
Dei miſericordia ſe cõmit-
ant. 624

Iulus in omnibus decorum
ſeruari vult. 569

Peccati agnitio peccatum ex
pungit. 494

Peccatorũ remiſſio in Chri-
ſto. 612

Perſuaſio doctrinę ex animo
abolenda. 571

Petri & Ioãnis miraculũ. 613

Pictura oculos paſcit. 581

Platonis ad virtutem exhor-
tatio. 590

Poeſis artiũ antiqſſima. 524

Poeta exactus morũ inſtitu-
tor. ibid.

Poetę elogium. ibid.

Poetę inſtitutum. ibid.

Politiores literæ quid præ-
ſtent. 523

Potentia Dei. 623

Præceptori honos deferen-
dus. 514

Præcipitantia linguæ impro
banda. 556

Probis quiſq; aſſueſcat. 567

Profuſio vitanda. 562 (602

Proles delitiæ matrimonij.

Prophetæ eloquẽtes. 419 (602

Prophetæ rerum cognitione
imbuti. 518

Prouerbium conuiuale. 540

Prouerbium de feſtuca ac tra
be in oculis explicatum. 561

Prouerbium frugalitatem
commendans. 543

Prouerbiũ in degeneres. 590

Prouerbiũ in inſidioſos. 541

Prouidentia Dei fulcienda
mens. 560

Prudentij gratiarũ actio. 538

Prudentij hymnus in menſæ
accubitu. 537

Pudor adoleſcentes commẽ-
dat. 554

Puellarum fragilitate conſu
lendum. 599

Puellis nulla danda lapſus oc
caſio. ibid.

Puerilis exercitatio multi-
plex. 585

Q.

Quadruplatores omnibus o-
dioſi. 557 (526

Quædam didiciſſe oportuit.

Quæ linguam expoliunt, am
plectenda. 523

Quæſtus doloſus eſſe non de-
bet. 587

Quid ijs accidit qui ſoluta Ve
nere ſe oblectant. 601

Quicquid homini obtigit, in
Deum transferendum. 595

R.

Rebus naturæ modus eſt ad-
hibendus. 551

Regũ animus irritabilis. 558

Rei domeſticę ꝓcuratio. 542

Res arduæ Chriſti nomine
perficiuntur. 611. (535

Res quæ valetudini conferũt

Reſpiratio a labore vtilis 580

Reſurrectio Chriſti iuſtifi-
cat. 627. (594

Reticentia malum exaſperat.

Rob Auiceanæ quid. 549

Ruta. 218

S.
Sacra ſcriptura nō ieiuna. 518
Salus vnde petenda. 507
Saphirus. 617
Sapientia Dei. 623
Sardius. 617
Satietas vitanda. 536
Scilla herba. 618
Senectus, Amor & venus indecora. 552
Senes honorandi. 515
Sermo Dei ignitus. 518
Sermo ſcurrilis vitandus. 568
Silentij tutum præmiū. 554
Simile ab æſtu maris. 565
Simile ab ære alieno oppreſſis. 604
Simile ab inſitione arborum pag. 522
Simile ab vrbe parum munita. 610
Simile à caſtrēſi vigilia. 521
Simile à Medicis. 560
Simile à reb. domeſticis. 533
Similia ex Muſicis ſonis & gemmis. 582
Simultates vitandæ. 568
Smaragdus. 617
Somni & vigiliæ moderatio pag. 545
Somnifica quæ cerebrum humectant. 547
Somnolentia vt excutiatur pag. ibid.
Somnus meridianus quando noxius. 54[illegible]
Sors ſua cuiq; placeat. 56[illegible]
Sponſioni damnū ſubeſt. 57[illegible]
Stabilitas laudata. 56[illegible]
Succinum quid. 61[illegible]
T.
Talorum iactus. 58[illegible]
Theologiæ pars quæ omnib. vtilis. 52[illegible]
Theologiæ vſus. ibid.
Trochorum agitatio. 58[illegible]
V.
Valetudo potior auro. 550
Ventrem quæ laxant. 548
Veteratorum ars. 578
Vigilia exiccat. 547
Virtus æterna. 590
Vita non extenuanda. 593
Vita noſtra Deo approbanda. 512
Vitæ ſtatus nullus modeſtia caret. 602
Vitis & matrimonij comparatio. ibid.
Vitium vnum ex alio pullulat. 569
Voluptas momentanea. 590
Vſus rerum ſpectandus. 562.

FINIS

TREVISANVS
DE
CHYMICO MIRA-CVLO, QVOD
Lapidem Philoſophiæ appellant.

DIONYS. ZECHARIVS
Gallus de eodem.

Auctoritatibus varijs Principum huius artis,
DEMOCRITI, GEBRI, LVLLII,
VILLANOVANI, conſirma-
ti & illuſtrati

Per GERARDVM DORNEVM.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.

BASILEÆ,
Ex Officina Hæredum PETRI Pernæ.
Anno CIↃ IↃ XXCIII.

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO RICHARDO D.G. Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ ſuperioris & inferioris, &c.

VT non in verba ſolius Paracelſi iuraſſe dicar à veritatis calumniatoribus, quorum hac tempeſtate (proch dolor) infinitus eſt numerus. Volui pariter & aliorum ſcripta, Princeps illuſtriſſime, cùm veterum, tum recentium autorum, & ſcribẽtium in hac arte traducere quædam, alia colligere. Quo ſtudioſi huius Philoſophiæ Lectores videant ex collatione mutua, hæc perbellè Paracelſicis reſpõdere, vt niſi coloribus diuerſis vna & eadem imago veri depicta videatur, ab vtriſque materia quidem & forma nullatenus differens: hoc ſolo tamen, quòd à Paracelſo hac de re breuiùs expeditiúſue tractatum ſit, quàm à veteribus: in eo tamẽ conueniunt omnes, quia Phyſicarum abdita rerum principia miranda perficiunt, vbi verò præpara-

tionum artificialium opera, per imitationem ad naturalia fuerint conformia. Tum demùm aliud nil requiritur, quàm nobiliſsimæ formæ naturalis, ac diuiniſsimæ potentialis in materiam puriſsimam introductio, qua manifeſtetur in inferioribus occulta virtus actione ſuperiorum, vt actu ſuam in alia quæq; per naturam producta ſimpliciter, cùm artificio naturæ, tum artis, exerat. Siquidem intenſa vis & compreſſa longè vehemẽtior extenſa quauis exiſtit, & præſertim cùm natura per hominis ingenium & artem adiuta, ſimpliciùs operabitur. Qui autem ſunt harum periti rerum, nulla de re mirari magis debent, quàm cæcitatis hac in parte literatorum doctorúmque hominum (vt interim de vulgo taceam) non videntium ea quæ ſibi verſantur ob oculos, manibúſque ſunt obuia. Nihilominus & quæ toto cœlo diſtant, & quæ ſub terra latent, ac vt illa non vident, iudicare, multaq; de his diſſerere præſumunt, aſſereréq;, cùm tamen & quæ manifeſtò vident, non intelligant. Quo fit, vt exiſtiment omnia, quæ non didicerunt, eſſe mera ſomnia, haud ſecus atque mundi Sapientes olim Chriſti ſapientiam: & modò noſtri diuinæ creationis arcanam virtutem iudicant. Hoc ſolo ferire conſcientiam iſtorum volo.

volo. Dei virtus coniuncta naturæ ſi cognoſcatur, ab ijs qui percipiunt, non contemnitur, ſed potiùs recipitur cum reuerentia & gratiarum actione. Ab alijs verò non percipitur, neque recipitur, ad quos etiam non pertinet. Talia ſunt igitur Chimica vera, vt non ſint probabilia, quibus ingenium tenebris obfuſcatum eſt. Verùm enimuerò non iſtis ſcribimus, neq; laboramus, at ingenio fœlici & perſpicaci viris tantùm, quibus hæc pauca ſub tuo patrocinio, Princeps Illuſtriſſime, publicare volumus, cui bonam valetudinem animi tum corporis imprecamur. Datum Francofurti, Anno à Chriſto nato 1583. menſe Februario.

Illuſtriſsimæ C.T.

addictiſsimus

GERARDVS DORN.

GENEROSISSIMI DOMINI BERNARDI, COMITIS MARCHIAE TREVISANAE LIBER.

De ſecretiſsimo Philoſophorum opere Chimico, per naturam & artem elaborando.

QVO veros inquiſitores huius artis à communibus erroribus retraham in veram ſemitam, ne ſuas facultates dilapident, laborumq; nominis & famę iacturam faciant falſis librorum receptis inſiſtentes, vt ſunt Geberi, Raſis, Alberti Magni, Tramitis, Luminis, Canonis Pandectarum, Demophontis, Summæ, ac aliorum hominum ſeducētium, narrabo primùm errores meos, ac deinceps quemadmodum ad optatum finem peruenerim, quaterque hiſce proprijs manibus lapidem fabricatus ſim, & abſoluerim. Quo tandem & qui meum legerint proceſſum, ſpeculationibus & imitatione operum naturæ pariter efficere valeant. Fatuum eſſet cum vulgo iudicare, propter Sophiſtas & impoſtores, quos in hac arte verſari videmus in dies, falſam exiſtere, vel eius veros autores, & ſapientes ſuis ſcriptis imponere voluiſſe alijs, quia ipſi fuerint illuſi, quin potiùs famam de ſe poſt mortem reliquiſſe voluerint, & non infamiam, aut vituperium. At ignarum vulgus hoc habet idioticæ proprietatis, vt mox à prima lectura,

quod non intellexerit, contemnat. Proinde longè plus proficiet quicunq; per firmas imaginationes principia naturæ ſequutus fuerit, quàm litera vanã & mortua ſub ænigmatũ figuris innumeris, ac ſophiſticis. Vt autem proborum ſententias vobis colligam ſincerè purè tractãtium, libellùm hunc conſcribere volui, partirique in quatuor partes: quarum prima narrabit inuentores artis, eosq; potiſsimùm, qui hac potiti ſunt ex voto, ac per quos ego adeptus ſim. In ſecunda meam propriam hiſtoriam enarrans, dicam ad longum quicquid mihi contigerit in inquiſitione temporis, & laborum onera citra vllam inuidiam ab initio in finem omnia. Tertia de radicibus & principijs diſſeret metallorũ, euidentiſſimis & philoſophicis demonſtrationibus. Quarta verò practicam ipſam continebit, ſub parabola non vſque adeò obſcura, quin optimè poſsit intelligi. Singula quidem ad eũ ſcripta modum, vt niſi Lector per hunc meum libellum intelligas, facilè non crediderim per alium te percepturum vnquam. Nec eſt etiam quòd prima facie mox intelligere te poſſe putes, vix decima lectura, quò ſæpiùs eam repetes, eò meliùs indies rem detegere poteris. Non tedere debet laborum, vel pœnitere quemquã, qui credat his euitari poſſe paupertatem intolerabilem, & morbos omnes animi & corporis, vt ipſemet expertus ſum in multis leproſis, caducis, hydropicis, ethicis, apoplecticis, yliacis, demoniacis, inſenſatis, furibundis, & alijs quamplurimis. In addiſcenda quapiam arte mechanica vel aliqua liberali, ſex vel ſeptẽ anni ſunt ad minimùm inſumendi, ſed

in hac omnes alias excellente, quantùm Sol ſtellas omnes nō vltra menſem, quinque vel ſex ſuſtinere quis volet. Facilis eſt admodum, & vſque adeò, vt ſi claris enarrarem verbis, vel ad oculum demonſtrarem, vix credere poſſes. Tota difficultas conſiſtit in noſtris vocibus, & intentione.

PRIMA PARS CHEMIAE DOMIni Bernardi Comitis Marchiæ Treuiſanæ. De primis inuentoribus huius artis.

ARTIS Chimiſticæ primus inſtaurator, ab eius obliuione poſt diluuium, fuit HERMES TRISMEGISTVS, vt legitur Hiſtoriarum libris memorialibus geſtorum antiquorum, in Imperiali, & in expoſitione Tabulæ ſmaragdinæ per Clauetum. Hic dictus HERMESS vel MERCVRIVS, quia ſapientiſsimus omnium ſui temporis, & Triſmegiſtus, Termagnus, vel Terſapiens, quod omnem mundanam ſapientiam, aut Phyſicam triplicem calluit atq; docuit, vegetabilem, mineralem, & animalem, vnum lapidem: Pater autem in hac arte vocatur, ab inſtauratione, vt omnibus libris habetur Hermeticæ Turbæ, in quibus eius mentio facta eſt priuſquam Pythagoræ. Quotquot etiam hác tenuerint artem filij vocabuntur Hermetis. De hoc viro legitur in Biblijs, ipſum intraſſe in vallem Ebron primùm, & ibidem inueniſſe lapideas tabulas ſeptem, quibus inſculptæ fuerát à Sapientibus, priuſquam inundatio fieret aquarum, ſeptem artes liberales, cui-

que ſua ſolùm in principijs ſuis, ne tranſirent in obliuionem. Etenim eo tempore licet inſtructi ſatis,vt præuiderent non omninò perituru mundum, ſed ſeruatum iri, nihilominus tamen perfectam non habuerunt ſapientiam,vt conſiderarent Deum, qui dederat ipſis illam eo tempore, dare potuiſſe alijs, & alio quoties vellet.

Vixiſſe fertur ante Legem, & pòſt, quo tempore multi ſapientes viri vixerunt. Narrat Aros in epiſtola quadam ad Regem Meffohe,hanc artem reuelatam à Deo nonnullis filijs Iſrael,ad Arcam Domini decorandam auro, & perficiendam,vti habetur apud Ezechielem & Danielem Prophetas: item apud Ioſephum. Nonnulli abſque manifeſta reuelatione librisue, ſed occulta per meditationes in operibus Dei viſibilibus à ſuis creaturis, quemadmodum Phithomea, Rebecca, Salomon,& Philippus Macedo,quos omnes tamen à Diluuio præceſsit Hermes in huius artis inuentione, per tabulas dictas in valle Ebron ab ipſo repertas,quo loco poſitus fuerat Adam ab exilio de Paradiſo Eden. Ab Hermete ad plurimos alios deriuauit,per libellum,quem inſcripſit Smaragdinam tabulam, ſub his verbis: Verum eſt, certum & veriſsimum. Quod eſt ſuperius,naturam habet inferioris,& aſcendēs naturam deſcendentis. Coniungas vnica via diſpoſitioneque. Sol eſt eius coniugij pater,& alba Luna mater, tertius ſuccedit, vt gubernator, ignis. Craſſum fac ſubtile, & hoc ſpiſſum reddito, ad hunc modum gloriā habebis huius mundi. Breui hoc libello totum opus continetur. Plurimi hanc artem conſequuti ſunt, quemadmodum legitur

gitur de Rege Calib, medio Bendagid Ternarij. Ariſtotele Chimiſta. Platone, & Pythagora Hermetis diſcipulo, Codicis autore, quo libro continetur ipſa rei veritas huius abſque ſuperfluitate, vel diminutione, licet obſcurè ſatis. In Arabia Rex Haly maximus Aſtrologus habuiſſe fertur eius notitiam, qui Morienum docuit, & iſte Regem alium Arabiæ, Calib dictũ antea: item Aros eam docuit Nephandin fratrem ſuum, & Saturnus Luncabur, atq; ſororem eius Mederá. Infinitus eſt eorũ numerus, quos recenſere vanum eſt: & librorum de hac arte conſcriptorũ ingens habetur copia, ſub metaphoricis verbis atque figuris, vt non facilè queant intelligi ab alijs, præterquàm à filijs artis, quorum lectura potiùs à via recta ſeducit in varios errores, quàm ad ſcopum dirigat, è quorum numero ſunt Scotus, Arnaldus, Raymundus, Io. Mechungus, Hortulanus, Veridicus, &c. Proinde quò ſtudioſos ad ſemitam rectam reducere valeam, opuſculum hoc ipſis conſcribere volui.

SECVNDA PARS, IN QVA deſcribuntur ingentes labores autoris, & impenſæ maximæ, cum ſingulis operationibus ab initio vſq; in finem, ex veritate perſeuerantiſsimi ſucceſſus.

CVm primùm opus hoc aggreſſus ſum, in manus meas incidit liber Raſis, in quo quidem experiundo quatuor annorum, & octingentorum coronatorum; item in Gebri libris plus quàm duorum

millium pro principio iacturã feci : ad id me ſollicitantibus, ac inducentibus multis impoſtoribus,vt meam exhaurirent ſubſtantiam. Poſtmodùm inſpexi libros Archelai tribus annis,in quibus operatus ſum, vnà cum quodam monacho, & in libris Rupeciſſæ, ac Io.de Sacroboſco, per aquas vitæ rectificatas trigeſies cum fecibus, vt in tantam acredinem abiret, quæ nullo vitro cohiberi poſſet,in eo labore deperierunt alii trecenti coronati. Duodecim aut quindecim ad hunc modum conſumptis annis, & innumeris aureis, abſque fructu, poſt multorum experimenta receptorum,in diſſoluẽdis & congelandis,vt communi, armoniaco, pineo, ſaraceno, metallico, & ſalibus, tum plusquã centies calcinandis ſpatio duorum annorum : item in aluminibus rupeis, glaciei, ſcaiolæ, plumæ, in marcaſitis, ſanguine, crinibus, vrina, humano fimo, ſemine, animalibus & vegetabilibus,herbis,cuperoſsis,vitriolis, atramentis,ouis, per ſeparationem elemẽtorum in athanore,per alembicum,pellicanum,per circulationem,coctionem,reuerberationem,aſcenſionem,deſcenſionem,fuſionem, ignitionem,elementationem, rectificationem, euaporationem, coniunctionem, eleuationẽ, ſubtiliationem,per commixtionem,& alia ſophiſticationum infinita regimina, quibus iam duodecim annis inhæſeram, ætatis factus annorum trigintaocto, adhuc inſiſtens in extractionibus mercuriorum,ab herbis & animalibus, hactenus dilapidaram inutiliter, cùm ſtultitia propria, tum impoſtorum ſeductionibus, circiter ſex millia coronatorum, vt ferè deſpõdiſſem animum. Verùm enimuerò

ſemper

ſemper interea meas preces ad Deum fundere non ſum oblitus, vt ſubuenire meis conatibus dignaretur. Deinceps in quendam Præfectum noſtræ patriæ pariter inueſtigantem, incidi, qui ex ſale communi lapidem cõſtruere conabatur, hoc in aere diſſoluens, & congelans ad Solem, aliaque multa narratu prolixiſsima. In hoc opere præterlapſus eſt ſeſquiannus cum alijs, inani labore, quòd in vera materia non operabamur. Fruſtrà quæritur in eo, in quo, quod quæſitum eſt, non continetur, vt in Codice Turbæ veritatis legitur. Cùm ergo ſal commune haudquaquam habeat quod optabamus, quinquies atq; decies aſſumptum repetitionibus, nullam ſuæ naturalis proprietatis alterationem demonſtrare nobis voluit vnquam, quapropter ipſum reliquimus vltrà non tentatum. Præterea vidimus alios in aqua fortiſsima diſſoluentes argentum optimum, cuprum, & alia metalla: item argentum viuum, quodque ſeorſim in peculiari vaſe, ac eadem aqua, tandẽ eiuſmodi ſolutiones omnes, poſtea quàm duodecim integris menſibus quieuiſſent, confundentes in vnicum vas: eam permixtionem aſſerebãt eſſe coniugium ſpiritus & corporis. Vas eiuſmodi ſuper cineres calidos continebant, vſq; dum aquæ tertia pars euaporaſſet, reſiduum exponebãt Solis radijs, opinantes lapillos chryſtallinos inde procreatum iri albos congelatos & liquabiles, ad albam ex albo, & ex rubeo metallo rubeos, ad rubeam tincturam. Ex viginti duabus phialis eiuſmodi liquore ſemiplenis, tres nobis dederunt. Expectauimus omnes euentum generationis huiuſmodi lapil-

lorum in fundis vaſorum, quinque annis, at fruſtra: ſiquidem, vt in Turba dicitur, nihil extranei opus eſt ad iſtum lapidem: per ſeipſum enim in materia ſua metallica perficitur: tunc temporis annum ætatis meę quadrageſimumſextum com pleueram, cùm ego vnà cum doctore monacho nomine Godefrido Lepore, lapidem ex eius intentione præmeditatũ aggreſſus fui: ſciebamus enim aliud opus quodcumque præter lapidem eſſe vanum, ac fruſtraneum: quapropter hunc fabricare conati ſumus, ad hunc modum videlicet. Eminus gallinarum oua numero duo millia, quæ in aqua cocta duraq; ſeparauimus, cortices in ſummam albedinem calcinantes: vitellos autem & albumina quælibet per ſeipſa in equino fimo putrefieri ſiuimus, & poſtea deſtillauimus trigeſies in aquam albam, & in oleum rubeum ſeparatim, aliaque multa, quæ ob prolixitatem relinquimus: in hoc opere vano ſimiliter anni duo cum dimidio nobis deperiêre præter vtilitatem, imò diſpendio maximo, quò factum, vt fermè deſperabũdi prorſum deſeruiſſemus omnia, niſi noua ſpe fulciti: cœpimus iterum addiſcere ſpirituum ſublimationes, aquarũ fortium deſtillationes, ſeparationes elementorum, fornacum & ignium ſtructuras varias, in quibus verſati fuimus annos octo. Superuenit alius quidam Theologus, ac doctus, Prothonotarius à Bergis, quo cum etiam operati lapidem extruere volebamus, cuius inſtinctu ſolùm ex vitriolo rẽ exequi putauimus, ac primò deſtillauimus acetum acerrimum octies, in quo vitriolum dictum calcinatum diſſoluimus, abſtraximus: iterum af-

fuſum

fuſum abſtraximus decies & quinquies die quolibet, ſpatio duorum menſium, ob cuius odorem vehementiſsimum quartana febre laboraui quatuordecim menſibus, commixtum hoc anno integro quieſcere, ſed nullo fructu permiſimus: erat enim extranea materia. Relatum nobis poſtea fuit à quodam viro docto, Confeſſorem Imperatoris, cui nomẽ erat Magiſter Henricus, certiſsimè habere ac tenere magiſterium lapidis: vt igitur eius notitiam haberemus, opus fuit amicorum medio maximo, & vltra diſpendio plura quàm ducentorum coronatorum, antequàm nobis familiarem potuimus reddere. Hîc autem in hunc modum operabatur: Paſtam ex argento & mercurio miſcebat cum ſulphure, & oliuarum oleo, decoquendo ſimul igne lento in pellicano luto munitiſsimo, ſpatulaq; lignea incorporando, ſed materia nunquam permiſceri potuit in vnum corpus ſpatio duorum etiam menſium. Tandem in aliam phialam poſitam hanc materiam, luto ſimiliter munitam, ac ſigillatam in cineribus continebamus calidis omninò ſepultã, igneque circumcirca fouebamus, exiſtimantes mercurium ſpatio dierum quindecim, aut viginti & vno, virtute ſulphurei corporis, conuerſum iri in optimum argentum. Decoctione abſoluta phialæ, plumbum imponebat pro arbitrio, & igne violentiſsimo liquefaciebat omnia ſimul in maſſam vnam: qua fulminata per cupellam cineritij, debebamus inuenire argentum pro tertia parte multiplicatum. Ego pro mea parte dederam argenti marcas decẽ, alij verò triginta duas, ex quibus recipere putabamus centum & trigin

ta marcas. At ſecùs euenit, quoniam ex triginta duabus marcis, ab examine ſocij duodecim dun taxat habuerunt, ego autem ex meis decem quatuor marcas accepi. Quo factum, vt cùm lapidis arcanum habere crederem à patre Confeſſore, quadringentis rurſum coronatis pauperior factus, ac dolens, duobus menſibus abſtinui, vt ab opere prorſus abhorrerem, maximè quòd mei parentes omnes increpare me, ac tormentare in dies non deſiſterent, vt præ mœrore vix edere, vel bibere poſſem, ad tantam maciem redactus ſum, vt omnes exiſtimarent me veneno contagioſo quopiam imbutum eſſe. Nihilominus repentè poſtmodum quàm antea magis accenſus plus millies, maximè quia tederet inutiliter elapſi temporis: agebam enim tunc annum quinquaſimum octauum. Omnium errorum cauſa meorum (proch dolor) vnica hæc fuit, quia deuius oberrans nō operabar in materia congrua: nam, vt ipſe Geber loquitur: Corpora quæuis imperfecta, mixtione cum corporibus à natura ſimpliciter perfectis, nullatenus perficiuntur, quia ſimplicem formam pro ſe tantùm, in primo gradu perfectionis, à natura quæ perficiuntur, adepta ſunt, ac velut mortua, nihil de ſua perfectione non ſuperflua, tribuere poſſunt alijs, idq; duabus de cauſis, priore quidem, quia per imperfectionis admixtionem redduntur imperfecta, cùm non habeant plus perfectionis, quàm pro ſeipſis indigent: poſteriore quia nō poſſunt hac via permiſceri principia ſua mixtione per minima, vt in decimotertio Digeſtorum habetur in Pandectis, & libro Calib: item apud Gebrum, &

in

in opere naturali, apud magiſtrum Daalin, & Arnaldum Villanouanum, in Speculo Alchimiæ, in Semita errantium à Platone conſcripta, in epiſtola Euuralij, in Roſario magno, & in Euclidis tractatu breui, ac reliquis non ſophiſticis ad hunc modum: Corpora vulgaria, per naturam ſolam in mineris abſoluta, ſunt mortua, vt imperfecta perficere nequeant, verùm ſi per artem ad ſeptenam, denam, vel duodenam ſuę perfectionis multiplicationem adducãtur, eatenus tingunt in infinitum. Tum demùm enim penetrantia, ingredientia, tingentia, pluſquàm perfecta, viuaq; facta ſunt reſpectu vulgarium: de quibus etiã apud Raſim, Ariſtotelem chimiſtã, Aulphanem in ſuis Pandectis, & Danielem quinto capitulo ſuarum Retractationum, Aurum noſtrum completum (inquiunt) eſt pluſquam viuum. Item aurum noſtrum, & argentum noſtrum album, quæ ſunt vnum & idem, non ſunt vulgaria metalla: ſunt enim viua, alia verò mortua virium expertia, vt aureo Codicis libro legitur, & pleriſque alijs. Innumeros vtique vidimus, operantes in amalgamationibus & multiplicationibus ad album & rubeum, in omnis generis materia, quę poſsit excogitari, maximis laboribus, tantaque perſeuerantia, ac tam conſtanti, vt maiora nequeat, ſed nunquam vidimus adhuc argentum tertia parte, media vel minima locupletatum. Infinitas nihilominus dealbationes, vidimus rubificationes, recepta multa ſophiſticationum in tam variis atque diuerſis regionibus, vti Romæ, in Nauaria, Scotia, Turcia, Græcia, Alexandria, Barbaria, Perſia, Meſsinæ, Rhodi, in Gallia, in Hiſpa-

nia, in Terraſancta, & in conterminis regionibus, in Italia, in Germania, in Anglia, ac per totum ferè mundum in circuitu, nullibi horũ locorum adhuc vidimus, niſi laborantes in rebus ſophiſticis, herbalibus materijs, animalibus, vegetabilibus, plantalibus, lapidibus mineralibus, ſalibus, aluminibus, aquis fortibus per deſtillationes, elementorum ſeparationes, ſublimationes, calcinationes, argenti viui congelationes, medijs herbarum, lapidum, aquarum, oleorum, fumorum, ignium, & vaſorum admodum extraneorum, at nunquam in congruis operantes materialibus ſubſtantijs reperimus. Nonnullos aliquoties in illis regionibus inuenimus, qui lapidis conficiendi modum tenebãt, ac rationem: ſed in ipſorum familiarem conſuetudinem deuenire minimè potuimus. Quamobrem huc atque illuc diſcurrendo, inueſtigando, & experiundo iam conſumpſeram decies mille, & trecentos coronatos aureos, vendiderã enim quandã poſſeſsionẽ, quæ valebat octo millia florenorum Germanicę monetæ, vt omnibus meis parentibus veniſſem in maximum contemptum, quia redactus eram ad paupertatem, vt pauca mihi iam reſidua pecunia maneret, annos tunc ſexaginta duos & vltrà nato. Nihilominus ob tantas aduerſitates admodum fractus corpore, non animo tamen adeò, vt à concepto deſiſterem, quin potiùs miſericordiæ Dei confidens, bonę voluntatis hominibus atque diligentibus nunquam deficienti, patriam non ſine maximo dedecore derelinquẽs, Rhodum me contuli, nemini hominum vt notus, quærerem ſi quomodo reperire quenquam valerem, qui conſolaretur

ſolaretur meas afflictiones deſideriorum. Vna dierũ de quodam audiuerá viro valdè religioſo, magni nominis: rumor erat ipſum habere lapidem tantopere quæſitum, cum quo maximis tamen impẽſis amicitiam inij. Mutuo ſumpſeram à quodam, qui meos parentes optimè nouerat, octo millia florenorum. Formula ſui laboris erat, aurum & argentum purgatiſsima & foliata, cum ſublimati mercurij partibus quatuor mixta reponebat in fimum equinum, quę cùm ſtetiſſent ibidem vndecim menſibus, deſtillabat inde aquam igne vehementiſsimo: terram in fundo vaſis reſiduam calcinauimus igne violento per ſe, aquam verò ſexies iterum deſtillauimus, quauis deſtillatione ſubſidentem terram primę coniunximus, toties repetita deſtillatione donec reſidentiam nullam poneret ampliùs. Terræ tritæ & in vrinali poſitæ ſenſim affuſimus, at fruſtrà multis laboribus conabamur terrá aqua ſua imbuere: nunquam enim permiſcere potuimus, aut efficere quin ſemper nataret ſuper terram, etſi contineremus in continuo calore ſpatio ſeptem menſiũ: nulla facta fuit coniunctio nec alteratio, igne etiam aucto, quo factum vt friuolum opus relinqueremus, propter quod rurſum temporis annorum trium, & quingẽtorum coronatorum iacturam feci. Vir iſte religioſus habebat excellentiſsimos libros chimicos, vt ſunt Roſarius magnus, Arnaldus de Villanoua. Liber verborum Mariæ prophetiſſæ, in quibus ſtudere cæpi denuò, tantiſper abſtinens ab opere ſpatio quidem annorum octo: tum primùm cognoui rationibus philoſophicis, & euidentibus, quicquid an-

teà fuerã operatus, nil niſi ſtultos & inanes fuiſſe labores: maximè cùm conſiderarem Codicis totius veritatis hoc dictum: Natura, inquit, non emendatur niſi in ſua propria natura, natura ſua natura gaudet, natura naturam vincit, & natura naturam retinet. Hoc libro tandem edoctus, euaſi liber ab omnibus meis ſophiſticationibus, erroneiſque laboribus. Priùs itaque ſtudere volui, quàm operari rurſus magnis impenſis, & ſine fructu. Multas noctes peragebam inſomnes aſsiduè mecum arguens, & concludens in hanc ſententiam: Quid opus eſt (inquam) vt hanc artem ab hominibus quæram, in vanum hac via meipſum torquens? Si norint artem, nunquam patefacient, ſi non, fruſtrà cum ipſis verſor, & magno diſpendio conor ipſorum captare familiaritatem & amicitiam. Conſideraui potiùs quibus locis libri maximè conuenirent, in eundem ſenſum ibidem exiſtimaui latére potiſsimùm veritatem, quæ non poteſt in pluribus: ſed in vno tantùm exiſtere: hac via mihi facta eſt obuiam ipſa veritas: in quibus enim maximè conuenire videbam in vnum, hoc ipſum fuit, quod tam anxiè quæſieram. Quamuis vnus hoc nomine vocet, alter alio, nihilominus vna & eadem eſt ſubſtantia, ſolus error in diuerſitate verborum committitur, & non in concordantijs. Proinde, fili mi, hunc libellum in tui gratiam conſcribere volui, ne deſpondeas animum, néue decipiaris, quemadmodum ego diu miſerrimè ſeductus fui: tutiſſima cautela ſiquidem alienorum exemplo periculorum eſt addiſcere. Sanè credo (ita me Deus amet) iſtos homines, qui talia ſcribunt figuratiuè,

uè, aut parabolicè, crines, vrinam, ſanguinem, ſpermata, herbas, vegetabilia, animalia, plantas, lapides minerales, vti ſalia, alumina, cuperoſſas, atramenta, vitriola, boraces, magneſias, quoſcunque lapides & aquas, proponunt in hac aqua legentibus, credo (inquam) impenſarum admodum parum aut nihil in ea feciſſe, neq; laborum quicquam ſuſtinuiſſe, vel ad id mera crudelitate motos. Nam eorum omnium qui hoc labyrintho ſunt intricati, vel impoſterū eò prolabi poſſent, me miſeret, quoties in mentem veniunt intolerabiles miſeriarum & calamitatum pœnæ, quas perpeſſus ſum. Quiſquis igitur fidem adhibere mihi volet, non ſine maximo commodo ſuo fecerit, ſolùm inde laborem, alios inſtruendo, reportare poſſum. Qui verò credere nolet, ſuo damno tandem experietur, quāta ſit fatuitas aliorum exemplis nil commoueri, nec diſcere velle. Fugite ſophiſticationes Alchimiſtarum nequam, & quoſcunque alios, qui fidem iſtis adhibent. Nam ſi quid boni vos lectura librorum docuit, falſis iuramentis & aſſertionibus adimere conabuntur, ac à via recta vos abducere, nihil habentes quo ſuos errores tandem excuſent, feci ſæpiùs, (inquiunt) at iam non habui quæ ad hanc rem erant neceſſaria, hæc & illa ſi addantur, &c. Niſi fugias potiùs quàm peſtem iſtos impoſtores & nebulones, in hac arte nihil vnquam boni deguſtabis. Priuſquàm ego hoc opus perfeciſſem experimento, duobus annis artem exactè didiceram ex libris, nihilominus ad me cùm venirent eiuſmodi homines deteſtabiles, & nequiſsimi fures, iuramentis imò periurijs aſſerebant mihi ma

nifeſtiſsimos errores pro veris experimẽtis, quos tamen olim delirans maximo diſpendio fueram expertus. Nec priùs in bonis meis opinionibus confirmari potui, quàm ipſos omninò desererẽ, ac ſtudium meum in ea materia totum intenderem, & vigilantiſsimè proſequerer. Quicunque cupit artem verã addiſcere, verſetur cum ſapientibus: id eſt, iſtorum libros legat, & non impoſtorum, licet obſcuris verbis eam doceant. Nullibi claris & apertis deſcriptos eiuſmodi libros reperies, quapropter conſideranda poſsibilia ſunt ex operibus naturę, per comparationem iſtorum ad illa, & è contrà. Sophiſticationes omnes fugiendæ ſunt: item ſublimationes, coniunctiones, ſeparationes, congelationes, præparationes, diſiunctiones, connexiones, aliæque deceptiones omnes. Taceant quotquot aliam tincturam affirmant, quàm noſtram & aliud ſulphur, quàm noſtrum occultum in magneſia: item illi qui aliud argentum viuum extrahere præterquàm ex ſeruo rubeo, & aliam aquam à noſtra quæ permanens eſt, & nulli rei coniungitur, niſi propriæ ſuę naturæ, nihilq; madefacit aliud præter id, qđ eſt vnitatis propriæ ſuę naturæ. Aliud enim acetum non eſt quàm noſtrum, non aliud regimen, neq; alij colores: item non alia ſublimatio, ſolutio, congelatio, putrefactio, &c. quàm noſtræ. Suadeo vt alumina, vitriola, ſalia, & atramenta omnia, boraces, aquas fortes, animalia, & omne quod ex eis prouenit, crines, ſanguinem, ſpermata, carnes, oua, lapides, & mineralia quæque relinquas, pariter & metalla ſola. Quamquam enim ex ipſis eſt introitus, & materia noſtra, vt aſſerũt omnes Phi

ſophi,

ſophi, componi debet ex argento viuo, & hoc alibi non reperitur, quàm in metallis (vt apparet ex Gebro, magno Roſario, Codice totius veritatis, Ariſtotele Chimiſta, Platone, Morieno, Haly, Calib, Maria, Auicēna, Conſtantino, Alexandro, Bendegid, Eſid, Serapione, Arnoldo Villanouano, Sarni Lilio, Daniele, S. Thomæ Breuiloquio, Alberti Tramite, Scoti Abbreuiatione, Senecæ ad Aros epiſtola ad Regem Arabiæ, & Hemus, Euclide ſeptuageſimo capitulo Retractationum, & Philoſopho tertio Metheororū, per quos omnes affirmatur, metalla nihil aliud eſſe, præter argentum viuum congelatum graduum decoctionibus) his non obſtantibus omnibus affirmatiuis rationibus, ipſa non ſunt lapis noſter, dum in forma ſunt metallica: nam impoſsibile eſt vnam & eandem materiam habere duas formas. Qua ratione poſsint eſſe lapis, qui formam dignam, & mediam habet inter metallum & mercurium, niſi primò corrumpatur, & auferatur eiuſmodi forma? Hac de cauſa Philoſophus, atque Democritus libro 3. Phyſicorum, cap. 3. de Metheoris, inquiunt: Glorientur Alchimiſtę vt vt volent, nunquam formas tranſmutabunt metallorum, niſi per ipſorum in primam materiam reductionem: hoc ipſum habent omnes libri, qui de forma tractant metallica. Verùm, vt intelligatur quid ſibi velit in primā reductio materiam, apprimè ſciendum materiam eſſe primam, rem ipſam in quam immediatè proximeq; ſpecifica forma introdūcitur, vti prima hominis materia, eſt vtrumque viri ſemen & mulieris. Plerique ignari hanc intelligere putantes reductionem, interpretantur

perperam ad quatuor elementa: nam (vt ipſi loquuntur) ex iſtis conſtant omnia, quæ creata ſunt, abſque dubio: ſed iſta ſunt materia prima primæ materiæ, id eſt, ex elementis quatuor conſtant argentum viuum & ſulphur, quæ tandem ſunt prima materia metallorum. Etenim elementa quatuor æquè ſunt ad formationem aſini, vel bouis apta, ac ad metalla: primò namq; fieri debent per naturam argentum viuum & ſulphur, q̃ eſſe queant metallorum materia prima. Exempli gratia, homo nō componitur ex quatuor elementis, exiſtentibus adhuc in elementari natura ſimplici, ſed à natura tranſmutatis in naturá primæ hominis materiæ. Haud ſecùs natura tranſmutans elementa quatuor in mercurium & ſulphur, tum primùm effecit metallorum primam: nam quicquid vltrà fuerit in dictam operata materiam, nihil aliud inde reſultare poterit quá forma metallica. Verùm antea cùm adhuc eſſent elementa, & non argentum viuum, neque ſulphur, natura potuiſſet ex eiſdem elementis procreaſſe bouem, herbam, hominem, aut quiduis aliud à metallo differens. Ex præcedentibus liquet apertiſsimè, quatuor elementa non eſſe metallorum primam, ſed argentum viuum & ſulphur. Alioqui iuxta ſententiam illorum, ſequeretur inde homines, & metalla, herbas, plantas, animalia bruta, in ſumma cuncta nil niſi rem vnam exiſtere ſine differentia, quo nihil abſurdiùs vnquam dici poteſt. Item inde ſequeretur, etiam ex metallis homines generari poſſe, cùm iſti pariter, vt illa, conſtent ex elementis, & vltra quiduis ex quouis fieri, necnon ſimile ſibi ſimile nō producere, non

eſſe

eſſe generationem, neque ſemina, nullam rerum differentiam, ſi actu omnia eſſent vna ſubſtantia. Vt ad primá redeamus materiam, vtemur exemplo hoc videlicet, ſemen viri per ſe, & ſemen per ſe mulieris, non ſunt prima materia fœtus, quoniam natura poteſt ex eis ad hunc modum ſeparatis, aliud quid producere monſtroſum, velut ſubſtantiam verminoſam: ſed ex amborum in vnum coniunctione, vt vnius virtus alterius virtutem in ſe recipiat, & amplectatur, tum demùm natura nihil aliud inde producere poteſt, præter formá infantis, quòd hic ſit finis illius materię, & non alius. Natura non poteſt itaque aliam introducere materiæ formam, ea ſola, ad quam finaliter eſt inclinata, diſpoſitaque: ſpermatica igitur vnio duntaxat, eſt prima materia eius, vel eorum à quibus ſemina deciſa, vel ſeparata fuerunt, quę nullam aliam formá recipere poteſt, quàm propriæ ſuæ ſpeciei, ad quam eſt diſpoſita. De diſpoſitione ad finem rude ſatis hoc ſit exemplum: Si quis aliquò feſtinet iter, priuſquàm eò deuētum ſit, multæ occurrunt viæ huc atq; illuc deflectentes, at vbi ſemel in rectam gradum direxerit, perſeuerans in ea, tandem eò perueniet, quò ſtatuerat ire. Ad hunc modum ſingula propriam viam, ac materiam habent, per quá & ex qua facta ſunt, & nō ex omni materia quoduis, neque modo quouis perficitur. Manifeſtum eſt vtiq;, rem omnem habere ſibi ſimilem & præcedentem, ex qua producitur naturaliter, vt inde nihil aliud fieri queat, velut in equi formationem, requiritur natura quæpiam equina in ſpermaticam ſubſtantiam tranſmutata, ex duabus contrarijs materijs

(ſub eadem equina ſpecie tamen) vnitis: item ad hominem ipſa natura non ſumit ſubſtantiam equinam principaliter: habet enim vna quæque ſubſtantia proprium, ac principale ſemen ex quo fit, ac per ſeipſam in ipſo multiplicatur, & per aliud neque alio modo quopiam. Patet ex verbo Dei, cùm creaſſet hominem virum & fœminam, creſcite & multiplicamini, ex veſtramet ſubſtantia, videlicet vobis ſimili: aliis ſuis creaturis námque dixerat anteà, Producat vnumquodque fructum ſuum & ſemen in ſeipſo, multiplicetur, &c. Si ex vno generari voluiſſet vnumquodq; Deus, non tot ac tantas feciſſet creaturas, tamq; diuerſas, nec opus fuiſſet cœlo, neque luce, ſed elementa quatuor ſemper vnum & idem protuliſſent, quod abſurdiſsimum eſſet. Proinde ex omnibus fecit omnis generis diuerſa, vt vnumquodq; ſibi ſimile generaret. Nunquid ante diluuium Dominus Deus dixit Noe, Sume tecum in Arcam ex omnibus animalibus vnita paria maſculum & fœminam, vt poſteà quodq; multiplicetur in ſua ſpecie, & non aliter fieri videmus? Patet igitur ex præcedentibus ad vniuſcuiuſq; generationem, opus eſſe ſui ſimili, vt ex mandato Dei, diuerſæ rerum radices ab ipſo createę multiplicarentur in diuerſa, ſub propria quodlibet ſubſtantia. Per Philoſophorum autoritates id ipſum probatur: Scotus enim apertè loquitur, ex argēto viuo coagulato, & ex argento viuo ſulphureo, primá materiam fieri metallorum omnium. Item in Turba quidam Noſcus nomine, Rex Albaniæ, loquitur ad hunc modum: Ex homine aliud nil niſi homo fit, ex volatili niſi volatile: ſimiliter ex bruto

quouis

quouis animali nil niſi bruta beſtia: natura námque in alio non emendatur, at ſolùm in ſua natura. Idem à Io. Mechungo dicitur in ſuo teſtamento: Quæuis arbor ſuum fructum producit, vt pyrus pyra, poma pomus: pariter & metallo generatur, atque multiplicatur metallum, & nullo alio. Item Geber in Summa nonnullis locis benè in hãc ſententiam ſcripſit, (quamquam in plerisque ſuis libris ferè omnibus de ſtudio ſcabroſus totus & ſophiſticus) inquiens: Exactiſsimè ſingula ſumus experti ſuis, idq; probatis rationibus, nihil potuimus vnquam reperire permanentis in igne, præter viſcoſam humiditatem ſolam, radicem omnium metallorum, reliquæ omnes humiditates ab igne per euaporationem facilè fugiunt, & per ſeparationẽ vnius elementi ab alio, velut aqua per ignem: pars vna in fumum abit, alia in aquam, in terram alia manente in fundo vaſis: ſic in omnibus, quoniam quæ in homogeneatione haud benè ſunt vnita, minimo conſumuntur igne, ac ſeparantur à ſua naturali compoſitione. At humiditas viſcoſa, mercurius videlicet, nunquam in eo conſumitur, nec ſeparatur à ſua terra, nec ab alio ſuo elemẽto: nam vel omnia ſimul manent, vel ſimul abeunt, vt nihil omninò de pondere pereat. His verbis itaque Geber concludit, ad hunc pretioſum lapidem nullo alio opus eſſe, quàm ſola ſubſtantia mercurij per artem optimè mundati, penetrantis, tingentis, ſtantis in prælio aduerſus ignem, & in diuerſa ſeparari ſe non permittentis, at ſemper in ſola ſua mercurioſitatis ſubſtantia conſtantiſsimè perſiſtentis, tum demùm (inquit) coniungitur metal-

lis in profundo radicaliter, formam ipſorum corrumpendo, ac aliam introducendo iuxta virtutem & colorem elixiris, aut medicinæ tingentis. Item Aros ille Rex magnus & doctiſsimus ait: Noſtra medicina fit ex duobus vnius eſſentię, videlicet ex vnione mercuriali fixæ, & non fixæ naturæ, ſpiritualis & corporalis, frigidæ & humidæ, calidæ & ſiccæ, & ex alio fieri nequaquam poteſt. Etenim artis induſtria nihil infert noui, nec adfert ad naturam in ſua radice, verùm adiuta natura per artem, vt decet vincula ſoluendo: item ars per naturam adiuta diſcendo ab operationibus eius, & in ſuppeditatione materię, ſimul ambæ deſiderium adimplent, ex voto diligēter operantis. Ad hæc Morienus ait: Miſcete & proiicite medicinam ſuper corpora perfectione diminuta, vel imperfecta: & hoc aliud eſſe nihil dicit, præter argentum viuum exaltatum arte ſuper argentum viuum imperfectum: ex his docent apertè nihil aliud eſſe, quàm argentum viuum. Adfert Arnaldus Villanouanus: Totum ſtudium tuum intendatur, in digerēdo & coquendo mercurioſam ſubſtantiam, & pro ſua dignitate corpora digna reddet, quæ nihil aliud exiſtunt, quàm ſubſtantia mercurioſa decocta. Infinitis rationibus probari poſſet, mercurium duplicem eſſe ſolam materiam primam, & proximá omnium metallorum, & non elementa quatuor, quæ ſunt remotiſsima. Dixerit quiſpiam errorem ſuum protegere cupiens, ex tuis (inquit) contra teipſum adduco, elementa quatuor poſtmodùm in mercurium & ſulphur, quę metallorum prima materia ſunt, arte reduci, hac via ſubtiliora facta ſunt

eiuſ-

eiuſmodi ſeparatione præcedente, q̃ ſi ſine hac ſtatim in mercurialem ſubſtantiam adducta fuiſſent, materiamque proximam. Vt hoc refellam tamquam erroneum & falſum, ex iſta vana opinione ſequeretur facilè ſuperfluá eſſe naturam, ſi ſpermata rerum arte fieri valeant, ſic homo generaretur abſque homine ſolùm ex quatuor elementis abſque alia natura media,vel alteratione, non aliter & principia fierent compoſitionum, quod pugnat contra omnem rationem naturalem. In hac arte ſiquidem natura produxit materiam, in qua poſtmodùm iuuatur arte. Sequeretur etiam ex ea falſitate medicum arte ſua,vel her bis reſuſcitare poſſe mortuum, aut morientẽ hominem ſanare,contra dictum Auicennę & Raſis. Medicina ſolùm auxiliatur naturæ, qua quidem abſente vel deficiente, nihil operari poteſt illa,vt ſi proiiciatur in corpus mortuum laxatiua, non purgat, quia per naturam non recipitur actio. Quod Hypocrates in Aphoriſmis & principijs naturalibus, diuinus magis quàm humanus, ac velut ſpiritus corpore carens,teſtatur, inquiens: Ars præſupponit rem aliquam à natura ſola creatam, in qua præſtat auxilium ipſi naturæ, & hæc arti. Proinde conſtat artem indigere materia,quę ſit à natura creata, & non ab arte, à qua ſi eſſet, quid opus natura foret in eis,quæ non eſt operata, cûm de ſuo nihil adſit? ſola ars perficere poſſet abſq; alia re extranea, & præter naturam. Patet multis irrefragabilibus teſtimonijs,& euiden tiſsimis, naturá ex ſeipſa procreare naturas ſpermaticas, ac præparare: tandem ars per coniunctionem in eis operatur, ad finem tendens, in

quem natura crearat. Quamuis etiam, ſi fieri queat, vt metalla reducantur in quatuor elementa, priùs oporteret in mercuriũ & ſulphur, quàm in elementa ſeparari neceſſariò, poſtmodùm elementa rurſus in ſulphur & argentum viuum, vt fiant proxima natura metallica: quæ ſtultitia quæſo hæc eſſet? Cùm hæc omnia ſint vnum idem, & eadem ſubſtantia, quæ nouam nõ acquirit inde naturam, neque materiam, ab eiuſmodi reductionibus, at ſolùm manet quod anteà fuerat. Quid iſtis fruſtaneis igitur laboribus indigemus, ſi tantundem ſubſtãtiæ habebatur, cùm eſſent in forma ſpermatis argẽti viui & ſulphuris, atq; poſt reductionẽ in elemẽta quatuor, & nihil acquirant noui, non in virtute, non in pondere, neq; quantitate, vel qualitate? ea de cauſa videlicet, quia nulla materia ſibi fuit adiuncta, quæ digniora reddidiſſet, vel cũ ipſis fuiſſet exaltata, ſed vnica tantùm huc atq; illuc circunducta materia ſola, præter additionẽ: quapropter in forma proprij ſpermatis æquè valida, ac in forma elementorum. Ad noſtrum lapidem ſi opponatur idem, nempe nihil etiã acquiri ſibi, negatur: nam ipſum reducimus, vt in ea reductione fiat coniunctio nouæ materiæ vnius & eiuſdem radicis, præter quàm reductionem fieri nequit, atqui accedit etiam additio materiæ. Duarum vtique materiarum vna ſubuenit alteri, quo reſultet inde longè dignior materia, quàm erant per ſe ſeorſim ante coniunctionem. Eſt igitur iſta reductio noſtra neceſſaria, quòd per eam materiæ nouam acquirunt formam & virtutem ob additionem materiæ nouæ: quæ non fit in alijs reductionibus

bus elementorum, in quibus aliud nihil apparet fieri quàm circunductio materiæ nudæ ſine forma, citra omnem innouationem, exaltationem, & acquiſitionem alicuius formæ, vel materiæ nouæ. Vnde liquet reductiones iſtorum hominum eſſe meras phãtaſias, vanas, & erroneas. In huius rei confirmationem aptiſsimè loquitur quidam nomine Guilhelmus Pariſienſis, vir in hac arte doctus: In creatione hominis (inquit) primò concurrunt in vnionem duo ſpermata, qualitatibus differentia, quarum qualitatum in vno eſt vna frigida & humida, & in altero altera eſt calida & ſicca, quæ in vtero materno digeruntur mixtione virtutis vtriuſque ſeminis, & augmentatione per humiditatem ſanguinis, qui eſt eiuſdem ſubſtãtiæ, cuius eſt ſperma fœmineum, actione virtutis maſculini ſpermatis interueniente, nutritur inde materia dictæ mixtionis, donec fiat ſubſtantia media participans cum vtriuſque natura, citra vllam diminutionem, vel ſuperfluitatem. Proinde ſpermata creantur à natura, & non ab arte, quæ nullo modo etiam poſſet, hoc ſolùm efficit, in vtero materno coniungit ſimul ambo. Quamquam etiam iſta iuuare poteſt in mixtione fomento caloris externi, quietis, ciborum optimorum delectu, & facilè digeſtibilium, cum temperie & moderatione ſumptorũ, quibus omnibus aliud nil operatur, quàm rebus iam à natura creatis auxiliari tantùm.

Subiungit idem auctor: Creare ſpermata non eſt artis, at poſtquàm à natura creata ſunt, tum demùm ars per ſolam virtutẽ naturalem exiſtentem in ſpermaticis materijs iam à natura creatis,

coniungendo, velut naturæ miniſter, ſuccurrit ipſi rei quidem exiſtenti, at nondum perfectę: nihil tamen addit formę, nec materiæ, neque virtutis. Eſt igitur generationis prima cauſa naturalis, & ſecunda ſolùm artificialis, quæ poſterior abſque priore nihil efficit. Fruſtrà namque terra cultiuatur ad meſſem, niſi naturalis adſit materia creata per naturam, frumenti granum videlicet. Conſtat igitur vtramq; ab altera iuuari, naturam ab arte, hanc à natura, & viciſsim ambas ad opus facere, cùm naturæ, tum artis. Cùm igitur ab arte ſpermata creari nullo modo valeant, neq; materiæ metallorum, impoſsibile fuerit hominem quouis artificio reducere quatuor elementa in ſpermaticam formam reductiuam, alteratiuam, aut attractiuam, ad finem recipiendi formam, vel actionem tendentē, ſiue diſponentem. At ſi quis arguat Philoſophos dicere quatuor elementa in arte noſtra exiſtere debere: ſententia quidem eorum eſt, in duobus ſuis ſpermatibus quatuor pri mas elementorum, quatuor qualitates haberi, caliditatem & ſiccitatem videlicet, ignem & aerem in argento viuo maturo, quod eſt ſperma maſculinum, & frigiditatem atque humiditatem in argento viuo crudo, & imperfecto, quoad finē, quę terra ſunt, & aqua in ſpermate fœmineo, non quòd actualiter in iſtis ſint quatuor partes elementales à ſe mutuò ſeparatæ, vt ſunt quatuor elementa, quæ videmus: etenim haud ſic eſſent materia prima metallorum ampliùs, nec etiam alterari poſſent aliquo ingenio, vel artificio humano, in formam duorum ſpermatum metallorum primæ materiæ, vt apertè docet Calib Philoſophus,

phus & Albaniæ Rex, ad hunc modum: Scitote nos ab initio noſtri operis, niſi duabus materijs duntaxat non indigere, non niſi duæ videntur, neque tanguntur, nec duabus plures intrant in mageſterij noſtri principium, medium, & finem: verũ iſtis duabus qualitates quatuor inſunt virtualiter: in maiori namque ſpermate, velut in digniore, duo digniora continentur elementa per qualitates, ignis & aer videlicet: in altero verò ſpermate natura ſua crudo & imperfecto, reliquę duæ qualitates habentur, & alia duo minus digna elementa, quæ terra ſunt & aqua: per Calib apertè ſatis patet, in hac arte non eſſe niſi duas materias ſpermaticas, vnius & eiuſdem radicis, ſubſtantiæ & eſſentiæ, ſcilicet mercurialis, ſolius ſubſtantiæ viſcoſæ & ſiccæ, quæ nulli rei iungitur in hoc mundo, præterquàm corporibus. Idipſum aſſerit manifeſtè Morienus libro ſuo, inquiens: Durum aquaticum, & molle reddito durum, vt ei coniungatur aqua, celato, vel abſcondito potiùs ignem ſub, vel in aqua frigida; hoc eſt, iunge ſperma maſculinum, quod aliud nihil eſt, quàm mercurius coctus & maturus, continens in ſe per digeſtionem elemẽtum ignis, cum ſpermate fœminino. id eſt, cum aqua viua. Item Iſudrius in eandem ſententiam loquitur in Turba Philoſophorum: Aquam igni permiſceto, hæc eſt vnio ſpermatica potentialiter, proxima lapidis nobili perfectioni, ad eam recipiendum. Et in Codice totius veritatis, quidam Philoſophus nomine Artefimalef: Coniunge rubeum virum, albæ ſuæ fœminæ, in rotundo cubili circundato corticum igne, continuo quoque calore fouea-

tur ibidem, vſque dum fiat coniunctio hominis cum aqua philoſophica, & non vulgari: id eſt, in continente hoc, omne ineſt quod ad vſui perfectionem requiritur: tum demum iſta coniunctio dicitur prima lapidis materia, & non aliter. Nam in ſe continet fixi naturam, qua fixatur, atq; ſpiritualem naturam, dignamque ſubſtantiam nobiliſsimi lapidis. In ſumma qui probè Philoſophos intelligit omnes, optimè concordare videt in omnibus, qui verò nō ſunt artis filij, ſed ignari, diſſentire perperam iudicát. Poſtquàm de prima materia metallorum abundè ſatis loquutus ſum, argumentis quoque firmiſsimis, & autoritatibus dignis mercurium & ſulphur eſſe probaui, latiùs vt progrediar in gratiam & vtilitatem auditorum, in hac ſequenti parte libri mei tertia, dicā quid ſint mercurius & ſulphur: & quemadmodum in terra metalla generentur, eorumque differentias, adductis Philoſophorum autoritatibus, à quibus didici quę de lapide ſcio, Deo dante gratiam & intellectum.

PARS TERTIA LIBRI D. BERN. *Comitis Marchiæ Treuiſanæ, qua per ipſum tractatur de radicibus & principijs Metallorum, idq; rationibus & autoritatibus euidentiſsimis, atque philoſophicis argumentis.*

IN primis non ignorandum eſt, diuinum hoc Geneſis opus, quo Deus in principio creauit materiam confuſam & inordinatam: plenam tamen ex eius voluntate multis ac infinitis materijs, ex qua tra-

xit

xit elementa quatuor, & ex iſtorum commixtione creauit animantia, diuerſasq; creaturas, nonnullas eſſe voluit intellectiuas, ſenſitiuas alias, vegetatiuas & minerales. Intellectiuæ creatæ ſunt ex quatuor elemẽtis, at ignis & aer in iſtis dominantur magis, quàm alia duo. In ſenſitiuis tamen minuitur ignis, quòd aer æquè dominetur ac ille, velut in animalibus brutis, equis, aſinis, canibus, auibus, &c. Vegetatiuæ pariter ex quatuor conſtant, in his dominantur aer & aqua: ſed aer dignitate diminuitur per aquá, & iſta per ſolam ſubſtantiam quandam terreſtrem & vaporoſam. Minerales verò creaturæ, licet ex quatuor etiam conſtent, prædominentur tamẽ terra & aqua: ſed aquæ dignitas eſt terroſa magis, quàm aquatica. Diuerſarum ſunt formarũ, at multiplicari nunquàm poſſunt, niſi per reductionem ad primam ſui materiam, cæteris anteà dictis proprium ſemen in ſeipſis habentibus, in quibus deliteſcit omnis ipſorum multiplicationis & finalis compoſitionis virtus. Materia metallica conſtat ex ſolo mercurio frigido & humido crudo, in quo ſunt etiam elementa quatuor, ſcilicet calidum, humidum, frigidum & ſiccum: quorum duo dominantur, frigidum & humidum: ſubiecta ſunt iſtis calidum & ſiccum. Cœleſtis motus calor circumcirca terram penetrás, & venas eius, eſt tam remiſſus ac temperatus, vt vix perceptibilis, at continuus: noctu pariter ac diu ſemper æqualis. Calor hic non prouenit ex Sole (quod nonnulli fatui volunt) ſed ex reflexione ſphæræ ignis aerem circuentis, & etiam ex continuo motu corporum cœleſtium, calorẽ continuum & lentum

excitantium vix imaginabilem. Quamuis etiam calor mineralium eſſet à Sole (ex ſententia Raymundi Lullij & Ariſtotelis) nihilominus calor eſſet continuus, quia Sol dies & noctes circum terram inceſſanter voluitur. Verùm iſtorum opinio falſa eſt, quoniam Sol non eſt calidus, neque frigidus, at motus eius eſt naturaliter calidus. Calor itaque proueniens ex motu corporum cœleſtium, aſsiduè verſatur in venis terrę: non tamen calefacit (vt putant nonnulli ſtultè loquentes) mineras: nam ſi vel minimè calefaceret, hoc tantillo calore actiuo, minore ſpatio temporis quam annorum decẽ, decoqueretur mercurius in perfectionem Solis, quòd vix centum fieri conſueuit. Terra ſiquidem eſt frigida & ſicca, mineræ quoque ſunt in centro terræ: priuſquàm igitur vel tantillùm caloris percepiſſent à Sole actualiter, nos q̃ ſumus proximiores adureremur prorſum: intenſiſsimus eſſe deberet enim, ſi terram & aquam frigidiſsima corpora penetrans, nihilominus calorẽ adhuc retineret, cùm ad centrum perueniſſet, non extinctũ penitùs. Verùm enimuerò hæc naturaliùs intelligi debẽt ad hunc modum: Cùm ipſe mercurius componatur ex quatuor elementis, calefactis igitur iſtis à communibus & generalibus per ſuum proprium motum, naturalis calor excitatur ab eiuſmodi motione: pariter ignis & aer exiſtentes in mercurio mouentur, & ſenſim eleuãtur, cùm digniora ſint elementa quã aqua & terra mercurij, nihilominus humiditas & frigiditas dominãtur. At quia calor & ſiccitas digniora ſunt elementa, vincere conantur alia duo, videlicet frigiditatem & humiditatem

tem in mercurio denominantes: nam cœleſtes motus excitát alios motus calorum naturalium, per quos mercurij motus, i. qualitates mouētur. Poſtmodùm ſucceſſu longo temporis mercurij ſiccitas vincit gradum vnum ſuæ humiditatis, & fit plumbũ, alium quoq; deinceps gradũ vincit, & fit ſtannum. Tandem calor mercurij iterũ paululum humiditatis ex frigiditate vincit, & fit luna. Calore plus adhuc dominante, fit æs, vel venus, & poſteà ferrum atque ſol perfectus. Hac via duæ qualitates, quæ priùs ſuccumbebant frigiditate & humiditate victę, modò vincunt alias, ac dominantur caliditas & ſiccitas, quæ ſunt in excitatione ſua ſulphur, & mercurij frigiditas atque humiditas ſunt ipſemet mercurius. Non quòd ſulphur hoc ſit quidpiam à mercurio diuiſum, aut ſeparatum: ſed eſt ſolùm caliditas & ſiccitas, quę non dominantur in frigiditatem & humiditatem mercurij. Hoc ſulphur poſteà digeſtum dominium habet in duas alias qualitates dictas, frigiditatem, humiditatem, & ſuas imprimit virtutes. Per eiuſmodi graduum decoctionum varietates, fiunt metallorum diuerſitates. Plumbum ab igne continuè fugit, auolatque, non alia de cauſa, niſi quia frigiditas & humiditas ſui mercurij, nondum alteratæ fuerunt per caliditatem & ſiccitatem ſui ſulphuris, quæ quidem in eo nullo modo dominātur, alioquin ab igne plumbum quantumuis etiam vehementi, nõ abſumeretur, quinimò mercurius eius gauderet in ſibi ſimili. Pariter & alia metalla quæque fugiunt ab igne, præter ſolem, quia ſunt adhuc frigida humidaq;, plus vnum alio, iuxta maiorem cum dictis qua-

litatibus participationem, vel minorem fugiunt (inquam) quod ſibi contrarium eſt, ſuſtinereq́; nequeunt. Omne ſiquidem naturaliter fugit ab aduerſario, ſimili verò delectatur: inde ſequitur, ſolem aliud nil exiſtere, quàm purum ignem in mercurio, cùm ab igne, quantumcunque vehementi non recedat, alijs omnibus illum non ſuſtinentibus, vno minùs alio, plúſue, vt magis accedunt, vel recedunt ab ignis complexione. Sulphur enim aliud nihil eſt, quàm purus ignis occultus in mercurio, qui longo ſucceſſu temporis in mineris excitatur, atq; mouetur motibus corporum cœleſtium (vt ſuprà dixi) digeritque frigiditatem & humiditatem in mercurio, pro varietate graduum decoctionis & alterationis in diuerſas formas metallicas, quarum prima plumbum minùs calidum & humidum: ſecunda ſtannum: tertia argentum: quarta cuprum: quinta ferrum: ſexta ſol, qui quidem in perfectione ſuæ naturæ metallicæ, purus eſt ignis à ſulphure digeſtus exiſtente in mercurio. Ex his manifeſtè rurſum patet, ſulphur non eſſe quid per ſe ſeorſim extra ſubſtantiam mercurij, neque vulgare ſulphur, alioqui materia metallorum non eſſet homogenea (quod pugnat contra Philoſophorum omnium aſſertiones) qui huiuſmodi qualitates dominantes vocauerunt ſulphur, à ſimilitudine, quia ſubſtantiam habēt inflammabilem, velut ſulphur calidā & ſiccam, cui inſunt. Vnde liquet apertiſsimè, formas metallicas à natura ſolùm ex pura ſubſtantia mercuriali creatas eſſe, non extranea, Gebro ſic atteſtante. In profundo (inquit) naturæ mercurij, eſt ſulphur, quod fit

longo

longo ſucceſſu temporis in venis minerarum terræ. Manifeſtiùs hac de re loquũtur Morienus & Aros: Noſtrum ſulphur (inquiunt) non eſt vulgare, ſed fixum, & non volatile, de natura mercurij, & non ex alia re quapiam. Naturam exactiſsimè imitamur, quæ in ſuis minoris aliam non habet materiam, in quam operetur, prætorquàm puram formam mercurialem, vt etiam apparet optimis rationibus, autoritatibus, & experientia. Mercurio huic ineſt ſulphur fixum & incombuſtibile, quod noſtrum opus perficit, abſq; alia ſubſtantia quàm pura ſubſtãtia mercuriali. Non aliter loquuntur Calib, Bendegid, Ieſid, & Maria: ſed clarè ad hunc modum: Natura metalla ſua procreat ex calore, & ſiccitate mercurij, frigiditatem & humiditatem ſuperantibus, alterando, & alia nulla perficiuntur eſſentia, vt omnibus Philoſophorum libris affirmatur, quos omnes allegare prolixum foret. Nonnulli perperam exiſtimant in procreatione metallorum interuenire materiam aliquã ſulphuream: ſed contrà manifeſtò patet, in mercurio ſulphur incluſum eſſe, quando natura operatur: verùm nõ dominatur in eo, niſi per motum calidum, quo ſulphur dictũ alteratur, & vnâ ſimul aliæ duæ mercurij qualitates: ad hunc itaque modum natura per hoc ſulphur in terræ venis generat metallorum formas diuerſas, pro diuerſitate graduum alterationum. In eo pariter imitamur naturam, cùm nihil extraneum ad materiam noſtram aſſumamus, atqui noſtro argento viuo ineſt ſulphur incombuſtibile mercuriale, quod nihilominus adhuc non dominatur, ſed frigiditas & humidi-

tas mercurij volatilis, vſque dum actione continui caloris ſuper hoc noſtrum argentum viuum perſeuerantis, fixum per totam ſubſtantiam volatilem mixtum dominetur, & vincat mercurij frigiditatem & humiditatem, ac tandem fixi caliditas, atque ſiccitas, quæ ſunt eius qualitates, incipit aliarum dominari, ac pro gradibus huius alterationis mercurij, per ſuum ſulphur diuerſi colores oriuntur, quemadmodum nec aliter, q̃ per naturam ipſam in mineris. Colorum eiuſmodi primus eſt nigredo ſaturnea: ſecundus albedo iouialis: tertius lunaris; quartus venereus: quintus martialis: ſextus ſolaris: ſeptimus verò vno gradu per nos altiùs adducitur, quàm per naturam: ſiquidem perficimus, & pluſquàm perfectum reddimus rubeo ſanguineóue colore exaltatiſsimo. Proinde cùm ſit pluſquàm perfectum, eatenus alia perficit: nam ſi non perficeretur vlteriùs quàm à ſua ſimplici natura, quid opus eſſet tantū impendere temporis, vtputà menſium nouem cum dimidio, cùm à natura pręter tantos labores eiuſmodi corpóra habere poſsimus iam creata. Verùm oportet, vt anteà dixi, corpus maſculinum pluſquàm perfici, idque per artem naturam imitantem, quo ſua pluſquàm perfectione, abundantiq; radiatione perficere queat, alia imperfecta, in pondere, colore, & ſubſtantia, in radicibus & principijs mineralibus. Quis igitur adeò præſumptuoſus, vt credat illud perficere poſſe, taleque reddere, quale deſideramus alio quopiam extraneo, in quo nulla radicalis habetur commixtio? In Turba quidem Ariſteus nomine, qui mundum vniuerſum gubernauit annos

nos ſedecim ſua ſapientia, poſt Hermetem excellentiſsimus, de quo legitur in Chronicis Salomonis, ipſum congregaſſe diſcipulos Pythagoræ, ac nunquã mentiri ſolitum: quapropter veridicus appellatus ab Aſtrologis, ait: Natura non emendatur niſi in ſua natura. Non poteſt igitur noſtra materia aliter, quàm in ſua propria emendari. Parmenides idem loquitur, qui me primùm retraxit ab erroribus, & in rectam viam direxit. Patet vtique naturam metallicam non emendari, præterquàm in ſua natura metallica, & non in alia quauis, adeò vt hac via per noſtrã artem perficiamus aliquot menſibus, quod ipſa natura vix mille poſsit annis. Nam in mineris calor ferè nullus, qui ſe vel tantulus ineſſet, opus naturæ celerrimum foret. At in arte noſtra duplicem calorem habemus, ſulphuris videlicet, ac ignis, vt alter alteri ſubueniat. Non eſt ignis (vt volunt Conſtantinus & Empedocles) de ſubſtantia materiæ, qui tamen opus augmentat, alioqui ſequeretur eiuſmodi calorẽ indies magis ac magis penetrare, quod eſt erroneum. Verùm ignis duntaxat omnẽ artem regit, quo natura vtitur, aliud nihil adferre poſſumus. Igne vehemẽti verò non alterãtur inter ſe viciſsim, neque mouentur. Fiat igitur ignis digerens, continuus, non violentus, ſubtilis, concluſus, aereus, circundatus, alterans, & non comburens: ita me Deus amet, iam tibi narraui omnem ignis conſtruendi modum, conſidera igitur, ac rumina verba mea particulatim: ſiquidem ignis omnem comprehendit artem, vt patet ex omnibus locis Codicis veritatis. Conſidera pariter quid Roſarius magnus in hanc ſen-

tentiam adferat: Cauete (inquit) ne ſolutionem veſtram acceleretis, perficere volentes illam antè requiſitum tempus: nam hæc præcipitatio ſignum eſt priuationis coniunctionum: ſit igitur ignis veſter perſeuerans, ac lenis, in modum gradus naturæ, corporibus mitis, digerens, & frigus excludens.

Item adfert ad hæc Maria Prophetiſſa: Vehemens ignis impedit coniunctionem, & album in rubeum tingit coloris florũ papaueris ſyluestris, quod quidem per teipſum poteris imaginari, & ex opere, quemadmodum ego, diſcere. In calore fimi fruſtra tenui, & in igne carbonum abſq; medio, materia mea ſublimata eſt, nõ ſoluta. Verùm in igne quem dixi, vaporoſo, digerẽte, continuo, non violento, ſubtili, circuente, aereo, claro, clauſo, incomburente alterante, penetrante, & viuo benè ſucceſsit. Iam ſi fueris qualem te decet eſſe verum inquiſitorem, facilè per hæc verba intelliges qualis eſſe debeat ignis. In Turba habetur, experientia artificialis te docebit qualis ſit ignis. In Lumine Ariſtotelis Chimiſtæ: Mercurius (inquit) in triplici vaſe coquendus eſt, ad euaporandum & conuertendum actiuitatẽ ſiccitatis ignis, in humiditatem vaporoſam aeris circuentis materiam. Geber & Seneca hoc ipſum affirmant: Ignis (inquiunt) materiam noſtram non digerit, ſed calor eius alterans, ſiccus per aerem exiſtimatus, quod medium eſt quo ignis mouetur, & humectatur. De hoc dicere hactenus diſtuli: nam ignis omnia perficit, vel deſtruit. Aros & Calib: In toto noſtro opere (inquiunt) mercurius & ignis tibi ſufficiant, in medio, & in fine:

ſed

ſed in principio non ita ſe res habet: ſiquidem non eſt mercurius noſter: quod intellectu facilimum. Item Morienus ait: Scitote noſtrum Latonem eſſe rubeum: ſed inutile nobis exiſtit, vſq; dum albus fiat: Scitote etiam aquam tepidam penetrare, ac albefacere, quemadmodum ipſa eſt, & ignem humidum & vaporoſum omnia operari.

Rurſus Bendegid, Io. Mehungus, & Haly: Vos qui dies & noctes (aiunt) quærentes, veſtras dilapidatis pecunias, facultates, & opes veſtras conſumitis, atque tempus inutiliter, torquetis ingenia veſtra circum librorum ſubtilitates, admonitos ex charitate volo (per compaſsionē) velut pater motus, erga filium: vt (inquam) álbificetis Latonem rubeam, per aquam albam ſuffocatam, atque tepidam: cæterùm frangite tot ſophiſticos libros, tot regimina, tantasque ſubtilitates relinquite, mihi credite, vt benè ſit vobis: vana ſiquidem hæc ſunt opera cuncta, præter id, quod iam vobis dixi: & in hunc ſcopum tendunt omnia, quæ ſcripta ſunt. Quid meliùs clariúſue dici poſſet vnquam?

Codex etiam omnis veritatis ad hæc: Dealbate (inquit) rubeum, & poſtmodùm rubeum faciatis album, in eo tota conſiſtit ars, eiuſq; principium & finis. Ego autem dico tibi, niſi nigrum effeceris, minimè dealbare poteris, ſiquidem nigredo eſt initiũ albedinis, & nigredinis finis, eſt ſignũ putrefactionis, corporis penetrati iá & mortificationis. At hæc inquit Morienus ille ſapiens philoſophus Rom. Niſi putrefiat & nigreſcat, nō diſſoluetur, & niſi diſſolutum fuerit, ab aqua ſua

non poterit penetrari, neq; dealbari : vnde nulla coniunctio, mixtio nulla, & per conſequens nulla prorſum vnio, quæ poſtrema fieri non poteſt abſque mixtione: item compoſitio præcedere debet alterationem. Ad hunc itaque modum per eiuſmodi gradus noſtra materia tractatur ad imitationem operis naturæ, in omnibus abſque diminutione vel additione cuiuſuis alterius. De ponderibus verò, ne quis multũ ſit anxius, quænam ſint, & qualia, quibus natura vtitur, ſciendum vtique minerarum locis non haberi: nam vbi ſolùm vnum, quid his opus eſſe videtur, & alibi quàm inter duo, vel plura? Pondus autem noſtrum eſt reſpectu ſulphuris exiſtentis in mercurio. Siquidem (vt anteà dixi) elemẽtum ignis, quod in mercurio crudo non dominatur, hoc ipſum eſt, quod materiam digerit. Quapropter omnis, qui verè Philoſophus erit, optimè ſciet quantò ſubtilius eſt elemẽtum ignis alijs elementis, & iſta vincere quanta proportione valeat. Pondus igitur eſt in elementali prima compoſitione mercurij, & nõ in alio quouis opere. Proinde compoſitio primo loco fieri debet, vel coniunctio, poſtmodùm alteratio, poſteà mixtio, & poſtremò tandem fert vnio. Quicunque volet in his imitari naturam, huius obſeruet ordinem atque pondera duntaxat, vt Codex omnis veritatis habet. Si confectio fiat abſque pondere, retardabitur opus, quò fiet vt animum facilè deſpondeas. In hanc ſententiam optimè loquitur Albugazal præceptor Platonis: Terrena potentia ſuper ſibi reſiſtens, pro reſiſtentia dilata, eſt actio agentis in iſta materia. Verba ſunt merè aurea, ponderum funda-

fundamentum nobis aperientia, quæ non facilè, niſi doctus, intelliges, vel à quopiam explicata fuerint, inſigniter docto. Ipſe tibi libenter expoſuiſſem, niſi Deo votum, æquitati, Philoſophisq; præſtitiſſem, me nunquam nudis verbis expoſiturum, aut vulgato ſermone pondus, materiam, neque colores, at ſolùm parabolis (vt infrà mox audies) veris & perfectis, abſque diminutione & ſuperfluitate, ad imitationem ſapientum. Anteà dixi de huius artis inuentoribus, eisque qui habuerunt, me quoque habuiſſe perfeciſſeque lapidem à principio vſque in finem faſſus ſum: item de impoſturis, quas ſuſtinui, & propter eas ingentes impenſas & labores intolerabiles, ab anno decimo octauo ætatis meæ, vſque ad annum ſexageſimum quartum, priuſquā artem adeptus eſſem. Verùm ſi habuiſſem ab initio libros omnes, quos poſtea nactus ſum, citiùs ad eam haud dubiè perueniſſem: at nihil aliud quàm falſiſsima legebam recepta, & libros erroneos: præterea non niſi cum peruerſiſsimis furibus, hominibus nequàm, & impoſtoribus communicare contingebat. Sed poſtquàm ſciui, familiarem notitiam habui cū quindecim bonis viris, qui pariter ſciebant lapidis artificium, & præcipuè cum quodam Barbarino (ſciueram nihilominus artem duobus annis priuſquàm elaboraſſem, vel perfeciſſem) hic inter diſputandum (cùm ex improuiſo dixiſſem, me nondum expertum fuiſſe) conabatur à propoſito vero diuertere, quapropter deſerui ſocietatem eius. Diſputabamus potiſsimùm de modo celandi, & contegendi hominibus indignis artem. Verùm in ignis ſtructura ſcri

bentum alij diſentiebant ab alijs, quamuis ad eundem ſcopum tenderent omnes, vt nempe fieret ad hunc modū, ne fugiens priùs auolet quàm ipſum perſequens, quocumque modo pararetur ignis. Concluſionem igitur hanc meam vt intelligas, arrige attentiùs aures. Opus noſtrum fit ex vna radice, & ex duabus ſubſtantijs mercurialibus, crudis, aſſumptis, & ex minera tractis, puris, & mundis, igne coniunctis amicitiæ, vt exigit ipſa materia, aſsiduè coctis, vſq; dum ex duobus vnum fiat, in quo quidem vno corpus ſpiritus, & iſte corpus facta ſunt à commixtione.

Poſtmodùm augeatur ignis donec fixum corpus, tingat nō fixum ſuo colore naturaque: nam vbi ritè mixtum eſt, omnia vincit, ac ad ſuam naturam & virtutem adducit, ac tandem ſuperat & tingit millies millena, ac decies millies millena: id qui vidit, is pariter credit. Ad hunc itaque modū virtute, quantitateque multiplicatur, vt fatentur venerabilis ille Pythagoras, Iſudrius, & Codex omnis veritatis. In nullo vnquam librorum reperi multiplicationem, præterquàm in Roſario magno, in Pandectis Mariæ, in Veridico, in Teſtamento Pythogoræ, in Turba, in Morieno, in Auicenna, in Bolzain, in Albugazal frater Bendagid, in Ieſid Conſtantinopolitano, at in alijs ſi habebatur, non intellexi, nec ab ipſis addiſcere potui. Noui quendam ex Marchia Anconę, qui lapidem optimè nouerat, multiplicationē autem ignorabat, hic me ſedecim annos integros ſollicitè inſequutus eſt, vt diſceret, verùm ex me nunquam ſciuit, libros enim quos dixi, habuit vt ego. Totam ſpeculatiuā igitur, & principia mineralia,

cum

cum ſuis rationibus detexi, quibus verum à falſo diſcerni poteſt, modò verò practicam attexere viſum eſt, obſcuris verbis tamen, vt egomet elaboraui, & quater compoſui dictum lapidē. Quicunque igitur hunc meum libellum habuerit, ac legerit, ab omni liberari meritò deberet anxietate, necnon veritatem cognoſcere citra defectum, dilucidiùs enim ſcribere haudquaquam potuiſſem, niſi rem ad oculum demonſtrarē, quod quidem omnis ratio diſſuadet. Ipſe tu cùm ſciueris longè me cautiùs velabis, ægreque feres me tam apertè ſcripſiſſe. Voluntas Dei vetuit omnibus palàm fieri, quod valdè paucis notū eſſe bonum eſt, vt in Turba paſsim legitur.

QVARTA PARS LIBRI BERNARdi Comitis Marchiæ Treuiſanæ, de practica Philoſophici lapidis.

CVM in hac arte maximè profeciſſe me percepiſſem, cœpi doctos in ea potiſsimùm quærere ac frequentare: decet enim probatos viros ſibi ſimilibus adiungi, & non alijs. Cùm igitur per celebrem quandam ciuitatem Appuleam Indiæ tranſirem, audiui doctiſsimum in ea reſidere virū in omni ſcientiarum genere, qui parem in hoc mundo non haberet. Hic prætium diſputationibus inſtituerat omnibus in arte peritis, libellū folijs & coopertorio puro, putoq; auro fabrefactum. Quapropter honoris auidus, animum facere mihimetipſi non dubitaui, ac ad præſcriptas diſputationes diſponere, addente mihi, ad hanc ſuſceptam prouinciam,

calcaria verò doctiſsimo, veniente mihi in mentem etiam, audētes ad ſublima prouehi, timidos deijci, ac perpetuò humi degere, viriliter in paleſtram tranſij, fatoque palmam obtinui diſputationis coram aſtantibus, libellusque premij fuit mihi per facultatem philoſophiæ admodum honorificè oblatus, vt circumſpectarer ab omnib9. Deinceps animi ſtudio fatigati recreandi gratia, campos amœnos & prata quærens, in lympidiſſimum incidi fonticulum, pulcherrimo lapide circumſeptum, atq; munitum, ſupra quercinum truncum, cętera muro circundatum, ne bruta ad eam intrarent, nec aues in eo balneum ſibi facerent. Super hunc fontem ſedens, contemplatus ſum eius pulchritudinem, ac vidi ſuperiùs clauſum. Ea faciens iter vir ſenex, & venerandus admodum, vt Sacerdos, à me ſalutatus honorificè, & rogatus quamobrē iſte fonticulus ad eum eſſet modum, ſuperiùs, inferiùs, & ad latera circumquaque clauſus, & munitus? amico reſponſo me dignatus ait: Eſt quòd ſcias, amice mi, fontem hunc eſſe valdè mirabilis, ac terribilis virtutis præ cæteris omnibus totius mundi fontibus, pertinet ad Regem ſolùm huius patriæ, quē fons optimè nouit, & ipſe fontem. Prætereuntem Regem hac ſemper ad ſe trahit, & à Rege non trahitur. In eo balneo manet ducētis octuaginta duobus diebus, quibus ad tantum iuuentutis robur adducitur, vt à nemine quantumuis robutiſſimo vinci queat. Curauit igitur ſuum concludi fonticulum albo lapide rotundo, vt vides, in quo relucet fons clarus, velut argentum, & cœleſtis coloris, vt etiam eſſet fortior, ne ab equis & alijs deſtrueretur,

ſtrueretur, induxit quercum veterem fiſſam per medium, qui tuetur à Solis radiis, vmbrã faciens. Deinceps, vt vides, muro circundatur valdè ſpiſſo: primò duro lapide & claro clauditur, tum demùm caua quercu, maximè quia terribilis eſt naturæ, adeò vt omnia penetret ſemel inflãmatus, ac irritatus: item ſi euaneſceret, actum de nobis eſſet. Rogaui poſtmodùm vtrum ipſe Regem in dicto fonte vidiſſet, qui reſpondit, ſe vidiſſe quidem intrantem, ſed ab eo tempore, quo per cuſtodes in eo clauditur, non apparet ampliùs in centeſimum & trigeſimum vſque diem: tandem emergit admodùm ſplendens, ac nitens. Cuſtos portenarius balneum aſsiduè calefacit, vt perſiſtat in ſuo calore, qui in aqua fontis occultus eſt, ac dies & noctes calefacit abſq; intermiſsione. Interrogaui rurſum cuius coloris Rex eſſet, qui ait, veſtitũ eſſe panno aureo primùm ab initio, deinceps holoſericea diploide, vel thorace nigro, camiſia quidem alba ſuprà niuem, eius carnem tamen, vel ſanguinem rubicundiſsimam. Rogaui deinceps vtrum Rex eò veniens multam cohortem extraneorum, plebiſque minutæ ſecùm adduceret? reſpondit amicè, ac ſubridens: Cùm Rex huc venire propoſuit, relictis omnibus ſuis aulicis & extraneis, ſolus intrat, nemine fontem præter ipſum appropinquante, & ſolam eius cuſtodiam: cuius curã habet homo valdè ſimplex, imò ſimpliciſsimus hominum, eius ſupplere vices optimè poſſet, cùm aliud nihil efficiat, quàm calefacere fontem. Petij rurſum vtrum fonti Rex eſſet amicus, & fons ipſi? qui ait, mirum in modùm ſeſe viciſsim amant, fons Regem attrahit, &

non Rex fontem: nam Regi velut mater eſt. Interrogaui tandē cuius generis Rex eſſet? reſpondit eſſe ex fonte, qui talem, vt eſt, effeciſſet abſque alia re quapiam. Petij vtrum multos haberet aulicos, qui ait, ſex duntaxat habere, qui ſucceſsionem expectant, ſi fortè Rex quandoq; mori poſſet, potirentur etiam, vt ipſe, regno: hinc fit, vt illi ſeruiant, quia ſperant ab eo multam dominationem & poſſeſsionē. Tandem interrogaui vtrum ſenex eſſet, qui reſpondit ſeniorē eſſe fonte, ſuisq; maturiorem ſubditis quibuſcunq;. Qui fit igitur, (petij) vt iſti non interficiant Regem, à cuius à morte tantam ſucceſsionem expectant, cumque ſit adeò ſenex? Qui ait: Quamq̄ admodum prouectæ eſt ætatis, nihilominus ſubditorū ſuorum nullus adeò patiēs algoris atq; ſudorum, pluuiarum, ventorum, & laborom vt ipſe: item nemo illorum per ſe, nec ſimul omnes occidere poſſent, neq; vis vlla. Quomodo igitur poſsidebunt regnum ſi mori nec etiam occidi poſsit ab aliquo? Reſpondit, ſex eius ſubditi ſunt ex fonte, à quo poſsident omne quod habent, vt ille, quo fit, vt à fonte trahantur, maximè. Rex occiditur ab ipſo fonte pariter vt illi, reſuſcitatur per ipſum, deinceps ex ſubſtantia regni ſui, quæ poſita eſt in minutiſsimas partes, quiſque ſubditorum eius portionem accipit, & quantumcunque minutiſsimam particulam quilibet habeat, æquatur opulentia, viribus & potentia Regi, fiuntque inter ſe æquales. Interrogaui rurſum quanto tempore illis expectandum eſſet? qui ſubridens iterum ait: Scito Regem intrare ſolum abſque ſubditis, etſi fons amet etiam iſtos, non tamē intrant quia non-

nondum hanc dignitatem promeriti ſunt. Verùm intrante Rege, veſte auri puri contexta folijs, & contectâ exuitur, quam primo ſuo tradit cubiculario, Saturno dicto, hic ſeruat diebus quadraginta, plus quandoque duobus ad ſummum, poſtquàm ſemel habuit. Deinceps exuit Rex thoracem holoſericeam nigram, quam ſecundo ſuo cubiculario Ioui nomine tradit, qui cuſtodit viginti bonis diebus, tum demũ Iupiter iubente Rege, tradit Lunæ, quæ tertia perſona eſt pulchra & reſplendens, hęc viginti diebus ſeruat. Tum demùm Rex in pura camiſia albâ, niuis inſtar, aut ſalis floris exiſtit, quam etiam exuit, eamque Marti tradit, hic ſeruat quadraginta diebus, aliquando duobus aduenientibus. Poſtmodùm Mars, Deo iubente, tradit Soli flauo, non claro, qui ſeruat quadraginta diebus. Tum demùm venit Sol pulcherrimus, & ſanguineus, qui ſtatim camiſiam arripit. Interrogaui tandem, quid inde fit ex iſtis omnibus? qui ait: Fons deinceps aperitur, ac vt camiſiam dedit illis, veſtem, atque thoracem, momẽto iam ſuam carnem ſanguineam & rubeam tradit omnibus manducandam, iam demùm habent quod optabant. Rurſus petij, vtrum tanto tempore ſemper expectarent, & num priùs aliquam remunerationem ſeruitiorum habere poſſent, in finem vſque niſi perſeuerent? qui ait: Statim atque albam habent camiſiam, quatuor iſtorum aulicorum, ſi velint, gaudere poterunt, opibus quoque frui plurimis: verùm dimidiâ parte regni ſolummodò potirentur, quapropter malunt, vel tantillo diutiùs finem atque exitum expectare,

vt etiam diademate regio ſui domini coronētur.
Interrogaui an vnquam aliquis accederet medicus, vel quiduis aliud eo tempore? qui reſpondit, nullum, nec quicquam aliud præter cuſtodem vnicũ, qui ſubtus calorē excitat continuum circuentem & vaporoſum, præterea nihil. Rogaui nũ cuſtos hic multos labores pateretur? qui ait, plus à principio quàm ſub finē, quia fons inflammatur. Petij vtrum vidiſſent multi, qui reſpōdit, verſatur ob oculos toti mundo, nemo tamen cognouit eorum qui ſunt in mundo. Rogaui latiùs quid agerent? qui ait, Si volēt ſex illi Regem iterum purgare poterunt in fonte diebus tribus, circuendo locum iuxta contentam continentiam, dando primo die thoracem, ſecundo camiſiam, ac tertio carnem ſuam ſanguineam. Dixi ad hæc quorſum iſta? at ipſe, hactenus tibi reſpondi, fatigatus ſum. Quod cùm percepiſſem, nolui eſſe moleſtus, at abeuntem comitatus ſum aliquatenus, illi quoq; gratias agēs immortales, vale dixi. Venerabilis admodum ſenex fuit atq; ſapientiſſimus, vſq; adeò vt ipſi obedirent cœli, cunctaq; tremerent coràm ipſo. Sopor etiam inuaſit me, vt rediens ad fontem aliquantiſper quieſcere deſtinaram, ſedēſq; ſuper hunc abſtinere nō potui, quin clauſtra omnia ſecretò referarem. Interea cùm libellum meum diſputationis premium inſpicerem, per ſuum ſplendorem & pulchritudinem, ſoporem anteà conceptum auxit, vt oſcitantiã quadã è manibus in fōtem delapſus ſit, quod me peſsimè habuit: volebam enim ſeruare in memoriam honoris adepti. Cumq; inſpicerem diſparuit ab oculis, exiſtimans igitur in fundum

deci-

decidiſſe fontis, aquam exhaurire cœpi, cum induſtria tamen, adeò vt non maneret in eo, niſi decima pars eius cum decem partibus. Cumque totum exhaurire conarer, tenaces erant valdè, interea dum in hoc opere fatigarer, ſuperuenerunt aliqui, vt vltrà haurire impedirent. Priusq; abirem tamen, concluſi rurſum omnia, ne quiſpiam perciperet me fontem exhauſiſſe, neque vidiſſe, néue fortè mihi libellum etiam ſurriperẽt. Tum demùm cœpit excitari calor circumcirca in balneo ad lauandum Regem. Ego autem ob perpetratum facinus adductus ſum in carcerem, ibidemque detentus quadraginta diebus. Quibus abſolutis fui relaxatus, & ad fontem reuerſus, vt viderem ipſum: obſcuræ nubes apparuerunt, quæ durarunt longo tempore. In ſumma vidi ſub finem omnia, quæ deſiderabat animus, abſque multo labore: qui te non torquebit etiam adeò, modò rectam ingreſſus viam, ab ea non deflexeris ad erroneas, at naturam in omnibus fueris imitatus. Concludens dico tibi, quicunque libellum hunc meum legens, lapidem per ipſum non intellexerit, nunquam intelliget, quicquid operetur. Nam in hac mea parabola totum opus continetur in practica, diebus, coloribus, regiminibus, viis, diſpoſitionibus, & continuationibus, quantò meliùs fieri potuit narraui ſingula, pietate, charitate, & compaſsione motus erga deſolatos operatores, in hac arte pretioſiſsima. Finem igitur faciens libello meo, Deum Optimum Maximum rogo, cuius gratia fuit abſolutus, vt aperiat mentes hominum bonæ voluntatis, quibus, vt ingenioſis, pauca difficultas erit, modò abſti-

neant à ſomniatis phantaſijs, & ſubtilitatibus ſophiſtarum, in via quoque naturæ maneant, quæ per meam ſpeculatiuam demonſtratur. Valete in IESV CHRISTO omnes, & memores pauperum eſtote, cùm ad hunc theſaurum inexhauſtibilem perueneritis. Deum orate, qui vos docebit vlteriùs.

FINIS.

OPVSCVLVM PHILOSOPHIAE NATVRALIS METALLORVM D. DIONYSII ZACHARII nobilis viri Philoſophi Galli,

Ad benignum Lectorem.

QVOTQVOT *in hac arte diuina ſcripſerunt olim docti, ſapientes viri, naturalesq́ Philoſophi prophanationem, vel diuulgationem eius arcani vetuerunt. Nihilominus amice Lector cùm ſatis conſideraſſem interpretationes contradictionum, figurarum, comparationum, æquiuocationum, ac variorum ænigmatum paſſim in ipſorum ſcriptis occurrentium, abſq; numero, celatum eſſe nolui, quicquid (poſt multos inutilesq́; labores, atque prolixiſſimos, circa ſophiſticationum recepta, deceptoria potiùs dixerim opera prorſum inepta) per imaginationes veras, ex proborum libris reſoluerim continuis lectionibus approbatiſſimorum autorum, velut Geberi in ſua Summa, & aliorum. Pedem itaq; retrahens ab erroneis vijs, quibus implicitus fue*

ram anteà magis quàm Dedalus in ſuo labyrintho, in ſemitam rectam figere volui, quà gradiẽs tandem cognoui veram & perfectam materiam, à natura nobis in cauernis terræ præparatam, ad perficiendum ſupra terram, quæ ſub iſta generat ipſa, metalla naturaliter, quemadmodum experientia (Deo miſerente) me docuit, vt hoc libello declarabo clariùs, quàm vnquam fieri valeat. In cuius prima parte narrabo modum & progreſſum, quibus perueni tandem ad veram huius operis diuini cognitionem. In ſecunda, quibus autoribus vſus ſum in perquirendis autoritatum explicationibus, terminorum, aliarumq́; difficultatum. Tertia verò & vltima, declarabo practicam ad eum nempe modum, vt ignaros lateat, filijs autem artis ſit manifeſtiſsima: propter quos omnia redigere in optimũ ordinem ſtudui quàm diligentiſsimè: non imitatus hac in re nonnullos inuidos vtilitatis R.P. homines, proprijq́; ſui commodi nimiùm auidos, qui ſuam noluerunt materiam declarare, præterquàm ſub diuerſis varijsq́; fabularum allegorijs, imò qui libros ſuos alijs oſtendere vix voluerunt. Noui quendam qui nonnulla ſcripta receperat à Veneto, hæc velut adorans occultabat occluſa, vt ipſemet vix auderet introſpicere,

çere, ne dicam aliјs oſtendere, vel communicare, exiſtimans fortè lapidem ex ea papyro ſola proditurum abſq; labore, ſi modò concluſa ſtrictiſsimè contineretur arca, tamquam Hermetico ſigillo materia philoſophica. Verùm ignorant iſti nō fortuitò conceſſam eſſe tam diuinam ſcientiam hominibus, vt aiunt Philoſophi, dum repræhendunt eos, qui nō propriјs, at alienis impenſis operantur. À quibus dubio procul aſperrimè taxabor, quia hoc opuſculum publicaui, præſertim idiomate vulgari, cùm nulla hac tempeſtate ſcientia magis vulgo ſit odioſa. His breuiter volo reſpōſum quod hactenus ignorarunt, nimirum huius diuinæ philoſophiæ partem non eſſe in humana poteſtate, adeò vt libris ſolis intelligi queat, ſed in voluntate Dei ſitam, qui reuelat cui vult per Spiritum S. ſuum, vel per medium alicuius hominis, vti ſecunda libri huius parte narratur latiùs: tantùm abeſt vt palàm faciam omnibus. Quid noui ſi vulgariter ſcribam artem, quæ ab omnibus ſuis profeſſoribus non alio ſermone quàm ſuo proprio pariter deſcripta fuit hactenus, vt ab Hamech Hebræo Hebraicè, à Thebit & Haly Chaldæis Philoſophis Chaldaicè, ab Homero, Democrito & Theophraſto Græcis, Græcanica lingua, ab Aboholy, Gebero, &

Auicēna Arabibus in Arabica. Morienus, Raymundus, & pleriq; alij Latini, Latinè tradiderunt artem, ſuis vt cognoſceretur à ſucceſſoribus, diuinam iſtam ſciētiam hominibus etiam ſuæ nationis conceſſam quandoq; fuiſſe. De populari odio ſciendū veritatē artis non eſſe ſpretā, ſed falſas duntaxat in ea ſophiſticationes, vt in prima huius libelli parte narrabo latiùs. At ſi dicant, cur ego non dilucidè ac manifeſtè ſingula ſcribā, vt ex hoc opuſculo quiſq; ſecurè valeat operari, cùm ſecùs faciens nihil vtilitatis adferam lectoribus? Vt reſpondeā, quis ignorat innumeras impenſas, & inutiles, quæ circa hāc artem in Gallia ſolùm fiunt indies, propter ſophiſticationes, à quibus ſi retrahi poßint in viam rectam lectura mei libri, tum pij probiq; lectores in veritatis ſemita retineri, per ea quæ ſecunda parte doceo, nō erit iſtis omnibus lectura tertiæ partis inutilis, in qua narratur, qua patet ad practicam operis diuini prorſum facilis aditus. Diuinū voco hac de cauſa, quòd nemo per ſeipſum abſq; diuina inſpiratione cōprehendere, vel intelligere poteſt, etſi doctißimus alioqui philoſophus exiſtat, vt ait Geber aduerſus omnes, qui ſola conſideratione cauſarum, operumq; naturaliū operari nituntur, inquiens: In eo plurimū errant putantes ſe naturam

ram imitari poſſe, cùm id arti ſit in omnibus impoßibile. Abſtineant igitur eiuſmodi calumniatores à lectura noſtri opuſculi: nō ipſis enim elaboraui, ſed filijs doctrinæ benignis, docilibus, & ſtudioſis amatorib. huius artis. Quos amicè quidem rogo, & admonitos volo, priùs q̃ operari incipiant, vt omnibus dubijs, quæ circa ſingulas operationes in compoſitione neceſſarias verſantur, collatis & quæ ſibi mutuò contradicere videbuntur, ænigmatum æquiuocationibus, & id genus alijs, animum adeò reſolutum atq; liberum habeant, vt videant, ac intelligant, non niſi meras eſſe concordantias, non diuerſorum, ſed vario modo prolatorum in vnum & eundem ſenſum. Hæc eſt vnica via cognoſcendi veritatis, in hac arte præſertim, vt Raſis inquit. Quicumque deſidioſus erit, ac oſcitans in noſtrorum lectura librorum, ineptus etiam erit ad præparandas materias, quandoquidem vnus alio declaratur, tum quòd in iſto vno fortaßè requiritur, ſuppletur in alio. Impoßibile namque fuerit, (ſic diſponente diuino conſilio) reperiri omnia ex ordine ſcripta, quæ ad hanc artem ſunt neceſſaria. Proinde quoſcumque rogo, qui per hoc meum Opuſculum ad tantam felicitatem peruenerint, non abutantur

ea, pauperumq́; in primis non ſint immemores ad ſui condemnationem, Deo gratias agāt aſſiduè pro hoc, & reliquis liberalitatis ſuæ donis, cui ſit laus, honor, & gloria ſoli in æternū.

PRIMA PARS OPVSCVLI DIONYSII ZACHARII, QVAE NARRAT, QVA VIA PERuenerit autor ad veram notitiam huius artis, operisq́; diuini.

HERMES ille Triſmegiſtus non immeritò vocatus philoſophorum omnium naturalium propheta primus, atq; pater, diuini lapidis autor, & Termagnus Interpres, poſtquàm expertus eſſet veritatem huius diuinæ philoſophiæ, ſcriptum nobis reliquit, quòd niſi metuiſſet vniuerſale Dei iudicium poſtremum, nunquàm de hac diuina ſcientia quicquam ſcripſiſſet, in tantam venerationem habuit. Huius opinionis etiam extiterunt quotquot eum in hac arte ſunt imitati: quo factum vt omnes libros conſcripſerint in ea, variis argumētis in vtramq; partem concludentibus, vt ait Geber in Summa, vt ignorantes ad hunc modum errare cogerentur, econtrà doctrinæ filij ſub opinionum eiuſmodi varietate, mentē ipſorum perciperent. Quos nihilominus etiam errare fuit neceſſarium à principio, vt poſtquàm adepti fuerint

rint artem ſummis laboribus, cùm intellectus, tum corporis, pluris faciant, occultiusq; ſeruent. Iſta nimirum eſt occaſio maxima celandi: nam ad intolerabiles pœnoſosque labores accedunt ſumptus ingentes, his potiſsimùm qui librorum lectura ſola diſcunt, expectantes inſpirationem à diuino ſpiritu, quemadmodum ego feci ſpatio decem annorum, vt narraturus ſum, & medium dicturus per quod in cognitionem huius arcani venerim. Cùm annorum eſſem circiter viginti, poſtquàm cura parentum inſtructus domi fuiſſem in principiis Grammatices, ad artes & philoſophiam relegatus, annorum ſpatio trium, diligentia particularis mei præceptoris, adeò profeci, vt viſum fuerit meis turtoribus (interea temporis enim vterque parens interierat) altiùs me prouehere, videlicet ad legiſprudentiam ſub eodem præceptore: ſed priuſq; diſcederem ab artium collegio, familiaritatem & amicitiam cũ plurimis alijs ſcholaribus inieram, iſti varios habebant receptorum chimicorum libros, quos mihi datos mutuo ſumma diligẽtia deſcripſeram, annuente præceptore familiari, qui iamdudum etiam in hac arte laborare cœperat, adeò vt antequàm abirem, collegiſſem librum admodum copioſum eiuſmodi receptis refertiſsimum. Statim atque vnà cum præceptore meo veniſſem eò locorum, vbi legibus operam nauare debui, ſcripta mea cœpi reuoluere, quorum aliqua proiectiones continebant vnius ſuper decem, alia ſuper viginti, triginta, tertiam, mediam partem, ad rubeum octodecim caractorum, viginti, &c. in coronatorum aurum, ducatorum, altiorisque co-

loris q̃ vnquàm eſſe poſsit, vnum ſuſtinere debuit liquationem, aliud examẽ Lydij lapidis, omnia aliud examina, de albo ſimiliter, vnũ eſſe debuit denariorum decem, aliud vndecim, aliud capitalium numiſmatis argentum, album ex igne rediens, aliud in affricatione lapidis Lydij. Summatim exiſtimabã, ſi vel minimum iſtorum præſtare valerem, in hoc mundo maiorem fœlicitatem contingere mihi non poſſe. Præſertim cùm legerẽ eiuſmodi recepta magnatũ inſcriptiones præ-ſe ferre, vnum Reginę Nauarræ, aliud Cardinalis Lotaringiæ, Turnonis, & aliorum infinitorum, vt eiuſmodi laruis atque titulis fides ab incautis hominibus adhiberetur, quibus etiam decipiebar facilè cum cæteris. Fornaculas itaq; fabricare cœpi, & à minimis ad maximas deueniẽs, totum iſtis repleui magnum cubiculum: vnam ad deſtillationem deſtinaueram, ad ſublimationem aliam, ad calcinationem, diſſolutionem, balneum Maris, ad fuſionem, adeò vt pro primo introitu mei principij, ducentos coronatos, quos receperamus in ſuſtẽtationem ſtudiorũ ad duos annos, penitùs inſumpſiſſem, partim in fornacibus, partim in carbonib9, infinitis materialibus, & vaſis vitreis, auro & argento inutiliter fuſis, mixtis, atque ſolutis, quæ longa tractatione peribant inter loppas & cineres, ac ita diminuta vix apparebant, vel tantillo reſiduo fragili & corrupto: finito nondũ anno priore, ſubſtantiam duorum, aut ſaltem poſterioris iam inchoantis, in fumum redegi. Hoc tempore meus præceptor calidiſsima febre correptus, per calores noſtris carbonibus excitatos (illorum inſtar fermè qui Venetijs

netijs in Arcenali percipiuntur à fuſoribus tormentorum) quia iam inflammatus, ac flagrans intrinſecùs frigidè bibiſſet, ob cuius mortem maximè dolui: tum quia parentes renuebant plures mittere pecunias, quàm pro me ſolo. Proinde cupiens inchoatum opus proſequi, domum redire coactùs ſum, vt liber à tutela factus, meiq; iuris, de paternis bonis modo quò vellem diſponerē, quæ ſtatim in arendá (vt vocant) conſcripſi quatuor annis quadringētorum coronatorum pretio, quibus tandem receptum ab Italo mihi datum experirer: hunc alui mecum, donec viderem exitum rei: affirmabat enim ſe vidiſſe per experientiam eius effectum. In hác rem emi duas vncias auri, & marcam vnam argenti, liquata ſimul diſſoluimus in aqua forti, poſtmodùm calcinauiuimus per euaporationem, alijs quoque diuerſis aquis, varijsque deſtillationibus diſſoluere conati ſumus, tantiſper dum tres præterirent menſes priuſquá hic puluis paratus eſſet in proiectionem, quam quidem iuxta recepti præſcriptum fecimus, at fruſtrà: nam augmentum tranſmutatum eſt in detrimentum, adeò vt ex auri & argenti ſimul vncijs octo, reſtiterint vnciæ tres tantùm, vt interim taceam de multis alijs ſumptibus, quibus quadringenti mei coronati, ſunt ad ducentos & triginta redacti, de quibus etiam viginti defecerunt, iſtos Italo meo dedi, vt autorem adiret recepti, quem aſſerebat eſſe Mediolani, à quo meliùs inſtrueretur. Proinde per totam hyemem expectabam eius reditum, verùm in diem poſtremum potuiſſem ibidem manſiſſe, nunquàm enim poſteà mihi viſus eſt. Æſtas

tandem comitante peſte redijt, quapropter loco mihi cedendum fuit, alijsque ſocijs anno dimidio, quo tempore incidi in quendam ſenem, vulgo Philoſophum appellatum, quo cum amicitiam contraxi, meaque recepta communicaui, rogãs, vt ſuo iudicio meliora notaret: decem itaque vel duodecim quæ ſibi potiſsima videbantur, demonſtrauit. Hæc, ceſſante peſte, rediens ad priſtinum locum tentare cœpi mox à reditu, perque totam ſubſequentem hyemem operatus ad feſtum vſque Ioan. æquè tantùm emolumenti, quantùm ex præcedentibus reportaui: ſiquidem adhuc quadringenti mei coronati ſumpſerunt augmentum, vt ex eis ſeptuaginta duntaxat numerarem, non propterea deſpondi animum. Quidam Abbas habebat receptum ab amico Roma tranſmiſſum, ex aula Cardinalis Armignaci, cui adiunctus expoſui centum coronatos, totidem & ipſe, vt communibus expenſis experiremur. Fabrefactis igitur nouis fornacibus diuerſarum formarum ab alijs, quoniam opus erat nobis excellentiſsima aqua vitæ, pro diſſolutione marcæ aut libræ ſemis auri, generoſiſsimi vini vas magnum emimus, ex quo per pellicanum ingentem copiam eius aquę ſæpiùs rectificatæ, plurimis vitreis vaſis ad hoc emptis parauimus. Poſtmodùm auri noſtri, priùs integro menſe calcinati, marcam vnam, & quatuor marcas aquæ dictæ, poſuimus in duo vaſa vitrea ſpiſsiſsima retorta, vnum in aliud intrante, ſigillatis, & ambobus collocatis in duabus magnis fornacibus rotundis. Emimus etiam carbones pretio triginta coronatorum vnica vice, ad ignem ſubtus continuandum

nuandum integro quidem anno, vt interea tamen aliquid in alijs etiam receptis tentaremus; ex quibus non magis quàm ex opere magno conſequuti ſumus vtilitatis, ex vtroq; videlicet omninò nihil. Conſtruxiſſemus ignem ad infinitos annos, priuſque, vt receptum pollicebatur, congelatio facta fuiſſet in fundo vaſorum, non præcedente ſolutione. Non autem operabamur in debita materia, nec erat iſta ſolutionis aqua vera, quæ noſtrum aurum diſſoluere debet, vt ab experientia patuit. Inuenimus enim aureum puluerem adhuc integrum, nec niſi paulò minutiorem, quem proiecimus ſuper viuum argentum, vt habebatur in recepto, ſed in vanum. Ægrè tulimus hoc infortunium, & præſertim Abbas, qui tamquam optimus ſecretarius publicus, iactitarat coram ſuis monachis, ſe nihil expectare, præter finem operis, tandem plumbeum fontem exiſtẽtem in monaſterio liquefacturum, & conuerſurum in aurum: verùm in aliud tempus reſeruare coactus eſt, vt poſtmodùm ſuppeditaret ei ſumptus, quos interea fecit per Germanum operatorem prætereuntem, & frùſtrà, me abſente dum eſſem Pariſiis tentauit. Abbas vtiq; reaſſumpto animo, perſuaſit mihi, vt congregarem pro parte mea trecentos, vel quadringentos coronatos, totidẽ adderet meis, quibus mecum aſſumptis Pariſios me conferrem, vbi laboratum numerus infinitus, tantiſper inter ipſos ac diuerſos verſarer, donec opus aliquod perfectum inueniſſem inter nos velut fratres partiendum. Quo quidem pacto inito, bona poſſeſsionum mearum denuò conſcripſi, Pariſios vtique veniens octin-

gentos attuli coronatos, ea intentione, vt illinc nō diſcederem, vſq; dum abſumpſiſſem aut repeɾiſſem quod optabam. Non ſine parētum & amicorum omnium offenſione maxima receſsi, qui me libenter in ordinis ſenatorij virū promouiſſent in patria, exiſtimantes me legiſperitum eſſe promptiſſimum. Verùm ego reſiſtēs, ac ſimulans me his pecunijs officium aliquod empturum, vale dixi, & accinxi me itineri altera die natalis feſti, ac Pariſios appuli triduo pòſt Reges. Ibidem integro menſe primùm incognitus latitare volui. Mox atq; poſtmodùm frequentare cœpi cum artiſtis, aurifabris, fuſoribus, vitrarijs, fornacū ſtructoribus, aliisq́;, tantam contraxi notitiam, vt vix altero menſe finito, plus centum operatorum facti ſunt mihi familiares. Nonnulli operabantur in tincturis metallorum per proiectiones, alij per cimentationes, aliqui per diſſolutiones, plæriq; per coniunctionem eſſentiæ lapidis ſmirilli vulgò nuncupati, nonnulli ꝑ prolixas decoctiones, aliqui in extractionibus mercuriorum à metallis, alij verò in iſtorū fixationibus. Adeò frequens erat noſtra congregatio, iam in domibus, aliàs in ſummo templo, vt feſtiuis, ac dominicis diebus non parceretur. Aliqui dicebant inter ſe: Vtinam nobis eſſet facultas opus noſtrum repetēdi, perueniremus ad perfectionem: alij, ſi vas noſtrum integrū permanſiſſet, res benè ſuccedebat: nonnulli, ſi vas cupreum habuiſſemus optimè rotundum, fixū reddidiſſemus mercurium cum luna. In ſumma nemo omnium aliquid operatus fuerat, quod ſuis careret excuſationibus, quibus adhuc tantiſper ſurdas aures exhibebam, inutiles

namq;

namq; ſumptus, quos feceram eiuſmodi perſuaſionibus memoriam refricabant. Interea Græcus quidam exiſtimatione doctus, adijt mihi notum theſaurarium, aureos illi montes promittens ex fixatione mercurij cinabaris. Hæc notitia dedit occaſionem, vt cum amico ſimul pro parte mea pecunias erogarē, ad hoc opus exequendū. Cùm igitur opus eſſet argento puro in limaturas confracto, hoc emimus pondere trium marcarum, ex quo, cum adiuncta paſta quapiam artificiali, clauos efformabat operarius noſter, admixta cinabari pulueriſata, quos in olla figulina clauſa decoquebat ſuo tempore. Tandem exiccatos ꝑ cupellam fulminabat, adeò vt reperimus tres marcas, & paulò plus, argēti puri, quas quidem aſſerebat ex cinabari productas: noſtras anteà poſitas in fumum euolaſſe. Lucrum hoc Deo notum eſſe potuit, non nobis, cùm ego pro parte mea 30. coronatos, & vltrâ, perdidiſſem, vel fruſtrâ inſumpſiſſem. Rumor hic clauorū increbuit per totam ciuitatem Pariſienſem, vt nemo non de his audiuiſſet, præſertim inter eos, qui ſophiſticationum operibus aſſueuerant, velut anteà de pomis cupreis ad fixandum cum luna mercurium fama fuerat profeminata. Tandem aduenit quidam nobilis in ſophiſticationibus inſigniter expertus, adeo etiam, vt inde lucrum faceret, opera ſua vendens aurifabris, quo cum amicitiam inij, non ſine ſumptu, ne me putaret egenum.

Anno integro cum ipſo verſatus fui, priuſquàm tantillum declararet, poſtremo tandem arcanum ſuum mihi communicauit, quod etſi plurimi faceret, nihil perfecti fuit. Nihilominus ad

meum Abbatem ſcripſi cuncta, quę ſucceſſerant, ipſiq; duplum poſtremi huius operis miſi cum practica dicti nobilis. Ad me reſcripſit vt manerem Pariſiis adhuc annum, ſumptusque non formidarem, maximè cùm in arcanum incidiſſem pro principio, quod exiſtimabat non exiguum, quamuis ego reſoluiſſem in animo non vti materia, quę non perſiſteret in eodē ſtatu, quo priùs apparuerat, hoc mihi proponens, operandū non eſſe, neque laborandum cuiquam, vt nequam & impoſtor euadat, aliorumque detrimento diteſcat. Proinde manſi, vt ſcripſerat alio anno, cum duobus anteà præterlapſis, frequētans iam hūc, modò alium, eosque de quibus opinio communis erat ipſos aliquid habere boni perfectique. Omnes fermè conſumpſerā pecunias, cùm iam ad me rurſum ſcriberet Abbas, vt mox viſis perlectisque ſuis literis abſque mora venirem ad ipſum, quod feci: nolebam enim promiſſam fidem fraternam perfringere. Aduenienti mihi literas obtulit à Rege Nauarræ (qui harum rerum curioſus eſſe videbatur) ad ipſum miſſas, vt procuraret apud me, ſi rem gratam illi præſtare vellet, Regem adirem ilicò, arcanumque docerem illius nobilis, ac alia quæ me ſcire audiuerat ex relatu, promittentem in remunerationem tria, vel quatuor millia coronatorum. Summa hæc Abbatem adeò inflammarat, vt nō magis lætum ſe demonſtraſſet, vbi iam in crumena ſua latitaſſent, nec priùs quieſcere potuit, quàm in Aulam me contulerim. Quò cùm veniſſem, non antè ſex hebdomadas operari potui, quòd aliò quærenda eſſent materialia. Abſoluto tandem opere mu-

nus

nus quod expectabam obtigit, nihil. Nam etſi Rex in animo concepiſſet remunerare labores meos (vt interim taceam de fauore & amicitia per incolas & aulicos, mihi demonſtratis ſcilicet, à valdè paucis tamen) nihilominus diſſuadentibus Regi bonam opinionem ſuis, ac maximis nobilibus, & præſertim illis, qui potiſsima cauſa fuerant aduentus mei, dimiſſus fui à Rege vacuis manibus, datoque verbo gratiarum, & ſi quid eſſet confiſcationũ in ſuis regionibus, cuius poteſtatem haberet, perquirerem, hoc mihi dare pollicebatur. Tediosa reſponſione perturbatus, fidere nolui tam vanis promiſsionibus, quæ mihi notiſsimæ fuerant olim, ad Abbatem non ſatis contentus redij, nec priùs tamen quàm inuiſerem tranſeundo quẽdam religioſum Doctorem excellentiſsimum in philoſophia, de cuius ſingulari doctrina rumor erat non exiguus, hic me plurimùm retraxit à ſophiſticationibus. Poſtquàm cognouiſſet me philoſophiæ nauaſſe operam, eò vſque, vt magiſtratus gradum (quem vocant) recepiſſem, vt ipſi etiam narraueram, dolere ſe plurimùm, aiebat, me non habuiſſe libros optimos quoſcumque, priuſquàm & tempus, & opes tam inutiliter conſumpſiſſem in eiuſmodi ſophiſticationibus diabolicis. Narrabam ei de hoc opere poſtremo, qui mox iudicauit in multis examinibus perſiſtere non poſſe. Quapropter ſuaſit amicè, vt prorſum deinceps abſtinerem ab iſtis erroribus, libroſque legerem antiquorum Philoſophorum attentiùs, ad cognitionem veræ ſuæ materiæ, in qua videbatur conſiſtere huius ſcientiæ potiſsima perfectio. Proinde accelera-

bam iter ad Abbatem, vt rationem redderem ſumptuum, quos feceram Pariſiis, partemq; darem eius remunerationis, quam acceperam à Rege Nauarræ. Cumque narraſſem omnia, contriſtatus eſt, & maximè quia nolebam in opere perſeuerare: credebat enim induſtrium operatorem eſſe me, nec tantùm efficere potuerunt bona verba, quibus vtebatur, quin Doctoris conſiliũ amplecterer, ob euidentes rationes quas adduxerat. Calculo dato cum Abbate, vtrique noſtrum ex octingentis coronatis communibus, nonaginta reſidui ſunt inuenti. Vale vtrinque dicto, ſeparati fuimus: ego verò domum reuerſus, vt plures nummos à meis arrendatoribus haberẽ, quibus receptis, Pariſios iterum me contuli, deliberatione facta mecum, poſtquàm eò veniſſem, à domicilio quopiam non exeundi, donec optimam & perfectam feciſſem reſolutionem, ex lectura diuerſorum autorum noſtræ philoſophiæ naturalis, antè q̃ operi noſtro magno manum apponerem, relictis omnibus ſophiſticationibus autori ſuo nequam. Appuli Pariſios itaq; poſtridiè Sanctorum, anno 1546. comparatiſque mihi libris aliquot pretio decem coronatorum, in hac philoſophia partim excuſorum, partim verò non, cùm antiquorum, tum modernorum ſcribentum, vt Turba Philoſophorum, Treuiſanus, Lamentatio naturæ, & plæriq; alij tractatus nondũ impreſsi, & locato cubiculo in ſuburbio Marceo, manſimus ibidem ego, & puer inſeruiens mihi, neminem interea frequentans, atque aſsiduè ſtudens, dies & noctes integro anno ſumma cũ diligẽtia. Primo menſe vix abſoluto, cœpi iam vnam reſo-

lutionem

lutionem mihi proponere, mox aliam, hanc ampliare, modò mutare prorſum, idq; tantiſper facere propoſueram, vſq; dum in vnā tandem incidiſſem, in quam nulla varietas, & nulla cōtradictio ſententiarum philoſophicarū quadrare poſſet. In iſtis annus, & bona pars alterius præterijt, priuſquàm ſtabilem aliquam ex eis cognitionem elicere poſſem. Inter iſtas perplexitates conſtitutus, frequētare viſum eſt, expediens bonos operatores in hoc opere diuino, ſophiſtis à tergo relictis, quos cognoueram toto cœlo (quod aiunt) errare, & alios ſeducere. Verùm quæ me tenebat ambiguitas à ſtudio, iam augebatur, ac magis dum conſiderarē varium atq; diuerſum operandi modum inter ipſos. Nam ſi hic in auro ſolo operabatur, alter in auro cum mercurio, alius admiſcebat plumbū, quod ſonans appellabat, quia cum argento viuo per vas retortum tranſierat: alius item conuertebat metalla in argentum viuum, variis ſimplicibus atque diuerſis, per ſublimationem: alius operabatur in atramento nigro, quod aſſerebat veram eſſe materiam, qua Raymundus Lullius vtebatur in compoſitione magni ſui lapidis.

Si quis operabatur in alembico, contrà reperiebatur, qui in multis, atque alijs diuerſis vitris, æneis nonnullis, cupreis, plumbeis, vel argenteis, etiam aureis. Item nonnulli ſuas decoctiones faciebant igne magnorum carbonū, alij lignorum, aliqui floccibus racemorum, alij Solis radijs, & in balneo Mariæ alij. Adeò vt operationum eiuſmodi varietas, vnà cum librorū contradictionibus, eò me fermè redegerant, vt deſpon-

derem animum, cum Spiritu diuino rurſum erectus, ad librorũ ſeriam lecturam denuò me contuli, diligentiùs & maiore cum animaduerſione relegi ſcripta Raymundi Lullij, præſertim in Teſtamento & Codicillo, quæ contuli cum epiſtola quadam, quá ſcripſit, propè mortem exiſtens, Roberto Regi, & cum ſcripto quodam à Doctore mihi dato, cui fuit inutile, vt contra prædictas omnes operationes, quas anteà videram concludens, ad vnam tandem reſoluiſſem, talemque reperiſſem, quæ conueniret cum omnibus libris: item cum ea reſolutione, quam facit Arnaldus de Villanoua præceptore Lullij in hac arte, ſub finem magni Roſarij ſui. In hac itaque manens opinione, aliud nihil operatus fui, quàm aſsiduè legere ac meditari circa meam reſolutionem dies & noctes, donec terminus adeſſet mei cenſus, vt domum redirem operatum. Cumque iam eſſem domi, propoſui quod reſoluerã in effectum deducere, facta prouiſione priùs omnium quæ neceſſaria ſunt, ac primò furnum conſtruxi, & altera die Paſchatis laborare cœpi, non ſine multis impedimentis, quorum hîc non faciam mentionem, niſi parentum & amicorum crebrarum increpationum, ac vicinorum. Nonnulli dicebant mihi, Heus quidnam verſas in animo, nunquid ſat inutilium ſumptuum in his nugis adhuc feciſti, quæſo? Alius admonebat niſi abſtinerem à tractatione tantorum carbonum, vulgus ſuſpicaturum de fabricatione monetæ falſæ, cùm iam hac de re murmurare cœpiſſent. Adueniebat alius, qui ciues omnes aſſerebat mirari, ac præeminentiores, cur non facerem profeſsionem Iuriſprudentiæ,

prudentiæ, præſertim quòd Licentiatus eſſem, quoad peruenirem altiùs ad officium aliquod adminiſtrationis è Republica. Qui mihi coniunctiores erant, ac familiariores, increpabant indies abſque intermiſsione dicentes: Quando tandem iſtis ineptiis finem impones, & bonorum paternorum dilapidationibus? potiùs foret huiuſmodi ſumptus inutiles ad ſolutionem creditorum conuertere, & emptionem alicuius officij. Nec id ſat eſſe videbatur, quin minarentur mihi, niſi deſiſterem, facturos vt miniſtri Iuſtitiæ ruerent in domũ, & omnia perfringerent inſtrumenta cum reliquis. Si noſtri nullus (inquiebant) nec cæterorum tibi amicorum ſit reſpectus, tui ſaltem habeto rationem, conſiderans cùm triginta, vel circiter, annorum ſis, videris agere quinquageſimũ, ſic tibi barba tingitur in albedinem fermè, præ nimiis laboribus, vanæ cuiuſdam opinionis gratia perpeſsis à tua adhuc iuuentute. Vtrùm hæc verba me pungerent aſperrimè conſiderate: maximè cùm viderem opus meum indies ſuccedere proſperiùs, cui pertinaciter & conſtantiſsimè inſiſtebam abſq; tædio, ſpretis etiam iſtis ac aliis interuenientibus impedimentis, & præcipuè peſte, quæ ſæuiebat per totam æſtatẽ, vt etiam ceſſarent omnes negotiationes. Singulis vtique diebus conſpiciebam apparitiones trium colorum, quos Philoſophi ſcribunt apparere debere antè perfectionem operis diuini. Eos omnes gratia Dei vidi ſucceſsiuos vnum poſt alium, ac deinceps proprio die Paſchatis alterius anni, vidi perfectionem, experientia facta ſuper viuum argentum calefactum in tigillo, & conuerſum in

purum aurum præ meis oculis, breuiori ſpatio, quàm vnius horæ, pauco admodum hoc puluere diuino. Deus nouit quãto fuerim gaudio perfuſus. Nec propterea iactabũdus, aut elatus mundo coràm exilij, ſed clàm Deo gratias agens immortales, qui meas preces exaudire dignatus fuerat; per IESVM CHRISTVM filium ſuum Dominum noſtrum, oraui latiùs, vt illuminaret cor & intellectum ſua gratia, qua poſſem vti ad honorem & laudem ſui glorioſi nominis. Altera die ſtatim accinxi me itineri verſus meum Abbatem, quò promiſſæ fidei facerem ſatis, at obierat ſex anteà menſibus: quamobrem dolore maximo affectus fui, & ob mortem alterius Doctoris videlicet, de qua mihi relatum fuit in itinere, non longè tranſeunti à ſuo Conuentu. Proinde contuli me in quendam locum aſsignatum cuidam proximo parenti meo, priuſquàm diſcederem à patria, vt eum ad me venturum expectarem: hunc reliqueram domi meæ cum poteſtate procuratoria, vendendi omnia bona mea paterna, vt meis creditoribus ſatisfaceret, ac reſiduum ſecreto pauperibus & egenis diſtribueret, vtque mei parentes & alij fierent participes eius doni, quo me Deus honorare voluerat. Plærique, & ferè omnes alij exiſtimabant me tanquam deſperabundum, & præ dedecore ob tantos ſumptus inutiles vendidiſſe omnia, quò ad exteras regiones fugiens, laterem incognitus, vt mihi retulit ille meus parens, qui ad me venit prima Iulij. Deinceps Lauſanam iuimus, in Sabaudia ſitam, vt inde nos conferremus ad celebre quodpiam emporium Germaniæ, pauco admodum comitatu,

tatu, ne innoteſcerem etiam illis, qui hoc meum opuſculum legerent, me viuente. Quod quidem compoſui ſolùm, vt diuerterem bonos pioſque viros à ſophiſticationibus, ad viam rectam perfectionis in hoc opere diuino. Pro concluſione huius primæ partis, in memoriam omnibus refero quod Poeta cecinit:

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

quo diſcant à meis erroribus inutiles ſumptus fugere, qui fiunt in ſophiſticationibus: contrà, patienter & conſtáter priùs legere & intelligere bonos autores, q̃ operi manum admouere, Deum orando ſemper pro gratia & intellectu ſincero. Siquidem nó fato neq; fortuna huc peruenitur, at ſola vocatione diuinitùs facta, potiùs quá ſtudio. Quibus datum fuerit, dabitur pariter indignis velandi modus, & alijs probiſque reuelandi, ne omnes æqualiter intelligant: pariter & benè vtendi gratia, in honorem Altiſsimi datoris luminum. Amen eſto.

OPVSCVLI DIONYSII ZACHARIJ ſecunda pars, qua docet autor legendorum Philoſophorum naturalium ex facilima methodo, modum & normam.

PRIMO Phyſicorum libro Ariſtoteles, contra negantes principia, non eſſe diſputandum, at benè cum ipſis, qui fatentur eſſe vera, per ignorantiam (ſed hæc valeant, quantùm valere poſſunt) incauti, non videntes anguem ſub hac herba laten-

tem,ob laruam ſibi antę oculos poſitam,prę qua de falſis coloribus à veris diſcernere nequeunt. Sed autorem in hac parte intelligere non ſat volens, ad meliora tranſeo,qui proſequitur ad hũc modum: Bonis (inquit) viris, & huius artis ſtudioſis opuſculum hoc volui conſcribere,quo valeant inde fructum & vtilitatem referre non exiguam in legendis autoribus, intelligendis obſcuritatibus, & velamentis confuſione per varietatem inordinatam ſtructis. Proinde vt obueniam iſtis,& meis ſubueniam auditoribus,ordine partiar narrationem, ac primò dicam per quos hæc ſcientia potiſsimùm inuenta, prodiit in aliquorum ſucceſsiuam notitiam, tum quibus autoribus vſus ſum in compoſitione huius opuſculi: cauſam etiam quare tam obſcurè ſcripſerint. Deinceps diuerſis probabimus argumentis veritatem & certitudinem artis,reſpondendo pariter magis apparentibus in contrarium adductis. Tertiò docebimus artem noſtrã eſſe naturalem, & qua ex parte: item quamobrem diuina vocetur, ab operationibus principalibus, inibi declarando manifeſtos errores operantum hac tempeſtate. Tandem opera naturæ ſub terra per ipſam vſitata, in generationibus metallorum declarabimus, ad quorum imitationem artifices operari ſuper terram oportet. Poſteà materiam ad hoc opus neceſſariam indicabimus: & poſtremò terminos præcipuos vſurpatos in hac arte, ſententias quoque Philoſophorum antiquorum apparentes,ſibi mutuò contrarias concordabimus,in filiorum artis vtilitatẽ,& in maximum detractorum dedecus, ignominiam,& confuſionem: ſingula

gula per antiquiſsimorũ & doctiſsimorum Philoſophorum autoritates, ne ſe putent à moderno quopiam detegi cum ſuis impoſturis. Vt meliùs declaremus noſtræ ſcientiæ primos inuentores, beati Iacobi Apoſtoli doctrinam eſt, quòd reuocemus in memoriam, quæ ſic habet: Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum, &c. Hæc ſententia generalis eſt, quapropter & noſtræ conuenit intentioni, maximè quia ſcientia noſtra eſt tam diuina, tamque ſupernaturalis (in ſecunda quidem operatione) vt ſemper fuerit, ac ſit adhuc impoſsibile hanc innoteſcere hominibus, quocumque ſtudio vel induſtria quauis, etſi omnium ſapientiſsimi ſint, atque doctiſsimi Philoſophi, niſi primùm à Deo ſit inſpirata. Deficiunt enim hac parte nobis naturalis omnis ratio & experientia. Quapropter meritò ſcriptum eſt à nonnullis, arcanum eſſe reſeruatum à Deo ſuis, ipſum timentibus & honorãtibus, vt ait ille magnus Propheta noſter Hermes. À nullo alio (inquit) nec per alium, quàm à Deo per diuinam eius inſpirationem habeo. Alphidius idipſum confirmat, his verbis: Scito fili, Deum reſeruaſſe hanc artem Adami poſteris, & præſertim verè pauperibus. Idipſum affirmat Geber in Summa, inquiens: Noſtra ſcientia eſt in poteſtate Dei, qui ex miſericordia ſua donat eam quibus vult. Non eſt igitur in hominum poteſtate, neque ab ipſis excogitata. Verùm in quantũ ipſa naturalis eſt, aut in primis ſuis operationibus naturam imitatur, eatenus varię ſunt opiniones in demonſtrando primum inuentorem eius imitationis. Non-

nulli aſſerunt fuiſſe Adamum, alij Æſculapium: aliqui volunt Enoch primam eius habuiſſe cognitionem, quem dicunt Hermetem extitiſſe, cui etiam tantùm honoris Græci tribuerunt, vt omnium artium occultarum inuentorem appellarint. Ego prò parte mea libenter aſſentirem poſtremę huic opinioni, cùm certiſsimum ſit ipſum fuiſſe præcellentiſsimum Philoſophum, vt ex ſcriptis eius apparet. Cauſas rerum diligentiſsimè ſcrutatus eſt, per experiētias in naturalibus, quibus cognitis, innotuit ipſe pariter, materia qua vtitur natura in concauitatibus terræ generando metalla. Quotquot enim hanc imitati fuerunt, omnes peruenerunt ad verā huius artis notitiam, vti Pythagoras, Plato, Socrates, Zeno, Haly, Senior Raſis, Geber Morienus, Bonus, Arnaldus de Villanoua, Raymundus, & plærique alij, quos recenſere prolixum foret. Ex quibus omnibus, tanq̃ ex præcipuis, compoſuimus hoc præſens noſtrum opuſculum, non ſine maximo labore, vt ipſorum libri teſtantur. Scripſerunt enim ad hunc modum (cùm præ oculis timorem Dei ſibi proponerent) vt impoſsibile ſit ad cognitionē artis huius peruenire, lectura ſola ſuorum librorum, quod Geber in Summa: Non eſt (inquit) quòd filius artis animum deſpondeat in hoc opere diuino: ſiquidem aſsiduè meditans cauſas naturalium compoſitionum, tandem eò perueniet, quò tendit animus eius. Contrà, quicumque prætendit inuenire medio librorum noſtrorum, tardè rem aſſequetur: nam ad eum ſcripſère modum Philoſophi (ait alio loco) vt ſibiipſis tantùm videantur congratulari practicam

veram

veram, huic inquirendi modum permiſcentes: item præcipuas quoque operationes vario modo, ac in diuerſis capitulis ponentes: cauſam ponit. Quia ſi obſeruaſſent ordinem in ſuis tractationibus, potuiſſet hæc ſcientia diuina ab omnibus intelligi primo die, vel vnica hora, adeò nobilis eſt, ac admiranda.

Alphidius inquit: Philoſophos, credendum eſt, prædeceſſores noſtros occultaſſe principaliorem ſuam intentionem, ſub ænigmatico & æquiuoco ſermone, ac innumeris figuris, ne per manifeſtationem ſuæ doctrinæ, mundus ruinam inde pateretur. Nam periret omnis agricultura, negotiatio, & quicquid neceſſarium eſt in conſeruationem vitæ humanæ: nemo ſiquidem laborare vellet, cùm ſe tantis opibus refertum videret vnuſquiſque, neceſsitudinem contemneret. Quò fit vt Hermes in principio ſui libri, ſe excuſans dicat: Filioli, non eſt quòd exiſtimetis Philoſophos occultaſſe hoc arcanum, ex inuidia aduerſus doctos ac ſtudioſos, at ſolùm ne malignis & ignaris innoteſceret. Roſinus ait: Hoc medio ignarus æquaretur ſapienti, & malitioſus homo nequam abuteretur, in detrimentum, ruinam & perditionem totius pòpuli. Similibus excuſationibus vtitur Geber in Summa ſua, capitulo de Adminiſtratione Medicinæ ſolaris, inquiens: Non eſt quòd mirentur filij doctrinæ, Philoſophos obſcurè ſcripſiſſe libros ſuos: non enim ipſis factum, ſed ignaris & indignis velatam eſſe voluerunt hanc ſententiam, ſub tanta varietate & confuſione diuerſarũ operationum: interea tamen ſtratam viam filiis ſapientiæ, quà

peruenire poſſent ad cognitionem artis. Non enim (vt habetur alio loco) ſibiipſis tantùm ſcripſerunt artem, quam tenebant, ſed media dederunt, quibus cognoſceretur, & haberetur ab aliis. Hæc eſt igitur cauſa difficultatis in libris Philoſophorũ. Quid enim difficiliùs eſſe poteſt, quàm ex tam innumeris contrarietatibus & contradictionibus explicari, nedum in multis, ac inter omnes ferè, verùm etiam in vnico autore? vt Raſis ait, inquiens: Abundè ſatis demonſtraui libris meis verum fermentum, quo quidem opus eſt ad multiplicationem tincturarum ad metalla, quod alio loco dixi non eſſe verum fermentum, relinquens huius ſententiæ ſententiarúmue iudicium illis qui ſanum habent intellectum, ſubtilemque diſcretionem. Item ſi vnus ipſorum dicat materiam noſtram eſſe vilis pretij, atque nullius, vbique in fimis reperiri, vti Zeno in Turba Philoſophorum: contra hoc eodẽ libro Barſeus ait, quod quæritur, non eſt parui pr̃etij. Alius dicet rem eſſe pretioſiſsimam, & non abſque multis ſumptibus reperibilem. Hic docet præparationẽ materiæ in diuerſis vaſis operationibúsq; diuerſis, vti Geber in ſua Summa: mox reperias alium aſſerentem vno vaſe tantùm opus eſſe ad diuinum opus noſtrum, vt ſunt Raſis, Lilius, Alphidius, & alij. In lib. eiuſdem Raſis habetur tempus nouem menſium, in alio legitur annus eſſe neceſſarius ad hoc opus perficiendum, quod aſſerunt Roſinus atque Plato. Tandem in ipſorum terminis tanta varietas apparet, vt impoſsibile ſit rem à quoquam detegi, niſi per inſpirationem Altiſsimi, vel immediatè, vel per aliquem virum

bonum

bonum & ſapientē in hac arte. Cauſa potiſsima hæc eſt, vt non appareat quiſquam huius rei peritus viuens, at ſolùm poſt mortem fateatur ſcriptis: tantis enim laboribus adeptam artem ſibimet, ſi poſſent, occultá vellent Philoſophi, quantò magis alijs. Hoc nobis igitur cum vulgo non eſt ita mirandum, atq; cum ſapientibus, quànam via ſit ad illam perueniendum. Priuſquā autem ad ſecundum noſtræ diuiſionis membrum veniamus, reſpondendum erit obiectioni calumniatorum, labores alienos carpere ſolitorū, quòd proprij ſui lumine vero careant. Non obſeruatam (inquient) Ariſtotelis doctrinam libro ſeptimo Phyſicorum, quæ ſic habet: Definitio eſt vera forma ſubiecti definiti. Cùm ergo ſuſcepiſſem veram tractare methodum huius ſcientiæ, priùs à definitione fuit inchoandum. Hos & ſimiles remittam ad priſcos autores, qui cùm ſcientiæ diuinæ definitionem dare conarentur, & non inuenirent perfectam & completam, fateri coacti ſunt, non eſſe poſsibilem, maximè quia familiaribus caret principijs, vt aiunt Morienus, Lilius, & plærique alij. Quapropter deſcriptionibus varijs duntaxat contenti fuerunt, quibus effectus artis demonſtrarent. Ego verò dicam pro parte mea, quidnam hac de re ſentiam. Eſt philoſophię naturalis, pars quædā docens modum perficiendi metalla ſupra terram, ex imitatione naturalium operationum, quantò proximiùs fieri poteſt: quam veram aſſerimus diuerſis de cauſis. Pręcipuè cùm nihil ſit inter Philoſophos certiùs veritatem ibidem eſſe, maximè vbi nulla apparet contradictio, teſte Philoſopho. Quotquot autem

in hac arte ſcripſerunt olim, ſiue Hebraicè, Græcè, aut Latinè, ſiue quouis alio ſermone, conſenſerunt inter ſe, & ſi diuerſo tractandi modo per figuras, æquiuocationes, & ænigmata, vt videantur vno & eodem idiomate ſcripſiſſe, eodem etiam tempore, quamuis centum, ducētis, ac mille annis alij alios præceſſerint. Senior in hanc ſententiam ait: Quamquam apparet quodammodo Philoſophos diuerſa tractare ſub varijs diuerſiſque nominibus: verùm enimuerò nil niſi rem vnicā intelligunt. Idipſum aſſerit Raſis libro Luminum, inquiens: Sub diuerſis ſententijs, nobis prima facie contrarijs apparentibus, Philoſophi non niſi rem vnam intellexerunt, eandemque: cuius rei teſtimonium exhibent aliarum ſententiarum inſignes profeſſores, qui pariter in hac arte diuina ſcribentes etiam, & affirmantes hanc diuinam ſcientiam, circa rem vnā verſari perhibēt. Sola Philoſophi ſententia hæc nobis ſufficeret, quam ponit Ethicorum libro 2. Omne quod ritè peragitur, vnico medio perfici. Omnium igitur opinio eſt, vnica via diuinum hoc noſtrum opus abſolui. Teſte Gebro in Summa: Scientia noſtra (inquit) per diuerſa non perficitur, at ſolùm per vnicam rem, cui nihil addimus, nec diminuimus, ſed ſuperflua tantùm remouemus, pręparatione ſola ſeparando. Item Lilius ait: Magiſterium noſtrum, vna re duntaxat, vno regimine, & vnico medio perficitur. Idem aſſerūt omnes, quotquot ſcripſerunt hactenus in hac arte Philoſophi, licet videantur in varia diſtrahi. Potiſsima certitudo noſtræ ſcientiæ, qua confirmamur eſſe veriſsimam, eſt experientia, quam fecimus eius, vt loquuntur

quuntur Senior & Raſis. Verùm vt ijs talem approbemus, maximè, quibus dubitare meritò con tingit, cum cæteris Philoſophis erit fatendum, ipſam contineri ſub ea philoſophiæ parte, quam operatiuam vocant, & ſub medicina, quæ ſui veritatem non aliunde comprobare, quàm ab expe rientia poteſt. Vt cùm p eam docetur Reubarbarum purgare coleram, non meliùs id poterit, q̃ ex oculo percipi, & experimento per applicationem dicti ſimplicis medicamenti. A' ſimili concludimus in arte noſtra: ſi videatur fumo ſolo plumbi coagulari mercurium, & atramẽtorum, fieri componiq; poſſe medicinã perfectiſsimam naturæ metallorum, & qualitatibus congruam, qua cum cæteris imperfectis perfici queat, ſola proiectione ſuper ipſum facta, præſertim cùm & ipſa mineralia compoſita congelent mercurium, ipſumq; reducant in ſuam naturam. Quantò magis perfecta p noſtram artem ritè præparata congelabunt ipſum, ac reducent cum alijs imperfectis metallis, ingenti & exuberanti ſua decoctione, quam habent per adminiſtrationem artis noſtrę. Quò firmiùs hanc noſtram intentionem curioſis hominibus approbemus, vt eius veritati certitudiniq; meliùs aſſentiant, Ariſtotelis ſententiam lib. 4. Meteor. adducamus: Omne quod (inquit) eandẽ cũ aliquo compoſito operationẽ efficit, eſt eidem per omnia ſimile, vt omne quod operationem habet oculi, eſt oculus. Haud ſecùs, cùm aurũ noſtrũ arte noſtra compoſitum, p omnia ſimile ſit minerali (in quo verſatur omnis cõ trouerſia diſceptationis, vtrùm aurũ à nobis compoſitum verũ ſit aurũ) ſatis docuiſſe videmur

Philoſophi ſententia, noſtrá artem eſſe veram & certiſsimam. Satis fatebuntur ipſis probatũ, qui viderunt eius experientiam, alijs verò non: quibus Philoſophi probabiliores autoritates in hác rem adferemus. Eodem libro Meteororum, quarto Digeſtionum capitulo ſic inquit, aut ſimile: Quicquid in perfectionem deſtinatum eſt, ac tale manſit ob digeſtionis defectum, aſsidua digeſtione perfici poteſt: qualia ſunt omnia metalla imperfecta, cùm à natura fuerint ad aurum ordinata priùs ab initio ſuæ compoſitionis, vt poſtremò per eandem ad eum finẽ, auri videlicet, perducerentur, nec niſi talia ſunt ob imperfectam digeſtionem: ergo quod ſequitur audiemus eo loco, vbi quartum noſtræ partitionis membrum diſcutiemus. Quod igitur natura ſub terra voluit exequi, nos ſupra terram imitatione per noſtram artem, & proiectionem efficimus, vt infrà latiùs audietur, penultima noſtrę diuiſionis parte. Rurſus cùm elementa qualitatibus ſuis ſibi mutuo contraria (vt ait Philoſophus libro ſecundo Generationum) in ſe inuicem conuertibilia ſint, quantò magis ipſa metalla, quæ ſunt vnius & eiuſdem ſubſtantiæ materiæque, cùm non ſint qualitatibus contraria, conuertẽtur, hoc in illud facilimè. Quam ob cauſam Hermes procreationem ipſorum circularem eſſe dixit, at impropriè quodammodo, vt ipſemet fatetur, quia non ſunt ad eum finẽ à natura creata, vt ex perfectis fiant imperfecta, ſed contrà: quapropter eatenus non eſt eorum generatio prorſum circulares, niſi pro parte. Quamquam iſtæ ſimilesque rationes per ſe ſunt in confirmationem artis ſufficientes: attamen

men quia ſophiſtæ ſemper in contrarium adferunt, quod reluctetur veritati, ſi nō omnia (quod prolixiùs foret, quàm huic opuſculo noſtro conueniat) quæ difficiliora ſunt argumenta, ſtudioſorum animum & mentē perturbantia, mediámque inter dubium & reſolutionem hærentem tenentia, producemus in medium, vt ab iſtorum ſolutionibus alia refellere diſcant. Ex autoritate Philoſophi quarto Meteororum, quę pariter fuit Auicennæ, & Alberti Magni, ſic augmentantur: In vanum operantur Alchimiſtæ metalla perficere conantes, niſi reducant illam in primam materiam. Cùm igitur id non faciant, ſophiſtica per concluſionem aſſerunt Alchimiſtarum omnium opera, vt ipſemet Albertus ait ad hunc modum: Quotquot metalla tingunt varijs materialibus ſimplicibus in diuerſos colores, ſunt impoſtores, niſi reducant illa in primam materiam. Multi ſapientiſsimíque viri hoc argumentum ſoluere conati ſunt, cùm ſit ex magis apparentibus. Iſtorum nonnulli dicunt, etſi per proiectionem imperfecta non reducantur, nihilominus in compoſitione medicinæ ſimilis fit reductio, videlicet in ſulphur & argentum viuum, quę ſunt vera materia metallorum, vt infrà dicetur latiùs quarto noſtræ diuiſionis membro. Sufficit igitur agentis ſola reductio, tum perfectio ſumma per decoctionem acquiſita, licet paſsiui nulla fiat reductio. In ea ſententia fuerunt Arnaldus de Villanoua in magno ſuo Roſario, quem ſequutus eſt Raymundus Lullius in ſuo Teſtamento. Salua pace tamen & reuerentia, quæ debetur grauiſsimis autoribus, hæc opinio contrariari nimiùm

videtur Philoſophis omnibus. Cùm enim concedant metalla eſſe in primam reducenda materiam, quod motu fit corruptionis ex Ariſtotele, velle videntur ſola fuſione & proiectione diuini noſtri lapidis ſuper metalla, hæc ad eũ corrumpi modum, ac nudari prima ſua forma, quòd omni Philoſopho concedere nimis indignum eſt. Plærique alij diuerſas adferunt ſolutiones, vt videre licet in ſuis libris. Ego verò meam ſolutionẽ proferam. Siquidem noua fabricare metalla moliremur, aut ex eis lapides, vel quidpiá aliud alienum à metallis, neceſſariò forent in primam ſuam reducenda materiam, idq; medijs, quæ dicta ſunt. Cùm tamen hæc ſit intentio noſtra duntaxat, vt imperfecta perficiamus metalla in aurum, pręter omnem transformationem in materias nouas, & à propria ſua natura differentes, purgemus ac mundemus ꝑ operis noſtri diuini proiectionem, quò ad exuberantem deueniant perfectionem. Haudquaquam eſt opus illa reducere in primam materiam: differũt enim imperfectum perficere, & ex iſto noui quid producere vel generare. Alioqui concluderetur, omnia ſemicocta reducẽda eſſe ad primá formam, vt completè decoquerentur: quod quidem indignũ eſt omni Philoſopho. Cæteras obiectiones aduerſus chemicas artes fieri conſuetas, in pręſentia miſſas faciam, quòd per ea quæ poſuimus, reliqua facilè ſolui queant, argumenta quęuis. Autoritatis Auicennę tamẽ eſt, quòd meminerim de contradictionibus Ariſtotelis cõtra chemiam obiectis in ſua iuuentute: Cognoui (inquit) intentionẽ eorum, q noſtram artem negant, & aliorum qui veram affirmant eſſe.

Priores,

Priores, vt ſunt Ariſtoteles & plæriq; alij, vtũtur quibuſdam argumentis vtcunq; apparentibus, at minimè veris. Poſteriores verò dicũt hác ſcientiam certis demonſtrationibus probari nó poſſe, vel licere, vt alias omnes, cùm alia via procedat, alijs omnibus contraria. Nam celat ac velat ſuorum terminorũ proprietates, cùm cæteræ plurimùm laborẽt in ſuorũ declarationibus. Proinde noſtræ diuiſionis ordinem proſequutus, tertium eius membrũ arripiã, exponẽs operationes eius neceſſarias, ad executionem operis noſtri diuini. Primò dicam rationem quare naturale vocetur, atq; diuinũ, vt cognoſcantur enormes operantũ hac tempeſtate errores. Ariſtoteles docet naturam operari ſub terra in procreatione metallorũ quatuor qualitatibus (vt meliùs intelligatur) elementis, igne, aere, aqua & terra: quorum duo, reliqua duo compræhendunt, terra ignem, & aqua aerem. Cùm igitur materia noſtra cõſtat ex aqua & ex terra (vt infrà dicetur ampliùs penultimo noſtræ diuiſionis membro) meritò naturalis appellatur, quia in eius cõpoſitione quatuor intrãt elementa: duo manifeſta, ſub quibus alia duo latitant, oculis velata corporeis, ignis & aer videlicet, quæ ſolis mentalibus percipi debent, vt ait Raymundus Lullius in ſuo Codicillo, ad hunc modum: Conſidera (inquit) naturam, & proprietatem olei (quod ſophiſticatores aerem vocant, ideò quia ſuis qualitatibus magis abundare dicunt) oculus tuus non iudicabit illius differentias, & proprietates. Per hæc verba ſatis innuit, elementa quatuor in opere noſtro diuino non eſſe euidentia, quod plærique falſò

putarunt, vt infrà dicetur, vbi terminos declarabimus artis. Naturalis etiam dicitur ſcientia, quòd in prima ſua operatione imitatur naturam quantò diligentiùs poteſt: non poſſet enim in omnibus, vt ait Geber in ſua Summa. Veterum operationibus Philoſophorũ naturalium, qui nos præceſſerunt, optimè confirmamur: hij quidem poſteà quàm diligentiſsimis inquiſitionibus cognouiſſent (vt ait Raymundus Lullius in epiſtola ſua ad Albertum Regem, & Albertus Magnus in tractatu Simplicium mineralium) naturam ad metallorum procreationem, ſub terra ſolùm operari p continuas & aſsiduas decoctiodctiones veræ materiæ, quibus mundum ab immundo, purum ab impuro, perfectum ab imperfecto, continuatis euaporationibus, ſeparat, calore terræ mineralis partim id efficiente, partim calore Solis, qui per ſe ſolùm integram & perfectam iſtam decoctionem non adimplet, ipſimet confirmati ſunt. Hoc declarat optimè bonus ille Treuiſanus, quòd etiam nos docet experientia: videmus enim in mineris diuerſitatem metallorum & materialium, nonnulla craſsiora, & alia ſubtiliora purioraq; in ſublime plærunque exaltata. Quapropter noſtra ſcientia naturam imitando, procedit in prima ſua operatione per ſublimationem, qua materiam noſtram optimè purificet: impoſsibile namque fuerit nobis aliter præparare, vt Geber in Summa, & Raſis in libro Luminum inquiunt: Initium operis noſtri, eſt ſublimare, quare meritò naturale vocatur. Quá ob cauſam ſcripſerunt illi, qui nos præceſſerunt, opus hoc noſtrum non eſſe artificiale: quicquid enim

enim facimus, aliud nihil eſt quàm adminiſtrare naturæ per artem materiam ad compoſitionem operis neceſſariam, quam ipſa natura non potuit in hác perfectionem connectere, quia eius actiones continuæ ſunt, vt ait Geber in ſua Summa. Ratione huius tam admirandæ coniunctionis elementorum ſcientia, noſtra diuina vocatur: quam verò coniunctionem Philoſophi ſecundam operationem appellarunt, & nonnulli diſſolutionem, aſſerentes, arcanum arcanorum eſſe, quod Pythagoras ait in Turba Philoſophorum: Magnum hoc eſt myſterium, quod hominibus Deus velatum eſſe voluit. Item Raſis in libro Luminum: Si veram noſtri corporis diſſolutionem ignoraueris, non eſt quòd opereris: illa ſiquidem ignota, reliquum inutile fuerit: hanc etiam ex libris diſcere nemo poteſt, neque ex notitia cauſarum naturalium: proinde verè diuina dicitur, vt Alexander inquit: Corpus noſtrum (quod lapis eſt occultus) congnoſci minimè poteſt, neq; videri, niſi nobis hoc ipſum Deus per Spiritum S. ſuum inſpirarit, vel per aliquem viuum hominem docuerit, ſine quo ſcientia noſtra, nihil eſt. Hic eſt lapis, de quo loquitur Hermes tractatu ſuo quarto: Lapis noſter (inquit) diuinus cognoſcendus eſt, qui clamat aſsiduè, Defende me, & ego iuuabo te, da mihi quod competit, ego tibi viciſsim optimè ſuccurram. De hoc eodem occulto corpore loquitur primo ſuo tractatu: Falco ſemper in cacumine montis clamans, Ego ſum album nigri, & rubeũ citrini. Scientiam noſtram inutilem eſſe præter iſtam coniunctionem, ratio eſt, quia tempore natiuitatis & procreationis o-

peris noſtri diuini, pars volatilis ſecũ defert partem fixam. Aliter enim quàm per iſtam admirandam, & pluſquá ſupernaturalem coniunctionem efficere haudquaquá poſſemus, vt in igne fixum opus permaneret; vt quod omnes Philoſophi præcipiunt, fiat, fixum, volatile, ac denuò volatile fixum. Iſta coniunctio fieri debet ipſamet hora ſuæ natiuitatis, vt inquit Haly Secretorum libro: Quicunq; noſtrum lapidem non inuenerit hora ſuæ natiuitatis, non eſt quòd alium expectet eius loco. Nam is qui diuinum opus noſtrum aggreditur abſq; notitia determinatæ natiuitatis eius horæ, nil ex opere ſuo conſequetur vnquá, præter inutiles omninò labores & pœnas erroris ſui. Hanc eandem coniunctionem Raſis libro Præceptorum propriè vocat pondera Philoſophorum, & regimina, ſuadens vt ab hoc opere diuino prorſum abſtineamus, ſi non cognouerimus exactiſsimè pondera, quæ Philoſophi præ cunctis alijs arcanis occultarunt, vt patet ab eorum ſcriptis varijs. Ná vbi quis dixerit, eiuſmodi coniunctionem diuinam fieri die ſeptimo, mox reperias alium, qui aſſerat quadrageſimo die compleri: alium centeſimo: alium ſub finẽ menſium ſeptem: aut nouem, quod Raſis: alium ſub anni finem, vt Roſinus: vix duos hac in re concordantes legere poteris. Cùm tamen vnicus ſit idemq́; terminus, vnicus dies, imò vnica ſola & eadẽ hora, qua fieri debet noſtra coniunctio ad propriam ſuam decoctionem. Verùm quia vouerunt arcanum hoc potiſsimum ſe non reuelaturos, de ſtudio diuerſos ſcripſerũt terminos, quamuis inter ſe conueniant, intelligentes vnicũ, quo cognito,

relí-

reliquum nil aliud eſt,præter opus mulierum & puerorum ludus,vt ait Socrates:Ecce tibi veram diſpoſitionem albi plumbi demonſtraui (hoc eſt verá præparationem materiæ noſtræ, quæ nigra priùs vt plumbũ apparet, poſtmodùm albeſcit ꝑ noſtram continuatam decoctionẽ) ſi hác probè intellexiſti, reſiduum aliud nihil eſt, quàm opus mulierum,& ludus puerorum. Innuens per hæc verba nullum opus hoc noſtro leuius, poſt coniunctionem exiſtere: quod ſanè veriſsimum eſt. Cùm non ſit opus alio labore quá ſola decoctione duarum materiarum iam coniunctarum: interea dum coquuntur, quies datur optatiſsima, vt ait Philoſophus Ethicorum 7. Quietem longè delectabiliorem eſſe quouis labore. Noſtram decoctionem poſtremá fieri cum requie, & abſq; la bore tormentóue,teſtatur Raſis lib. Trium verb. inquiẽs: Omnes diſſolutiones,calcinationes,ſub limationes, dealbationes, rubificationes, ac reliquas operationes,qũas Philoſophi ſcripſerũt eſſe neceſſarias, ad diuinũ opus noſtrũ complendũ, in igne fieri præter amotionem. Pythagoras in Turba Philoſoph.idem aſſerit,inquiens: Cuncta regimina ad opus diuinum & perfectionẽ eius fa cientia,decoctione ſola cõpleri.Barſeus id ipſum ait eod.lib.Coquendum,tingendum,& calcinan dum in hoc opere, verũ operationes decoctione duntaxat omnes perficiendas.Ne tamẽ Sophiſtę calumniatores dicát,&ſuas operationes etiá non eſſe niſi decoctiones,alias Philoſophorũ antiquo rum ſententias allegabimus,quibus errores eorũ detegantur.Alphidius ait:In operis noſtri diuini compoſitione, non niſi vna materia ſola (quam

aquam propriè vocant) vna tantùm actione, decoctione videlicet, quæ fit in vnico vaſe præter amotionem ab igne. Idem atteſtatur Rex Salomon: In operis noſtri diuini confectione (quod noſtrum ſulphur vocat) nō indigemus (inquit) præterquàm vno medio ſolo. Lilius idem ſentit: Diuinum opus noſtrum (ait) fit in vno vaſe ſolo, vno medio duntaxat, & vnica decoctione. Mahometus: Non habemus (inquit) niſi medium vnum, decoctionē videlicet, vas vnum, &c. quibus diuinum opus noſtrū ad album & rubeum perficiamus. Auicenna tenuit eandem opinionem, qui præ cunctis optimè loquitur, ad hunc modum: Diſpoſitiones (inquit) omnes, id eſt, operationes, ad opus noſtrum diuinum componendum neceſſariæ, fiunt in vno vaſe ſolo, duplici tamen.

Operantum igitur hac tempeſtate maxima pars errorem ſuum hoc ipſo fateri cogetur, cùm nemo non ipſorum tres, vel quatuor furnos habeat, & nonnulli decem, vel duodecim, hunc ad calcinandum, illum ad ſoluēdum, alium ad ſublimandum, & innumera vaſa, quibus vtuntur. Verùm enimuerò tales in diem extremum operarentur, priuſquàm ad perfectionem hac via peruenirent, niſi corrigant ſuas operationes. Vt interim taceam de ſeparationibus elementorum (quas vocant) vſq; dum de natura quatuor eletorū, vbi de terminis artis noſtræ dicturus ſum, tractetur. Satis mihi fuerit in præſentia demonſtraſſe modum, & viam detegendi, cognoſcendique deuios operarios in hac arte, pariter eos, qui perſiſtunt in recta ſemita. Nam, vt anteà dixi, latiusque

tiusque dicetur infrà, vnicus eſt operandi modus, in vnico vaſe (quod Lullius Hymen appellauit) in vnica fornacula (quã Treuiſanus ignem clauſum, humidum, vaporoſum, continuum, ac digerentem vocat) præter amotionem, donec decoctio cõpleatur. Non eſt ergo tantis opus inſtrumentis, neque ſumptibus ad hanc rem factis. Scio multos eſſe literatos libris inſiſtentes, qui præter vllam certitudinem operantur, iſtos peſſimè habebit mea repræhenſio, cùm Geber in Summa ſua doceat varias præparationes, cùm ſulphuris, tum argenti viui, ſimiliter corporis & ſpiritus. Item Raſis, libro Perfecti magiſterij, dicit corpora & ſpiritus varijs præparari medijs, quorum plurima docet. Anteà ſatis reſpondimus, hæc & ſimilia per Philoſophos ſcripta, non alia de cauſa, quàm vt veram operis noſtri diuini præparationem velent indignis, & contegant. Hoc Geber atteſtatur in ſua Summa, capitulo de Medicinarũ differentijs, inquiens: Vnica eſt perfecta via, qua releuamur à tantis pręparationum operationibus, oneribúſue. Iam eſt quòd naturæ modum operandi ponam, in concauitatibus terræ generando metalla, quem ars imitari debet: ac deinceps materiam veram & neceſſariam, ad iſtorum perfectionem ſupra terram, declarabo. Cùm igitur hoc ſit præcipuum in arte (vt Geber ait ab initio ſuę Summæ, & Auicenna, præcipientes eos à practica huius operis abſtinere, qui non priùs vera fundamẽta norint materiarum ac minerarum) imitabor excellentiores autores & magis peritos in mineralibus, declarando quæ ad hanc rem apprimè ſunt neceſſaria. Omnium ita-

que Philoſophorum ſententia eſt, cuncta frigore congelata plurimũ abundare humiditate aquea in ſua materia prima, vt ait Ariſtoteles quarto Meteororum. Cùm igitur liquata metalla frigore congelentur, neceſſariò prima ipſorum materia humiditate multa pollebit aquatica. Verùm Albert. Magnus (qui præ cæteris mineralia ſcrutatus eſt exactiſsimè) iſtam humiditatẽ aqueam ait, non eſſe ſimilem aquæ humiditate, quam videmus communiter in alijs naturæ compoſitis. Iſta namq; per ignis violentiam in fumũ tranſit. At liquata metalla non ita reducuntur in vaporem, concludendum hinc ipſorum humiditatem alicui materiæ permixtam eſſe, qua retineantur in igne, tutaq; ſint ab eius vehementia. Nihil autem igni magis reſiſtit, quàm humiditas viſcoſa permixta ſubtilioribus terræ partibus, vt ait Bonus Ferrarienſis, & experientia docet: quapropter metallorum humiditatem eſſe talem firmiter credendum eſt. Cùm tamen experientia doceat, repurgandum inter aliquas humiditates in fumum abire, metallis nihilominus in igne minimè conſumptis, fatendum eſt cum pręcipuis autoribus noſtrę ſcientiæ, metallorum compoſitionem ſubintrare duplicem humiditatem viſcoſam, extrinſecam, & intrinſecam. Prior eſt craſſa, ſubtili ſuæ terreſtri materiæ non benè permixta, quapropter ab igne facilè comburitur in conſumptionem. Poſterior verò, quia maximè ſubtilis, & optimè permixta ſubtili ſuo terreo, vt ambæ partes vnicam & ſimplicem materiam conſtituant, neutra per ignem ab altera ſeparari, vel abſumi poteſt, quin ſimul abeant, aut vnà rema-

neant

neant in igne. Ex eiuſmodi humiditate procreatum eſt argentum viuum, quod videmus, vt patet etiam experimēto. Teſtatur Arnaldus de Villanoua: Hoc (inquit) nos reddit certiores, ambas materias anteà dictas in ipſo perfectiſsimè coniunctas: nam vel terreſtris humiditatem ſecùm retinet, aut iſta rapit illam in auras. Quod quidem Albertus Magnus cauſas metallorum compoſitionis diligentiſsimè perquirens, optimè cognouit, argentum viuum ſcilicet aſsiduè moueri, ac fluere, quia viciſsim altera pars in alteram dominium habet, vt cauſa fluxus atq; motus eſt humiditatis imperium, & ſiccitatis terreſtris in humiditatem actus efficit, vt non adhæreat tangenti, neq; madefaciat. Hinc Alberti ſententia comprobatur libro Mineral. ſimplic. Materia prima (inquit) metallorum eſt humiditas viſcoſa incombuſtibilis, forti mixtione, cum ſubtili terreo coniuncta in cauernis terræ mineralibus. Optimè cum Gebro conuenit, aſſerente in Summa ſua, materiam veram metallorum eſſe argentum viuum, quia (inquit) natura nunquam otioſā procreauit argentum viuum ex dicta materia mixta, &c. Bonus Ferrarienſis ait, argentum viuum eſſe proximā materiam metallorum, ſed præcipuam humiditatē viſcoſam ſubtili ſuo terreo mixtam. Geber etiam in argenti viui definitione, quam facit in ſua Summa: Eſt (inquit) humiditas viſcoſa per auxilium terreſtris ſuę partis condenſata, ſuam compoſitionē intrantis. Conſideremus itaque diligenter naturæ progreſſum, in rerū omnium procreatione, quibus propriam admiſcet materiam, quam Philoſophi vocarunt

agens, quia ſeipſam non producit, vt ait Ariſtoteles: hoc eſt, ſuos effectus nō demonſtrat. Quapropter natura in procreatione metallorū poſtquàm creauit materiam, id eſt, argentum viuum, tanquàm ſagaciſsima, proprium adiungit agens: nempe terræ mineralis quandam ſpeciem, velut colloſtrum eius & pinguedinem in cauernis terræ mineralibus, longa decoctione inſpiſſatam, hanc vulgariter vocamus ſulphur: comparatione ad argentum non alia, quàm coaguli ad lac, viri ad fœminam, agētis ad materiam ei ſubiectam. Philoſophi duplex ſulphur poſuerunt, vnum facilimæ liquefactionis, alterum verò congelatum ſolùm, & non fuſibile. Proinde quo natura demonſtraret virtutem & efficaciam agentis, id eſt, ſulphuris, in materiam, cui adiunctum eſt, effecit admirabili compoſitione quadam, vt metalla coagularentur actione ſulphuris fuſibilis, vt eſſent liquabilia. Verùm alia mineralia ſimplicia compoſuit actione ſulphuris nō fuſibilis, vt non eſſent fuſibilia, vti ſunt magneſia, marcaſitæ, & id genus alia. Cùm autem agens nō poſsit eſſe pars materialis compoſiti, vt Ariſtoteles ait, natura procreans metalla ſub terra, poſtquàm dictum ſulphur miſcuit cum argento viuo, compoſitione quidem inenarrabili, pretioſiſsimum inde generat metallum, aurum videlicet: ab eo decoctione perfecta ſeparādo ſuum agens, id eſt, ſulphur. Et hæc eſt ratio cur ſic perfectiùs omnibus alijs metallis, tum quòd videamus naturam illud in meliùs vltrà non tranſmutare. Item hac de cauſa meliùs ac faciliùs coniungitur argento viuo, quia nihil aliud eſt, quàm argentum viuum proprio

ſuo

ſuo ſulphure decoctum, & prorſus deinceps ab eo decoctione dicta ſeparatum. Vt itidem ſeparatio ſulphuris eſt auri perfectio, quòd in aliis metallis remaneat, iſtorum eſt imperfectionis potiſsima cauſa. Hinc fit etiam, vt argentum ſit imperfectius auro, & cuprum argentò: ſcilicet ob defectum completæ digeſtionis, qua ſola ſeparatur agens ab eis, id eſt, ſulphur. In eo declaratur potiſsimum, ac præcipuum arcanum totius artis noſtræ. Cùm enim ars imitari naturá in ſuis operationibus debeat, neceſſariò, priuſquàm diuinum hoc opus noſtrum perficiatur, agens vel ſulphur ſuum erit ſeparandum. Quod quidem occultarunt omnes Philoſophi, relegantes nos in ſuis libris ad naturales operationes, quas abũdè ſatis declaraui. Quò tamen perfectiùs cognoſcatur, qua in re ſcientia noſtra naturæ operationes imitetur, operæprecium fuerit præcipuum & communiorẽ declarare modum, quo ipſa vtitur in metallorum perfectione. Anteà diximus metallorum perfectionem, vel imperfectionem fieri ob agentis priuationem, vel mixtionem, id eſt, ſulphuris, & oſtendimus modum primũ, quò natura conſueta eſt vti in compoſitione principis metallorũ, & perfectiſsimi videlicet auri. Modò ſciendum ipſam alio etiam vti progreſſu, qui licet priori contrarius eſſe videatur, eſt nihilominus perſimilis, ſi probè conſideretur finis, ad quem tendit intentio naturæ, quia pariter aliud nihil eſt præterquàm repurgare metalla, purgareq; penitùs à ſuo ſulphure. Nam idipſum quod priore modo per decoctionem perfectam efficit, poſteriore continuatis, & longis digeſtionibus

exequitur, imperfecta ſenſim purificando tantiſper, donec reducantur in aurum. Siquidem experientia nos docet, in mineris argenti reperiri communiter plumbum, & in nonnullis ambo ſimul permixta, vt argentũ videatur imperfectum fermè ob digeſtionis defectum: quapropter metallicarum periti rerum ſuadent, vt occluſis cauernis, ne materiæ ſubtilioris euaporare queat, diutiùs triginta, vel quadraginta annis relinquãtur, ac donec perficiantur. Quod quidem Albertus Magnus recitat accidiſſe ſuis temporibus in regno Liburniæ, vel Sclauoniæ: pariter ab experto mineralium foſſore mihi relatum fuit, ſæpiùs euenire. Secundum itaq; hunc modum quo natura in perficiendis metallis vtitur, ars imitatur ſuis operationibus ad imperfecta perficiendum, priuatione ſui ſulphuris videlicet, facta per proiectionem operis diuini ſuper illa, poſtquàm liquefacta ſunt: qua purificantur à dicto ſuo ſulphure, perficiunturque in purum aurum, perfecta ſua decoctione exuberante, quam acquiſiuit per adminiſtrationem artis noſtræ. Non aliter, quàm varii modi, quibus natura vtitur in purificatione metallorum, non efficiunt vt variæ ſint auri formæ (puto in perfectione) pariter & quibus vtimur diuerſis ipſa perficiendi modis ſupra terram, aurum noſtrum naturali & minerali diuerſum non redditur, cùm eadem vtamur materia ſupra terram, qua ipſa ſub terra, & in ſuis cauernis. Atteſtante hoc ipſum Ariſtotele nono Metaphyſicorum. Ex agente & materia (inquit) ſimilibus, operationes ſemper ſunt ſimiles, quãuis media ſint diuerſa: nam iſta & materia duo
ſunt.

ſunt. Verùm ſi materia ſit vna ſimilisq; per omnia cum agente, omnes operationes, quæ ab initio diſsimiles videntur, aut contrariæ, ſub finem eundem ſortiuntur effectum. Vt approbemus materiam noſtram, qua vtimur ad metalla perſiciendum ſupra terram, eſſe in omnibus perſimilem illi qua natura ſub terræ cauernis vtitur in ipſorum procreatione, Gebrum citamus teſtem in ſua Summa: Ars (inquit) noſtra naturam imitatur quantò propiùs poſsibiliusque fieri poteſt. Idipſum Hermes ait, Pythagoras, Senior, & plærique alij. Proinde ſi naturam, ars imitatur, neceſſariò fatendum eſt, ipſam vti ſimili materia qua natura, quæ vtrobique non niſi vna ſola eſſe poteſt, quam vocauimus argentum viuum, non ſolùm per ſe, at mixtum vnà cum agẽte ſuo proprio, ſulphure videlicet vero. Eadem igitur materia, quam Philoſophi vocarunt argentum viuum animatum, erit vera ſcientiæ noſtræ diuinę materia, ad noſtrum opus diuinum complendum. Cùm hoc ipſo, & non alio natura in terræ concauitatibus vtitur in procreatione metallorum, pro ſua vera materia, vt ſuprà ſatis amplè demonſtrauimus.

Vocauerunt argentum viuum animatum, vt oſtenderent inter ipſum, & argentũ viuum commune, differentiam, quod poſterius ita remanſit, quia natura nõ adiunxit ei ſuum agẽs proprium. Falſò igitur exiſtimarũt plurimi argentũ viuum commune, & ſulphur commune materiam eſſe metallorum. Nam vllo vnquam tempore non accidit, vt illa ſimul ambo mixta reperta ſint in mineris, qua ratione poterunt igitur eſſe vera

materia metallorum in concauitatibus terræ, vel artis noſtræ ſupra terram? vt loquitur Geber in ſua Summa de Principijs artis. Et idem alio loco: Noſtrum (inquit) argentum viuum aliud nihil eſt, præterquàm aqua viſcoſa, deſponſata per actionem ſui ſulphuris metallici. Hæc eſt vera noſtra materia, quam natura præparauit arti noſtræ (vt ait Valerandus Syluenſis) & reduxit in certam ſpeciem veris Philoſophis notam, abſque vlreriori tranſmutatione ſuijpſius. Auicenna ſimiliter ait: Natura nobis vnam ſolam præparauit materiam, quam ars noſtra componere per ſe minimè poteſt. Fatuum igitur foret credere, ex omnibus materijs, quas miſcere poſſemus, vllas, etſi metallicas, aut quaſcunque alias, eſſe poſſe veram ſcientiæ noſtræ materiam, cùm natura nobis præparauit illam, vt nihil deſit præter hæc duo: ſcilicet eam purificare, & perficere, coniungereq; per decoctionem ſibi propriam & congruam. De hac materia loquitur Raſis libro Præceptorum: Noſter mercurius (inquit) eſt verum fundamentum noſtræ ſcientiæ, ex quo tincturæ veræ metallorum extrahuntur. Alphidius de eodem: Animaduerte fili totum opus ſapientum Philoſophorum, in argento viuo ſolo conſiſtere: quapropter Hermes præcipit nobis, hunc obſeruare mercurium, quem coagulatum vocat, & occultũ in latebris deauratis. Geber de eodem mercurio: Laudetur (inquit) Altiſsimus, q hoc argentum viuum creauit, eique dedit potentiam incomparabilem, ad magiſterium ſcientiæ noſtræ verum perficiendum. In ſumma nemo non ſcribentum ſapientum fuit eiuſdem opinionis.

Obij-

Obijcient operantes moderni temerarium me iudicantes, qui tot ac tantos viros prædeceſſores auſim repræhendere, quorum theorica & practica ſublimare docent argentū viuum (quod mercurium appellant) cum vitriolo & ſale communi, poſteà per calidam aquā reuiuificare, vt cum auro tandem permiſceatur (quod Solem appellarunt) ac ad hunc modum ſoluere & fixare: quo diuinum opus noſtrum perficiatur: quod ſcribit Arnaldus de Villanoua in magno ſuo Roſario: item Raymundus Lullius in ſuo Teſtamēto. Vt iſtis reſpondeam quod ſatis ſit ipſis, per eoſdem autores, quos allegāt, quorum ſcripta teſtantur, iſtas operationes omnes, deſtillationes, ſeparationes elementorum, reductiones, & id genus alias, nulla alia de cauſa poſitus fuiſſe, quā vt ſub eiuſmodi laruis practicam noſtræ ſcientiæ velarent. Adducemus eundem Arnaldum Villanouanum, qui poſtquàm in ſuo Roſario docuit diuerſas iſtas operationes, ſub finem ſuæ recapitulationis in hæc verba, vel his ſimilia prorumpit: Oſtendimus (inquit) veram practicam, verumq; modum opus noſtrum diuinum perficiendi, ſed breuibus admodum verbis, quæ tamē ſatis prolixa videbuntur intelligētibus. Proinde tot támque diuerſis, ac prolixis operationum ſermocinationibus, non intellexit veram pręparationem diuini huius operis, neque practicam, quam anteà breuibus tractaſſe dixerat. Hoc ipſum Raymundus in fine Codicilli, vbi reſpondet illis, qui fortaſsis interrogare poſſent, cur deſcripſerit artem, cùm anteà dixiſſet impoſsibile cuiuis ad artem hanc, eiuſque veram notitiam librorum le-

ctura præuenire? Vt (reſpondet) lector fidelis introducatur, habitumque ſibi contrahat, quo peruenire queat in veram operis noſtri diuini cognitionem, cuius præparationem ſincerè nunquam poſuimus, nec declarauimus apertè. Conſtat igitur prolixas atq; diuerſas eiuſmodi præparationes, quas docet in ſuis libris, non eſſe ſolam & vnicam practicam operis noſtri diuini. Qui paulò doctiores erunt, obijcient mihi, rogantes, cur ſcripſerim diuinum opus noſtrum fieri ex vnica ſola materia, videlicet ex vnico & ſolo argento viuo animato, cùm Geber in ſua Summa, capitulo de Coagulatione mercurij dicat, extractam eſſe à metallicis corporibus, cum arſenico ſuo præparatis. Roſinus contrà dicit eſſe verum ſulphur incombuſtibile, ex quo diuinum opus noſtrum conſtat. Salomon Rex filius Dauid hoc ipſum atteſtatur, inquiens: Deus prætulit omnibus rebus exiſtẽtibus ſub cœlo verum noſtrum ſulphur. Pythagoras in Turba Philoſophorum ſcripſit: Opus noſtrum diuinũ perficitur, quando ſulphura viciſsim coniunguntur, aliud cum alio: quapropter ex ſulphuribus conſtat, & non ex argento viuo animato ſolùm. Vt reſponſum demus, quo ſpiritibus à via delirãtibus ſatisfactũ ſit, in memoriã reuocanda ſunt, quæ ſuprà diximus de metallorum materia, naturam videlicet in terræ concauitatibus, adiungere proprium agens argento viuo. Cæterùm quia diuinũ opus noſtrum proprium nomen non habet, alij aliud indiderunt, vt Lilius ſcripſit ipſum tot nominibus appellari inter Philoſophos, quot in hoc mundo res creatæ ſunt, innuens per hæc verba

nomi-

nibus infinitis vocari: quáuis vna ſemper & eadem res, ex vnica materia ſola conſtans, exiſtat. Philoſophi nihilominus, qui præceſſerunt, illi tot ac tam varia diuerſaque, iuxta colorum in decoctione apparentium varietatem, impoſuerunt nomina pro ſuo arbitrio. Qui, vti nos, vocauerunt argentum viuum animatum, conſiderarũt primam noſtram materiam, (quam antiqui Philoſophi Chaos appellarunt, cuiuſcunque principium ab exordio ſumptum) verè per omnia ſimile eſſe naturæ & materiæ argenti viui, ex quo natura componit, ac perficit in terræ concauitatibus metalla, vti ſuprà demonſtrauimus. Item qui diuinum opus noſtrum vocauerũt lapidem Philoſophorum (quod illi communius nomen eſt) id reſpectu finis decoctionis materiæ noſtræ fecerunt, quia fixa permanet in igne: ſolent enim appellare lapidem, quicquid non refugit ignem, & ab iſto non ſublimatur. Plærique alij multa excogitarunt alia nomina, iuxta ſuas rationes, quæ ſingula recenſere longum foret: vt ait Maluefcindus: Si materiam noſtram dicamus eſſe ſpiritualem, verum eſt: ſi corpoream, non mentimur: ſi verò cœleſtem, verum eſt nomen eius: ſi terreſtrem, non impropriè loquimur. His verbis manifeſtè patet, varietatem nominum ab antiquis noſtris prædeceſſoribus impoſitorum operi noſtro diuino, diuerſis rationibus in diuerſitate colorum & operationum apparentium in ſua decoctione fundatam eſſe.

Pariter & qui ſulphur appellarunt, vt atteſtantur autoritates, quæ cõtra me poſſent adduci, reſpectu ad poſtremam decoctionẽ, in qua materia

apparet fixa, ita loquuti ſunt. Vt igitur ab initio veram argenti viui demonſtrabat apparentiam, quia volatilis erat, in fine fixatur, tum demùm occultum, & quod intrinſecus exiſtens, erat incognitum: pars fixa videlicet, quam ſulphur appellamus, manifeſtatur continuata, poſtremaq; decoctione, in qua dominatur ſupra partem volatilem. Hac de cauſa materia noſtra non appellatur ampliùs volatilis (intelligo de his, qui poſtremam decoctionem conſiderant) at ſulphur denique fixum. Vt ait Arnaldus de Villanoua in ſuo Roſario magno, cùm de poſtrema decoctione loquitur operis noſtri diuini: Eſt (inquit) verum ſulphur rubeum, per quod argẽtum viuum perfici poteſt in aurum. Proinde concludere verè poſſumus, omneque dubium reſoluere, materiam, ex qua diuinum opus noſtrum componimus, non eſſe niſi vnam rem ſolam in omnibus, & per omnia ſimilem illi materiæ, qua natura in terræ concauitatibus vtitur ad procreationem metallorum, non obſtantibus omnibus in contrarium ſuprà allegatis autoritatibus, ac ſimilibus alijs quibuſcunque. Nominum enim diuerſitas (vt ait Ariſtoteles) rem eſſe diuerſam non efficit. Vt noſtræ diuiſioni finem imponamus paulatim, reliquum eſt, vt noſtræ ſcientiæ terminos declaremus, id eſt, ſententias optimorum & præcipuorum autorum, qui præceſſerunt, conferamus; vtuntur præcipuè quatuor terminis, inter alia, de noſtri diuini operis compoſitione differentes, vt ſunt, elementa quatuor, fermẽtum perfectum, venenum verum, & coagulum perfectum, quod aliâs maſculum appellarunt, ad fœminam

minam facta comparatione, velut coaguli ad lac ſimplex. Quo meliùs itaque declaremus, quidnam intelligāt per elementa, ſciendum quid Philoſophi naturales dixerint de materia prima, quam Chaos appellarunt, in quo confuſè quatuor illa continebantur, & quæ ob ſuam contrarietatem, quodlibet ſuas actiones demonſtrando, manifeſta nobis facta ſunt. Quamobrem Alexander in Epiſtola ſua: Quicquid (inquit) antiquis demonſtratum fuit, eſſe calidæ qualitatis, ignem eſſe iudicarunt: quod ſiccum & coagulatum fuit, eſſe terram: quod humidum & labile apparuit eis, aquam: quod verò frigidum, ſubtile ventoſumque viſum eſt eſſe, aerem appellarunt. Quorū duo ſunt in alijs duobus occulta & concluſa, vt ait Raſis libro Præceptorū: Omne compoſitum (inquit) ex quatuor conſtat elementis, duobus occultis in alijs duobus apparentibus, aere videlicet in occulto aquæ, & igne in interioribus terræ, vt anteà diximus. Et quia duo concluſa non poſſunt actiones ſuas demonſtrare, præter alia duo, debilia vocauerunt, alia verò fortia. Hac de cauſa dicunt compoſita eſſe perfecta, quando humidum & ſiccum, id eſt, aqua & terra coniuncta ſunt æqualiter auxilio naturæ, cum frigido & calido, quæ ſunt aer & ignis, per conuerſionem vnius in aliud. Quamobrem Alexander libro Secretorum ait: Si conuerteris elementa vnum in aliud, inuênies quod quæris. Hæc ſententia benè perfecteq; cognita nobis demonſtrat veram materiam, & perfectam indicat ſcientiæ noſtræ practicam: quapropter, vt meliùs intelligi queat, propriùs de quatuor elementis, & eo-

rum natura loquendum eſt, cùm ſint neceſſaria in operis noſtri diuini compoſitione. Hermes ait: In terra noſtra creata ſunt alia quæuis elementa. Alphidius contrà profert aquá eſſe præcipuum elementum, ex quo cætera elementa, ad operis noſtri diuini compoſitionem requiſita, creata ſunt: in quibus nulla habetur, vt apparet contradictio. Nam ab initio procreationis operis noſtri diuini, aliud nihil apparet, quàm aqua ſola, quam Philoſophi vocauerunt mercurialem aquam, ex qua terra procreata fuit, cùm inſpiſſaretur coniunctione decoctioneque ſupernaturali, præterquàm nobis eſt inutilis. Proinde vera loquutus eſt Hermes, dum dixit ex terra prodijſſe reliqua eleměta, cùm ipſa ſola ſuas demonſtret qualitates in operatione ſecunda, non ſecùs atque aqua ſuas demonſtrabat in operis initio. Quapropter Alphidius ad Valerandum ſcripſit, ac ad alios, ipſam eſſe præcipuum elementum, in operis noſtri diuini compoſitione.

Hæc ſunt illa duo elementa, quæ Philoſophi dicunt eſſe cognoſcenda, priuſquàm aggrediamur opus. Vt Raſis libro Luminum: Priuſquàm (inquit) incipiatur opus, eſt cognoſcenda natura & qualitas aquæ & terræ, quia in iſtis duobus compræhenduntur quatuor elementa: alioqui volatile fixum rapiet ſecum, & ſcientia noſtra nobis inutilis futura eſt. Hac de cauſa præcipitur, elementorum quatuor conuerſio, vt diuinum opus noſtrum ritè qualificatum in fine fixetur, vtque reſiſtere valeat ignis omni violentiæ, corruptioni aeris, ærugini terræ, & aquæ putrefactioni, non aliter quàm aurum minerale, propter

magnam ſuam perfectionem. Iſta conuerſio elementorum (vt ait Raymundus Lullius) nihil aliud eſt, præterquàm terram, (quæ fixa eſt) volatilem reddere, & aquam (quæ eſt humida volatiliſque) ſiccam & fixam efficere: quod probè fit continuata noſtra decoctione in vaſe noſtro, præter omnem amotionem, vel apertionem, ne fortè noſtra pereant elementa, & in auras auolent in fumum.

Hoc ipſum atteſtantur ſcripta Raſis, & aliorum ſcripta varia Philoſophorum in eandem ſententiam, quum dicunt, veram ſeparationem, & coniunctionem elementorum quatuor, in vaſe noſtro fieri nullatenus tacto manibus pedibúſue: quoniam (vt aiunt) lapis noſter ſeipſum diſſoluit, coagulat, abluit, purgat, albificat, & rubificat, præter extraneæ rei cuiuſuis additionem vel mixtionem.

Arnaldus de Villanoua eſt eiuſdem opinionis in ſuo Roſario magno, dum inquit, breuibus admodum verbis: Nullo alio labore eſt opus, quàm in aqua trucidanda, hoc eſt, fixanda: nam ſtatim atque hæc erit mortua, reliqua elementa necata ſunt, id eſt, fixata. Falſæ ſunt igitur operantum huius temporis, & elementorum ſeparationes ſophiſticæ, in ſcriptis eiuſmodi Philoſophorum omnium peſsimè fundatæ, qui vetant expreſſè deſtructionem ſimplicium in ſuis præparationibus, quia (vt aiunt) impoſsibile eſt arti primas formas dare. Certiſsimum eſt, elemēta quatuor minimè componi poſſe, niſi priùs deſtruerentur. Quapropter non eſt opus hac elementorum ſophiſtica ſeparatione, falſaque ad operis

noſtri diuini compoſitionem. Falſam eſſe talem ſeparationem, hoc ipſo probatur, quod anteà dictum fuit: nempe duo elementa eſſe in alijs duobus compræhenſa: quò fit, vt veram eorum ſeparationem cognoſcere minimè poſſumus, quantò minùs perfectam coniunctionem. Experientia comprobatur, elementa, quæ ſeparaſſe dicunt, nihil habere commune cum natura verorum elementorum (vt ait Valerandus) exemplo ſit ipſorum oleum, quod vocant aerem, humectat & madefacit omne quod tangit: contra veram aeris naturam. Proinde ſat mihi fuerit, oſtendiſſe naturam & qualitatem elementorum, & eorũ cunuerſionem in hac noſtra ſciẽtia neceſſariam, quo modernorum operantum palàm fiat ignorantia ſcientiæ veris filijs, vtque illos cognoſcentes, fugiant ab eorum conſortio. Iam videamus quídnam intelligant Philoſophi per hunc terminum, videlicet fermentum. Dupliciter ſe dicunt vſurpaſſe: priori ſignificatione dum faciunt comparationem operis noſtri diuini ad metalla: nõ aliter quàm videmus parùm fermenti panis multam farinam in ſuam naturam & paſtam conuertere: ſimiliter diuinum opus noſtrum conuertit metalla ad ſuam naturam: & quia eſt aurum, illa tranſmutat etiam in aurum. Verùm quod raro in hanc ſignificationem aſſumpſerunt (in qua nulla difficultas) ad ſecundam veniemus, in qua ſcientiæ noſtræ maxima difficultas latet. Per fermentum itaque ſecundo modo verum corpus, & veram materiam intelligunt, quæ diuinum opus noſtrum perficit: quod quidẽ oculis eſt incognitum, & intellectu ſolo perceptibile quid.

Etenim ab initio materia noſtra apparet volatilis (vt anteà ſatis declarauimus) quam nos oportet coniungere proprio ſuo corpori, vt hoc medio retineat animam, quæ medio iſtius iam factæ coniunctionis, medianteq; ſpiritu, ſuas diuinas operationes demonſtrat in opere noſtro diuino. Vt ſcriptum legitur in Turba Philoſophorum, ad hunc nempe modum: Corpus habet plus virium, quàm duo fratres eius, quos vocant Spiritum & animam. Non quòd intelligant quemadmodum Aſtriſtoteles declarauit, & alij Philoſophi (quod valdè notatu dignum) ſed corpus vocarunt omne ſimplex, quod ex propria ſua natura poteſt ignem ſuſtinere, præter vllam diminutionem: hoc aliter fixum vocant. Animam appellarunt omne ſimplex per ſe volatile, poteſtatem habens ſecùm rapiendi corpus, ac deferendi ab igne: hoc alio vocabulo nominarũt volatile. Spiritum eſſe dicunt id, quod poteſtatem habet retinendi corpus & animam: iſtaq; duo ſimul adeò coniungendi, vt non poſsint ampliùs ſeparari, ſiue perfecta ſint, aut imperfecta. Quamuis in opere noſtro diuino, ab initio nihil intrat noui (puto pòſt primam præparationem) nec in operis medio, neq; in fine. Verũ Philoſophi diuerſis reſpectibus, & conſiderationibus rem vnã & eandem vocarunt corpus, animam, & ſpiritum, vt ſuprà dictum abundè. Primò cùm materia noſtra eſſet volatilis, vocauerunt animam, quia ſecùm deferebat corpus. Poſteaquàm id quod occultum erat, manifeſtatum eſt in noſtra decoctione, tum demùm corpus vires ſuas palàm fecit, mediante ſpiritu, hoc eſt, animã retinuit, hanc ad propriam

naturā ſuam reducendo (id eſt, in aurum) eamq́; ſua fixauit potentia, per auxilium artis noſtræ. Hoc ipſo declaratur exactè, quod Hermes ſcripſit; nullam tincturā fieri citra lapidem rubeum. Nam vt Roſinus ait: Verus ſol noſter apparet albus & imperfectus in noſtra decoctione, & eſt perfectus in rubeo ſuo colore. Fermentum eſt de quo loquitur Arnaldus de Villanoua in ſuo Roſario magno, quod apparet illis duobus coloribus, non tactum, neque mixtum alteri materiæ cuipiam, vt per ea ſcripta poſſet intelligi. Verùm eſſe teſtatur Anaxagoras, inquiens: Sol noſter eſt rubeus & ardens; qui coniunctus eſt animæ albæ, & naturæ lunæ, ſpiritus medio: quamuis totum ſanè aliud nihil ſit, præter argentū viuum Philoſophorum. Morienus declarat: Impoſsibile fuerit (inquit) ad perfectionem ſcientiæ noſtræ peruenire, tantiſper donec luna ſoli coniuncta ſit, præter quem ſcientia noſtra eſt inutilis, vt ait Hermes, & reliqui omnes Philoſophi. Per hęc intelligi poſſunt ea, quæ Raſis loquitur libro Luminum: Seruus (inquit) rubeus vxorem duxit fœminam albam, in fine perfectionis operis noſtri diuini. Similiter quod Lilius habet: Vnio vera corporis & animæ, fit in albo & rubeo colore, medio tamen eodem, certo tempore, per auxilium noſtræ decoctionis, ad eum gubernatæ modum, vt materia noſtra non deſtruatur: nam, vt in Turba ſcriptum reperitur, emolumentum ac detrimentum operis noſtri diuini, vtrumq; prouenit ex adminiſtratione ignis. Proinde ſuaſerim vnà cum Raſi, ne quis temerè huius practices ſuſcipiat prouinciam, in hac noſtra ſcientia, priuſquàm

quàm ignis regimina cuncta (quia diuerſa) in operis noſtri diuini compoſitione apprimè neceſſaria, probè admodùm cognoſcat: alioqui terminus, quem venenum appellant, applicabitur ipſi, quod in ſecunda operatione ſolet accidere, vt anteà dictum. Nō propterea venenoſum quid addendum eſſe quis exiſtimet in noſtra materia, neque Theriacam, minùs extranei quidpiam (vt exiſtimarunt nonnulli literam conſiderantes) ſed quòd induſtrium, ac vigilem operatorem eſſe oporteat, ne terminum & horā natiuitatis aquæ noſtrę mercurialis prætereat, vt adiungat ei proprium corpus, quod anteà fermentum appellauimus, & iam venenum vocamus, idque duabus de cauſis: Prior nos concernit, quia non aliter quàm venenum humano corpori nil pręter damnum inferre poteſt: ſi hoc loco non coniunxerimus illud ſua hora determinata, nihil nobis quā detrimentum adfert, ac diſpendium, vt ſuprà diximus. Poſterior concernit mercurium (quem vocamus aquam mercurialem) quia hunc trūcidat, & fixat. Quo quidem interpretatur quod ſcripſit Hamech, inquiens: Cùm noſtra materia peruenit ad ſuum terminum, eſt coniuncta ſuo veneno mortifero. Item quod Roſinus: Venenum hoc (ait) eſt valdè magni pretij. Haly, Morienus, & reliqui omnes idē atteſtantur. Eadem comparatione theriacā vocarūt, vt ait idem Morienus. Quoniam id ipſum operatur in corpore metallorum, quod in noſtro theriaca. Quamuis etiam id quod ſcripſerunt, adaptari queat ad coniunctionem perfecti fermenti, cùm hora determinata facta eſt, quia per ipſam diuinū opus noſtrum

perficitur. Similes igitur autoritates intelligi debent ex allegorico ſenſu, & non ex apparentia literæ, quod plæriq; falſò exiſtimarunt. Iſtiuſmodi eſt poſtremi termini, magis vſitati, & intellecti minùs, interpretatio: etenim maior pars p̃ ipſum intelligunt diuinum opus noſtrum, quãdo perfectum eſt: non aliter (inquiunt) quàm parùm coaguli plurimùm lactis congelat, noſtræ materiæ tantillùm proiectum ſuper viuum argẽtum, iſtud congelat, & ad propriam̃ ſuam naturã adducit. Verùm decipiuntur aberrantes à veritate: nam per ea concludunt materiam noſtram comparari non poſſe metàllis, quia congelata ſunt. Proinde ſciendum eſt, quando mercurius noſter apparet ſimplex, eſt labilis, ipſumq́; Philoſophi lac vocarunt, cuius coagulum appellant id, quod nos ſuprà fermentum, venenum, & theriacam vocauimus. Quia velut coagulum non differt à lacte, niſi pauca decoctione, noſtrum coagulum etiam à noſtro mercurio non differt, niſi per decoctionem, quam acquiſiuit anteà: hoc eſt magnum & ſupernaturale ſecretum, ob quod Philoſophi noſtram ſcientiam diuinam eſſe dixerũt, quia deficiunt in ea rationes humanæ, vt ſuprà narrauimus. Hoc eſt coagulum, quod Hermes vocauit florem auri, de quo volunt intelligi, cùm inquiunt: In congelatione ſpiritus, facta eſt vera diſſolutio corporis, & econtrà, in diſſolutione corporis, eſt facta vera congelatio ſpiritus. Quia per eius medium totum perficitur opus, vt ait Senior: Cùm vidi noſtram aquam (id eſt, mercurium noſtrum) per ſe congelari, credidi firmiter noſtram ſcientiam eſſe veram. Eandem ob cauſam

ſam ſcribit Alexander in ſcientia noſtra nihil eſſe creati, præter id quod factum eſt ex maſculo & fœmina. Coagulum noſtrum vocat maſculum, quia ipſum eſt quod agit, & Philoſophi maſculo tribuerunt actionem, & paſsionē fœminæ, quam dicunt eſſe mercurium noſtrum, ideò quia coagulum dictum agit in ipſum, ſuam potētiam demonſtrans. Hac de cauſa dixerunt, fœminam alas habere, quia noſter mercurius ſimplex eſt volatilis: qui tamē retinetur per dictum ſuum coagulum. Eapropter ſcripſerunt: Fac aſcendere fœminam ſupra maſculum, & poſteà maſculum ſuper fœminam, idipſum intelligētes quod in Turba Philoſophorū: Honorandum eſſe Regem noſtrum, & Reginam ſuam vxorem, ac diligentiſsimè cauendum ne adurantur, id eſt, ne decoctio noſtra acceleretur. Nam, vt Arnaldus ait in magno ſuo Roſario: Præcipuus error in operis noſtri diuini practica, eſt accelerata, vel feſtinata decoctio. Similibus ac varijs terminis vſi fuerunt in ſcriptis ſui antiqui Philoſophi, & quia præcipui ſunt iſti, quos declarauimus, finem interpretationibus terminorum imponemus: etenim his probè cognitis, vera materia non poteſt non cognoſci, ac deinceps libri Philoſophorum faciles facti ſunt, vt ait bonus Treuiſanus. Concludam igitur cum Philoſophis omnibus, quorum ſcripta hactenus in meliorem ordinem quàm potui, redegi, non niſi vnam eſſe materiam ſolam, ex qua diuinum opus noſtrum adimpletur. Componitur enim ex ſolo ſimplici mercurio (quem Philoſophi proprio ſuo termino, citrà vllam æquiuocationem, mercurialem aquam vocarunt)

coagulato per actionē ſui proprij ſulphuris (qđ Hermes propriè vocauit florem auri) qui longa & continuata noſtra decoctione, tantam ac tam excellentem acquiſiuit perfectionē, vt opus hoc noſtrum valeat omnia corpora metallica imperfecta, quibus coniunctum fuerit proiectione, in purum & putum aurum tranſmutare minerali ſimile, idque diuerſis rationibus anteà deductis & allegatis, quibus amplè ſatis declarauimus, quinam fiat, vt imperfecta metalla per illud perficiantur: Cùm vtique nulla ſimplicia differentia, vel qualitatibus contraria coniungi poſſunt, aut perfectè miſceri ſimul, diuinum pariter opus noſtrum, quia conſtat ex ſolo argento viuo animato, pati nullo modo poteſt coniunctionem cum ſulphure, quod remanſit in metallis imperfectis, ob digeſtionis defectum, vt ſuprà notauimus. Verùm enimuerò, cùm ſit potentiſsimum, & ſumma digeſtione perfectiſſimum, ſeparat ſulphur dictum à metallis, & argentū viuum, quod in ipſis eſt reliquum, perficit in aurum. Experimento comprobatur, cùm proiectionē facimus eius ſuper commune viuum argentum, reperimus ipſum totum fermè conuerſum in aurum. Contrariū videmus efficere ſuper metalla proiectum: ſiquidem ex ſemilibra aliquorum vix habentur vnciæ ſex: at quantò magis decocta ſunt, tantò minùs hac via diminuuntur. Finem itaq; huius opuſculi mei ſecundæ partis faciens, tertiam & vltimam tandem aggrediar, in qua veram & perfectam ſcientiæ noſtræ diuinæ practicam ſub diuerſis allegorijs explicabo. Quam Deus manifeſtabit ſuis fidelibus, eiusq; ſtudioſis amatoribus,

toribus,

toribus, qui diligenter hæc mea ſcripta perlegent, veram dans intelligentiam per Spiritum S. ſuum, ad ſui gloriam & honorem: cui ſit laus in æternum.

TERTIA PARS OPVSCVLI DIOnyſii Zacharij, de Practica diuini operis.

VNIVERSA terra per Philoſophos & Coſmographos in tres partes principes diuiſa eſt: in Aſiam, Affricam, & Europam, ſub quatuor plagis, vel regionibus, Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione ſitas, ſubque dominio diuerſorum Imperatorum, Regum, Principum, potentumque Dominorum. Quorum vnuſquiſque res diuerſas & varias habet in delitijs, cùm ob earum raritatem, tum ſingularem valorem: poſterior cauſa non æquê grata, atque prior exiſtit, quod experientia didici, cùm varias atque aduerſas peragrarem regiones. Siquidem vbi doctorum frequentia virorum fuit, ibidem (maximo meo malo) vidi ſapientes valdè miſeros & abiectos, econtrà ditiſſimos ignaros, & in maximo haberi precio. Vbi verò penuria doctorum peritorumq; hominum erat, maxima quoque pars ignari prorſus, & inepti, hoc loco potiſsimùm ſapientes honorabantur ab omnibus, & præſertim à maioribus ſummo fauore & obſeruantia maxima proſequutos animaduerti. Haud ſecùs opum inopia minerarumque (vnde nobis aurum communicatur, & alia metalla) his locis vbi non reperiuntur, maxi-

mam iſtorum æſtimationem efficit, vt abundantia ſecùm adfert eius vilipendium, cuius habetur magna copia penes opulentos: & viliora quæq; nulliúſue pretij, perfectique nihil habentia, præter apparentiam, oculos eorum ſemper occæcarunt, vt perfecta pretioſaque non cognoſcerent. Quapropter indignati ſapientes, cũ vident ignaros eſſe prælatos, aliò ſe conferunt, ſuæ ſapientiæ vires & potentiam deliberãtes, alibi locorum demonſtrare. Quod fecit olim magnanimus quidam Gubernator, proponens nunquam deſiſtere, donec reliquá mundi partem, vltra ſuam, qua potiebatur, ſibi ſubieciſſet copiarũ ſuarum præſidio, & præſertim fidelis œconomi ſui conſilio. Interea dum hæc in animo verſabat, varios ac diuerſos adiunxit ſibi extraneos, qui quòd minimè fideles eſſent, exiſtimarunt ſe liberaliùs exceptos iri ab Imperatoribus, Regibus, alijsq; Principibus. Quapropter (vt ſolent exploratores) ab eo defecerunt, eiusque vulgarunt illis conſilia. Qui paruipenderunt, nullam terrená exiſtimantes potentiam ſuæ reſiſtere poſſe, quantò minùs dicti Gubernatoris deliberationem. Dum igitur in Aulis magnisq; Palatijs nil niſi ridebatur, cantabatur, procationibus, laruis, equorum exercitijs, choreis, ac varijs ludis fallitur tempus inutiliter, adulatoribus, & ſuſurronibus benignę præbentur aures, viri ſapientes deriſoriè tractantur nomine philoſophico (quod olim magni Monarchæ, Potentatusque non ſunt dedignati, nec adhuc facerent, ſi ſanum, vt anteà libenter adhuc audirent conſilium) interea bonus ille Princeps Gubernator, ſuis ſtipatus præſidijs, auxiliaribúſue

búſue copijs, vnam ex celeberrimis vrbibus Imperij iam obſederat. Imperator conſcripto copioſiſsimo milite, multis Regibus comitatus, ac Principibus, ſigna iamiam ad conflictum conferre parabat, cùm bonus Princeps Gubernator perſuaſione ſui fidelis œconomi, aliorumque ſuorum, obſidione relicta, ſolus in munitiſsimam arcem tutò ſe recepit, copijs eius campos circum occupantibus, & indies inimico ſtrenuè reſiſtentibus. Adduxerat Imperator quinquaginta millia peditum, equitumq; ſex millia, innumeraq; tormēta bellica. Princeps itaque deſerens vrbem ferrea turri propugnatam, ordine claſsico ſuis cum caſtra mouit, pugnantibus ſtrenuè poſt ipſum copijs poſterioribus aduerſus hoſtē, & in fluuium illcò traieciſſent, fractisque pontibus ſibi ſuoque Principi proſpexiſſent, maximū imminebat eis periculum, at illæſi omnes euaſerunt manus inimicorum. Altera die perſequentibus viriliter hoſtibus, coactus eſt Princeps conſilio ſuorum aſſentiens, in locum inexpugnabilem ſecedere, ſimul & omnis miles cum eo. Vallis & aggeribus muniebatur, in cuius meditullio ſedebat in rupe muris circunſepta, nunquā expugnabilis arx rotundiſsima, cui aſtabat alia turris eminentiſsima, per quam ſub terra cuniculis excauatis, œconomus omnia quæ & victui, & bello erant neceſſaria, potuit introducere neſcijs inimicis, vt olim factum extitit Neapoli Romaniæ, dum Solimanus Rex Turcię hanc obſideret annis viginti, nec perciperet vnde venirent vrbi ſubſidia victus, & alia. Princeps autem ſuis intra mœnia receptis, in arcem ſe recepit, ac in paruum cubiculum rotun

dum, ornatiſsimum quoque ſingulis tanto Principe dignis, in quo toto tempore manſit, quo durauit obſidio, quòd ſummè delectaretur eo receptaculo: fabrefactum erat, quemadmodum in Ducatu Lotaringiæ videre licet. Inde per quatuor feneſtras ei fuit conſpicuum quicquid hoſtes facerent machinationum, vt ipſum interciperent. Verùm intrare non poterant, quòd porta ſui domicilij præcipua, ad eum erat occluſa modum, vt nemo valeret eam aperire, præter fidelem œconomum, qui de ſingulis adeò prudenter diſpoſuit, atque prouidit, vt integro obſidionis anno deficeret nihil. Ob varios & aſperrimos inſultus ab Imperatoris milite factos indies, coactus eſt Princeps exercitum ſuum in quinq; turmas partiri, vt quælibet ageret excubias per ſuas vices. Exercitus Ducibus ad hunc modum Imperatori ſuadentibus, ne caſtra moueret: Si Principem (inquiunt) reliquerimus, meritò nos deridebit, præſertim quòd noſtri fuerit ordinis, & à nobis receſsiſſe dicat ea de cauſa, quia minùs dignè tractabatur: quamobrem ſi manus euaſerit noſtras, omnem vindictę quæſiturus eſt occaſionem. Hæc & ſimilia verba mouerunt Imperatorem, vt obſtinato prorſum animo deliberaret, Principem captiuum facere per inediam, aut alia via qua poſſet. At inſtāte hyeme, parte caſtrorum ſuorum tantiſper ſecum retracta, reliquā in obſidione reliquit Imperator ſub Ducatu potentiſſimi Satrapæ, qui plurimos impetus faciebat indies aduerſus boni Principis militem. Conſilium Imperatoris erat, ne ſui caſtra mouerēt antè prælapſum annum. Quod intelligens Princeps

per

per ſuum œconomum turmis imperauit ſuis, vt quælibet vnum ex Imperatoris exercitu,vi direptum armorum adferret vexillum, indicta pœna maximæ ſuæ indignationis, ni facerent imperata. Quòd ſi etiam præſtitiſſent, addito ingenti proemio quibuſuis,inſuper pollicitus eſt in propria perſona, comitãte fideli ſuo œconomo prodire, hoſtique manum infligere tam ſtrenuè, vt vel vitam foret amiſſurus, aut primum Imperatoris vexillũ reportaret, ſpoliisq; ditaret omnes, qui ſequuti fuiſſent, ſupra cunctos ſuos inimicos,qui obſidebant eum. Reaſſumptis igitur animis, priuſquàm tempus conſtitutum præterlaberetur, allata ſunt ei per ſuas turmas,quotquot Imperatoris ſigna deſiderarat,medio duplicationis circuli, quam docuerat œconomum ſuum Princeps quidam Galliæ. Primum vexillum erat nigrorum equitum Germanorum, quos vocant Reuthorum atrorum: Secundum interſertum erat varijs coloribus: Tertium erat non vſq; adeò diſsimile vexillo Regis Gallię: Quartum inſignitum erat Luna creſcente: Quintum verò ſimile fuit ſigno maximo Imperatoris: quod quidem Principi animum auxit,vt altera die cum œconomo ſuo prodiret ad mœnia, & ibidem ſtrenuè ſupra modum pugnaret, vſque dum conſequeretur maximum vexillum Imperatorium. À pugna tandem rediens, & fatigatus, ab œconomo, cibis prioribus obſidionis, initio reſiduis, reficitur, ac refocillatis viribus altera die cum ſuis, & œconomo viriliter inſiliens in hoſtem,totũ exercitum partim proſtrauit,partim fugauit Imperatoris,Ducum ſuorũ auxilio, qui omnes ſui Prin-

pis coloribus illuſtrati ſunt. Quò factum deinceps, vt omnis Potentatus, ſiue Papa ſit, aut Imperator, ſiue Rex, Princeps, vel Solimanus, quotquot ſunt, huic vni Auro Principi deferant palmam, & victoriam cedãt applauſu maximo, Deo ſic iubente, ac volente, cui ſit laus, honor & gloria perennis. Reliquum erit, vt operis noſtri diuini proiectione ſuper metalla, tincturam gemmarum, & humani corporis medicinam in eo ſitam eſſe, declaremus.

De proiectione ſuper metalla.

REGIS noſtri multiplicati viribus, & cibis refecti, vncia vna proiiciatur ſuper vncias quatuor auri puri, putique liquati, fiet inde materia frangibilis, quę pulueriſata, coquatur in monte clauſo inſultus poſtremi calore, vaſe admodum ſtrictè etiam obturato, ſpatio trium dierum. Huius pulueris vncia vna proiiciatur ſuper vigintiquinque marcas argenti, vel cupri, vel ſuper octodecim marcas plumbi vel ſtanni, vel ſuper quindecim marcas argenti viuico mmunis, in crucibulo calefacti, vel plumbo cõgelati. Materia mox ſpuma craſsiore contegetur, operatione completa, crepitus fiet, ac ſi crucibulum frangeretur. Tandem liquefiat hæc materia, & erit in aurum conuerſa. Verũm ſi dictum pondus obſeruatum nõ fuerit, nec materia priore ſuo colore mutata: quapropter eſſet in cineritio magno fulminanda ſine plumbo, vt horarum trium ſpatio materia, quæ non erit tranſmutata, conſumatur, reliquum in fundo purum, eſt cimento regali ſex horis latiùs purgandum. Hac via totum habebitur aurum,

opera

opera magni Regis noſtri conuerſum, ſimile minerali quouis & æquipollens. Et hæc eſt via, quá docet Raym. Lullius in ſuo Codicillo, quod ad proiectionē attinet. Secundam pro tinctura gemmarum docet in ſuo Teſtamento.

De Tinctura gemmarum & vnionum.

LAVANDVS eſt magnus ille Rex noſter, ac reficiendus ſtatim poſtquā allatum eſt ei ſignum album creſcente luna inſignitum, nec finis obſidionis eſt expectandus, ſed à ſuæ refectionis paſtu primo. Hic eſt mercurius, quem Raymundus Lullius vocauit argentum viuum exuberatum. Eius vnciæ duę, vel tres ponantur ſuper cineres, in alembico paruo benè clauſo, deſtillentur igne lento primùm, cùm nihil hoc igne ſtillare volet ampliùs, mutato recipiente lutatoq́;, fortiori tandem vrgeatur igne, quicquid aſcendere poterit. Liquor iſte ſecundus in alembico recenti, per balneum Mariæ deſtilletur, tertiò cohobando liquorem ſuper feces viſcoſas, & aqua breui ſuo tempore diſſoluentur: tertia vice tamen totum per cineres deſtilletur, & poſtmodùm in alembico recenti per balneum rurſus deſtilletur quater, feces vice qualibet ſeruando ſeorſim, vſque dum aqua deſtillata ſit clara ſplendensq́ue perlarum candido nitore, cuius vſus hic eſt ad vniones. Ponantur iſti licet minutiſsimi, in cucurbitam paruam, quibus affundatur aquæ dictæ tantùm, vt parumper emineat, cooperiatur galea cæca, & poſt horas tres in paſtam reſoluentur albam, & ſupernatabit liquor admodum clarus, euacuetur modeſtè ne turbetur. Cucurbita cum paſta

ponatur cooperta, in balneum Mariæ tribus diebus digerendo, poſtmodùm auferatur. Fabricetur formula argentea rotunda, intrinſecus deaurata, quæ per medium in duas æquales partes aperiatur, adapteturque filum aureum vel argenteum deauratumque inter ambas concauitates. Tandem ſpatula aurea formulæ medietas repleatur vtraque dicta paſta, filum per medium collocetur in medio ſui foraminis, claudaturq; formula, filum autem protrudatur, ac retrahatur, quò benè foratus ſit vnio per medium. Aperta formula eximatur vnio formatus, & ponatur in ſcutellam auream altera ſimili coopertam, non tangatur manu, ſiccetur in vmbra, & non ad Solem. Cùm plures habueris, filo perforentur omnes, & in canali vitreo ab vna parte latum foramen habente, ab altera non maius filo aureo, & ſuſpendantur ſimul in bocia, vel vrinali vitreo mundo ſupra liquorem dictum ſublimatum, lutetur vas, & octo diebus in aere contineatur, poſteà tribus ad Solem, ſingulis ternis horis mouẽdo vitrum, vt vapor aſcendat, hoc artificio perficiẽtur vniones tantæ quantitatis vt voles. Ad eundem modum de rubinis & carbunculis fieri poterit, rubei mercurij medio, poſt vnicam eius refectionem.

De vſu diuini operis noſtri, ad humani corporis medicinam.

SVMATVR pondere grani vnius poſt exitum Regis, & albo vino diſſoluatur in argenteo vaſe. Tingetur vinum citrino colore, quod ægris adminiſtretur, pauló pòſt mediam noctem, & vno die

die ſanabitur, ſi morbus ſit vnius menſis, ſi fuerit vnius anni, infra duodecim dies, vel infra menſem, vbi valdè diuturnus morbus eſſet futurus. Ad conſeruandam ſanitatem, ſumendum ex eo parùm ſingulis annis bis, ſub initium veris & autumni. Hoc medio ſanè viuitur, & alacriter vſq; ad prædeſtinatum vitæ terminum, Deo dante, cui laus ſit, honor & gloria nunc & ſemper, in æternum. Amen.

FINIS OPVSCVLI DIOnyſii Zacharij.

ANNOTATA QVAEDAM EX NICOLAO FLAMELLO AVTORE GALLO.

AD metallorum verá cognitionem ignorandum non erit, dum in primis adhuc ſpeciebus exiſtunt, in ſulphure videlicet, ac in argento viuo duas habere formas, vnam maſculeam, alteram verò fœmineam, quæ duo ſpermata maris atque fœminæ, ſulphuris priùs, elementa maſculina duo continet, ignem & aerem: poſteriùs alia duo fœminea, terram & aquam. Quæ duobus comparantur in arte ſerpentibus, vni alato, terribili, alteri quidem alis carenti multò horribiliori. Hæc duo ſpermata ſi per naturam coniungantur in ventre mercurij, qui propter ſuum ardorem vocatur ignis naturæ, & à nonnullis leo deuorans, & eius ventrem, licet

aurum & argentum ſubintrent, non abſumuntur, quòd illo natura duriora ſint, atque perfectiora. Mercurius eſt imperfectus, nihilominùs aurum & argentum communia proueniunt ex eo. Argentum eſt ſubſtantia lunæ inferioris, vt aurum ſolis etiam inferioris. Mercurium igitur matrem occidi, ac mori oportet p dicta ſpermata, qui poſtquàm ſemel mortificatus fuerit à natura, nunquá poterit ampliùs reuiuiſcere. Nam vel tantillùm congelatus in venis terreſtribus, adeſt mox in eo granũ auri fixum, qd' ex duobus ſpermatibus producit verũ germẽ mercurij. Vt à plumbi cauernis videre licet, in quibus nulla minera locorum vbiuis, in qua fixi granum verum non contineatur manifeſtè, id eſt, granum auri, vel argenti. Siquidem prima congelatio mercurij eſt minera plumbi, in qua poſitum eſt à natura. Hoc verè multiplicari poteſt in ſuam perfectionem abſque dubio vel errore, exiſtens tamen in ſuo mercuio nõ ſeparatum à ſua minera. Metallum enim in minera ſua conſiſtens, eſt mercurius, à quo ſi granum ſeparatur, vt pomum erit immaturum ab vrbe ſua deſumptum, quod prorſus deſtruitur. Granum fixũ eſt velut pomum, & mercurius arbor. Non eſt igitur ſeparandus ab arbore fructus, quia non poteſt aliunde nutrimentum accipere, quàm à ſuo mercurio. Maior eſt fatuitas in mercurium ponere aurum & argentum, non ſecùs atque diſcerptum pomum arbori rurſum infigere. Vt igitur negotium hoc adimpleatur ex æquo, ſumenda ſimul arbor cum ſuo fructu, quo denuò plantetur, citrà fructus ablationem, in fertiliorem terram atque nobiliorem,

rem, quæ plus nutrimenti dabit vnico die, quàm prior ager in centum annis exhibuiſſet, ob ventorum aſsiduam agitationem. Altera terra, quòd ſoli proxima ſit, creſcere vegetareque facit arborem, continuo rore, & aſsiduo ſole in horto philoſophico, manè veſperi, dies & noctes, ac in ſingulas horas, abſq; intermiſsione, lucente, arborq; rore dulciſsimo conſpergitur, ac nutritur, vno anno magis, quàm in priore terra decem millibus. Poſitis igitur ambobus in furno continui caloris dies & noctes, vapor eius, qui ros eſt, impedit combuſtionem. Lignorum vel carbonum calor eſt inutilis, imò noxius. Noluerunt itaque ſapientes Philoſophi in alia re quapiam operari, q̃ in ipſa natura, cùm ipſa luna, in matre congrua mercurio. Ex quo tandē generalem mercurium effecerunt, longè potentiorem & fortiorem illo naturali. Aſcende igitur in montem, vt vegetabilem, ſaturniam, regalem & mineralē herbam videas. Succus enim eius ſumatur purus abiectis fecibus. Ex eo namq; maximā partem operis tui perficere poteris. Verus eſt hic mercurius Philoſophorum. In primis igitur mercurium tuum ne laueris, ſed iungas ipſum cum patre ſuo, id eſt, cum igne, ſuper cineres, qui ſtramen ſunt, in vitro ſolo, abſque vlla re alia, quod nidus eſt, in furno, qui domus eſt: ex nido pullus naſcetur, qui ſuo ſanguine ſanabit omnes.

Fons Chemiæ.

FONS & cauerna metallorum omnium, eſt mater, ex qua naſcuntur & proueniunt illa ſeptem, vt ex ſua natura: item Saturnus, Iupiter,

Mars & Luna. Plumbum intellectualiter eſt aurum leproſum, &c. Fons autem naturæ ſi mercurium in eo poſitum recipiat, inde medicina fiet excellentiſsima. Naſcitur in terra maſſa plumbea mercurius, qui clauſus in carcere poſteà liberetur, alioqui non poteſt ſciri pondus, neque menſura, quæ deſideratur: ad eum tamen cognoſcere modum poteris. Solis mercurius, non eſt mercurio lunæ ſimilis, cū hic ſemper albus manere debeat, quo ſibi ſimilem procreet, mercurius verò Solis eſt rubificandus, & hic eſt labor primus: & poſtmodū congregari poterunt. Notandum vtique quintá eſſentiam eſſe nobis in hac arte præcipuè neceſſariam, & mercurium iſtū reperiri potiſsimùm eo loco, in quo ſol eſt in maximo ſuo calore, multosq; flores producit: ná poſt flores ſequuntur fructus. In luna ſimiliter inuenitur dū in ipſa quæritur: in Saturno, Marte, Venere, & in Mercurio ſecuriùs: ego autem (Flamellus inquit) in ſole reperi & elaboraui. Cùm igitur ſingula cōueniunt in hoc opere philoſophico, quorū quodq; ſimile eſt alteri, tū fœtus matrē deuorat, patremq; ſuum in vnico lacu ſuffocat, in quo ſimul flores, lac, fructus, atq; ſanguis inueniūtur. Metallum igitur hoc vnū in vnco vaſe ponendū, & in vnico furno. Mercurius eſt de quo loquor, & nihil aliud. In operis abbreuiationē vnicū habetur in hoc mundo metallū, in quo mercurius iſte noſter abundè reperitur. Aurum calidum eſt & ſiccum, Luna verò frigidæ naturæ, Saturnus grauis atque mollis: quapropter ſoli ſimilis hoc ipſo, aurū leproſum appellatur: Venus eſt Lunæ ſimilis pondere & malleatione, Mercurius frigidus

dus & humidus ſimilis Ioui, qui naſcitur ex eo, Mars autem durus grauis & frigidus. In duobus igitur negotium hoc omne conſiſtit, vt videlicet igne tuum ſulphur penetratiuũ efficias, & attractiuum, quo matrẽ ſuam deuorare queat, & complеueris opus. Matrem infige ventri ſui fœtus, quem anteà peperit, tum demũ ſibi pater erit, ac filius ex duobus ſpiritus perfectus. Poſtquá ſulphur tuum deuoratũ erit, mercuriusq; ſuus mortificatus, coniiciatur in carcerem, in quo maneat diebus quadraginta, & videbis quod optas, iuxta hos verſus: *Si fixum ſoluas, faciasq; volare ſolutum,*
Et volucrem figas, faciet te viuere tutum.

Io. Mehunnius de Lamentationibus naturæ.

SVB Luna quod cõcluditur, cœlum hoc loco vocatur, quia materia formam appetit, non secùs atq; fœmina virũ. Materia ſolùm eſt ex 4. elementis, ex quibus fit chaos, & ex iſto Rex atq; Regina generantur. Primò quidẽ creatus eſt ignis à Deo, quem ſub Luna collocauit, expertem corruptionis, & puriſsimá eſſentiæ quintæ partẽ in ſe continentem. Poſteà factus eſt aer ſubtilis, in quo Deus pariter eſſentiæ quintę partem poſuit, non tantam ac in igne, minorẽ in aqua, & in terra minimam. Vt ignis igitur in aerem agit, ſic aer in aquam, & in terram. Terra mater eſt, & nutrix omnium quę cõcipit in vtero ſuo ab igne: hoc ipſum fouet, in centrumq; vſq; ſuum abſq; intermiſsione. Cùm igitur ſola natura potentiam habeat reducendi 4. elementa in primam materiam generaliter mixtam, quibuſuis elementis. Impoſsibile fuerit cuiquam operantum id efficere, præter ipſam, quæ ſola dat materiam atque naturam.

Quinta namq; eſſentia, quæ cathena dicitur aurea, ad hunc modum contraria connectit & concordat, vt nunquam diſſentiant ampliùs. Conſiderandum in primis aurũ, quod pulcherrimam formam ſuam accipit in cœlo, & optimam in terra materiam, pariter & gemmæ. Cœlum igitur quintam eſſentiam informat forma & materia in elemento contenta, per quam forma detinetur: quę depuratione, & ſucceſſu longi temporis perficitur. Aurum itaq; & gemmæ per me naturam ſolam componuntur: nemo enim proportiones præter me nouit. Quod vtiq; quæris ſummũ eſt naturæ ſecretum, deſcendens ex virtute cæleſti. Quapropter tota ſcientia naturæ debetur, qua ſimplicitas elementi de cœlo depromitur: hæc in cœlo dicitur eſſentia primitiua, & in elemento quinta, quam ipſa reductionibus efficit, ac prolixis circulationibus, inferius in ſuperius conuertendo, & frigidum & ſiccum, in humido & calido conſeruando, lapides atq; metalla ſub humido ſuo radicali, cœleſtibus motibus aſtrorum, quibus elementa gubernantur, & eorũ obediunt influentijs: vt quantò purior eſt materia, tantò per naturam fiat excellentius opus. Cœleſtis itaque motus, eſt intelligentia correſpondens in inferioribus, in quibus per ſuas influentias omnia producit in eſſe. Vtitur ergo natura materia in igne quouis infallibili, quia ex iſto virtutem recipit omnem. Item aqua ex origine ſicca prouenıens, nihil quod tangit humectans, nõ recedens neque volatilis, eſt oleum incombuſtibile. Nullus artificialis ignis tantum calorem infundere poſſet, quantus ex cœlo prouenit. Cæterûm in

iſtis

iſtis non ignorandum, opus hoc noſtrum integrum fieri ex vili materia homogenea, in vnico vaſe clauſa, in vnico furno id continente, quod eam perficit: nam ſolo regimine perficitur, imitando naturá. Hæc in generatione hominis, corpus admodum ſubtiliter format ex argẽto viuo, & ſulphure maſculino agente, ſolo vaſe, matrice videlicet contẽte, cuius furnus venter eſt, quamuis auxilietur homo per ſuam artem, dum ardet in ſua natura, materiam congruam infundendo, præter quod, aliud nihil efficere poteſt. Non ſecùs in arte noſtra, ſi quis eligere norit materiam eiuſmodi, qua natura delectatur, eamque ritè præparatam ſuo vaſe & furno concludere, ego (inquit natura) & ipſe perficiemus abſque mora, modò requiſitum ignem adminiſtrarit naturalem, contra naturam, non naturalem, & abſque ardore: ignem (inquam) calidum, ſiccum, humidum, & frigidum. Conſidera igitur qualem eſſe oporteat: nam abſque igne & materia nihil fit in hac ſcientia. Do tibi materiam (inquit natura) forma eſt, quòd ipſi tibi pares, non dico ſubſtantialem, neq; accidentalem, ſed conſtruendi vas, atque furnum. Deinceps præpara materiam tuam in puluerẽ factam cum aqua ſua, vaſe cõcluſam vnico: rege calore temperato, hic promouebit actionem, & frigiditas putrefactionem. Siquidem ob magnam frigiditatem non poſſet impedire ſiccitas, neq; reſiſtere huic agenti, quin argentum viuum ſtatim reducatur in primá materiam integra connexione. Proinde priuſquàm opereris (inquit natura) diſce me cognoſcere, quæ mater ſum, ſine qua nulla creatura poteſt eſ-

ſentiam recipere, vegetare, neque animam habere ſenſitiuam abſque cœlo & elementis. Eſt vtique medium inter mercurium & metallū, quod ſumendum eſt ad artem noſtram: Eſt (inquam) aurum potabile, & humidum radicale, ſummaq; medicina, quam per tuam artem, & meam ſcientiam perficimus. Abſq; me, quæ materiam exhibeo, nihil vnquam efficies, & abſque te, qui miniſtras, non poſſum hoc opus exequi ſola. Sed per me & te breui tempore conſequeris. Tranſmuta quatuor elementa, metalla deſerens & atramenta, ſub ſpecie tranſmutabili, quæ materia notatu digna fuit à Philoſophis vſurpata, & ab ignaris contempta. Similis eſt auro ſubſtantia, diſsimilis eſſentia: Conuertens eius elementa, quod quæris inuenies, inferiora ſublimando, & ſuperiora in inferiora conuertendo. Sumito igitur viuum hoc argentum agente ſulphure mixtum, & vnico vaſe, vnico furno etiam concluſum, inhumetur vas pro tertia parte, ſupraque philoſophicum ignem contineatur: omniſque ſpecies, præter materiam ſolam à qua minera ſumit originem, relinquatur.

Reſponſio.

NVTVRA mouens ſuperiora digitis & pedibus, inferiora tranſmutat elementa vſque in centrum terræ ſine intermiſsione, à cœlo primá formam accipit, & materiam ab elementis: quamuis hæc materia confuſa ſit, & non diffuſa, donec per naturam ſpecificetur, & qualificetur. Tum demùm recipit formam ſubſtantialem, & poſteà viſibilem accidentalem. Formam priorem tranſmutat,

mutat,vt informet noua forma materiam. Obiectum namque potentia ſubiectum eſt, quia ſubſtantiam in actu, qui priùs fuit in potentia, ſuſtinet. Aurum ſcitur eſſe minerarum omnium theſaurum, attamen formam non habet, neque materiam tantæ potentiæ, vt ſuam excedat perfectionem: non habet enim maiorem potentiam, quàm perficiendi ſeipſum, quicquid moliatur artifex. Ipſum deſtruere ac in eſſe reducere, fatuum eſſet opus, cùm ex eo nihil plus virtutis, neque potentiæ haberi poſsit, quàm obtinet ex propria ſua natura. Nulla fit reductio eorum, quæ natura perfecit in ſpeciem, vel in indiuiduũ, niſi primò corrumpantur. Etiam poſt corruptionem generatio non fit ſpeciei ſimilis, niſi fiat regreſſus in hoc genus. Quapropter auri deſtructio viam nõ ſternit ad ipſum conſtruendum, quia per ſui deſtructionem conſtrui nihil poteſt: ipſo namque mortuo pariter moritur eius ſubſtantia, vt ex eo non poſsit ampliùs aliud argentum viuum enaſci, neque metallum. Et quia elementum ignis in terra continetur, & aeris in aqua, quorum quantitatem, qualitatem, proportionem perfectę coniunctionis ſuæ nemo nouit, ſeparanda non ſunt elementa, cùm reparari nequeant. Solùm id igitur quod natura generauit, nobisque reliquit ſumendum ad artem. Summatim elementorum ſeparatio non fit effectualiter argenti viui, neque ſolis, qui pater eſt artis filio ſuo ſpiritum impertiens.

Autoris incogniti.

EST in mercurio quicquid quæritur, ex quo

corpus, ſpiritus, & anima trahitur, vnde puriſsima & mundiſsima tinctura prouenit. Humor eſt pretioſus, hominem lætificans, factus ex terra, aqua & igne. Corpore vtiq; purgato, conceptoq; ſpiritu, tandem clarus fons exurgit, in cuius fundo iacet leo viridis, aut ſerpens qui extenditur. Si expergefiat in altum aſcendit, & poſtquàm ei deficit animus, deorſum decidit in balneum, quo tantiſper lauatur donec rubeſcat, lauatur (inquam) aqua vitæ vſq; dum non agnoſcatur ampliùs. Poſtremò vertitur in digniſsimũ lapidem, primò album, & poſteà citrinũ viſu pulchrum, atque delectabilem. Sis igitur de mercurio vero ſollicitus, quem natura generauit, & qui cũ ſuo patre moratur proſperè, proſperaque reddit imperfecta metalla.

Teſtamentum Arnaldi Villanouani.

LAPIS generatus, ortusque de terra per eleuationem perficitur, aquæ potione ſatiatus. Infra duodecim horas, vt minimum inflatur, & intumeſcit circumquaque viſibiliter. Poſtmodùm in balneo poſitus, vel in aeroſo hypocauſto moderatè calido & ſicco, ac purificatus ab extraneo vapore, ſoliditatem ſuarum partium acquirit, extenuatusq; ſuperflua humiditate, fit idoneus ad commixtionẽ. Quo facto, ex purioribus eius partibus exprimitur lac virgineum. Quod mox inde poſitum in ouum philoſophicum, proprio & continuato calore, foueatur vt pro pullorum excluſione. Varietate ſuorum colorum nudatus, gaudet cum ſub compare, colore tinctus inſtar niuis. Inde pòſt abſque periculo reſiſtit ignis violentiæ,

lentiæ,tantiſper,donec pauonis coloribus ornatus, de monumento deinceps egrediatur cum Regali ſummaque potentia

Etſi breuis admodum hic videatur eſſe proceſſus, prolixiſsimis tamen circunſtantijs nō caret,ac operationibus. Singula compendioſè tractantur, quæ circa hoc opus neceſſaria ſunt opera, per ſingulas periodos optimè conſideranda, nec inconſideratè prætereunda. Nam faciliùs ex tantillo ſermone veritas comprehenditur, huius diuinæ ſcientiæ, quâm ex copioſiſsimis & innumeris voluminibus, multitudine varietateq; veritatis vnitatem & ſimplicitatem contegentibus.

ALIAE QVAEDAM ANNOTATIONES EX VARIIS AVTORIBUS.

De ſolutione & coagulatione materiæ Chimicæ.

CVM ſolutio ſit præcipua huius artis operatio,primò de hac dicendum erit, adductis variorum Philoſophorum autoritatibus, quo faciliùs intelligi queat,vna aliam interpretante. Hæc ſunt igitur, quæ colligere voluimus, & attexere noſtris collectaneis. Etenim ex varietate mens Philoſophorum petenda eſt, ſi reducatur comparationibus ad vnum & eundem ſenſum. In quibus maxime conuenire videntur,hoc ipſum eſſe quod quæritur, non dubitandum. Totum vtique negotium

operis diuini philoſophici conſiſtit in his duabus operationibus, videlicet in ſolutione & congelatione. Solutio igitur ex ſententia Gebri, eſt rei ſiccæ in aquam reductio.

SCALA PHILOSOPHORVM.

Solutio lapidis eſt reductio eius in mineralem aquam.

VILLANOVANVS.

Soluimus (inquit) quando corpora diuidimus, ea ſimplicia & ſubtilia reddimus, atque in primam naturam & materiam reſoluimus.

AVICENNA *de materia prima.*

Duplex eſt materia prima, propinqua & remota: propinqua eſt argentum viuum: remota eſt aqua. Quia argentũ viuum priùs fuit aqua, deinceps argentum viuum.

LVLLIVS.

Diſſolutio primariam intentionem habet, ad deſtruendum cum lunaria.

CLANGOR BVCCINAE.

Prima materia haberi non poteſt, niſi per operationes artificiales, naturalibus operationibus contrarias.

AVTOR INCOGNITVS.

Quàm difficilis res ſit diſſolutio, teſtari poſſunt, qui ſolutioni dederunt operam. Multi ad eam ſua imperitia peruenire non potuerunt. Qui aliter igitur quàm per noſtrum artificium ſoluit, fruſtrà ſoluit.

CLANGOR.

Solutio eſt opus naturæ, & non artis: artifex tantùm naturæ miniſter eſt, & adiutor.

AVICENNA.

Vt aqua eſt prior & propinquior materia lapidis, ita altera materia lapidis, eſt ſpiritus metallorum.

ROSARIVS.

Qui cupis inueſtigare huius artis ſecretum, cognoſcere te oportet primam metallorum materiam, alioqui tuo labore fruſtraberis.

VILLANOVANVS.

Diſſolutio eſt ſapientiæ perfectio: oportet enim vt ipſa ſapientia quæratur: alioqui non inuenietur. Propterea dixit Hermes: Homo non poteſt habere, nec reperire diſſolutionē, niſi per ignem diuini ingenij.

AVICENNA.

Verum principium noſtri operis eſt diſſolutio lapidis. Idem: Primū regimē lapidis eſt, lapidem ſoluere, & in ſuam primam naturam reducere.

VILLANOVANVS.

Indiges tu, quicunque vis operari, vt in ſolutione & ſublimatione duorum luminarium primò labores. quia primus gradus operationis eſt, vt fiat argentum viuum ex ipſis.

LVDVS PVERORVM.

Artifex noſtri operis primò debet lapidem ſoluere, deinde coagulare: quoniam opus noſtrum

nihil aliud eſt, quã facere perfectam ſolutionem & congelationem.

CLANGOR.

Tota hæc ars in hoc vertitur, vt iungamus humidum ſicco: id eſt, vt ſoluamus & coagulemus. Humidum eſt ſpiritus liquidus ab omni ſorde mundatus. Siccum eſt corpus perfectum purum & calcinatum.

MIRNERIS.

Siccum eſt terra: humidum verò eſt aqua.

ARISTOTELES CHIMIOGRAPHVS.

Primũ quod facere debes in opere, eſt, vt mercurium ſublimes, deinde vt in mercurium mundum corpora munda mittas.

CALID.

Niſi conuerteritis corpora in ſubtilitatem, vt ſiue impalpabilia tactui, nõ dirigetur vobis quod quæritis. Et ſi trita non fuerint, reuertimini ad operationem, quouſq; terantur, & fiant ſubtilia. Quod ſi feceritis, vobis quod optatis dirigetur.

TVRBA.

Niſi corpora fiãt incorporea, nihil operamini.

GEBER.

Nullum argentũ poteſt fieri, niſi omnia priùs ſoluantur.

ROSARIVS.

Qui aurũ ſcit deſtruere, ita quòd ampliùs non ſit aurum, is ad maximum arcanum peruenit.

IOAN. AQVINAS.

Faciliùs eſt aurum conſtruere, quã deſtruere.

SCALA PHILOSOPHORVM.

Solutio lapidis eſt occulti reuelatio, craſsitudinis attenuatio, rei duræ & ſiccæ in quandam liquidam ſubſtantiam reductio.

VILLANOVANVS.

Aurum & argentum in penetralibus terræ dura, ſicca, & ſtrictiſsimè ligata reperiuntur. Per diſſolutionem verò artificialem mollia redduntur, fluentia & ſubſtantia liquida. Idem: Natura in ſuo corpore tincturam occultat, quam ars manifeſtat cruciando, & torquendo corpus, modò per aquam, modò per ignem. Item: Non pigeat vos cruciare & corrumpere corpus terendo, & imbibendo donec aquam extraxeritis, & corpus tenue factum ſit, ac impalpabile.

CLANGOR.

Corpora metallorũ diſſolutione diſſoluuntur.

VILLANOVANVS.

Aqua Philoſophorum beneuolè & naturaliter diſſoluit metalla, cum quibus non ingrato, neq; contrario vinculo colligatur. Idem: In aqua Philoſophorum virtus ineſt humida, proprietatem habens, quæ ſine damno & detrimento corpus torquet.

BERNARDVS.

Similitudinariè generantur per artem homo & aurum: tamen horum ſpermata & ſemina per artem generari non poſſunt, eò quòd illam proportionem mixtionis, ad producenda ſemina, ars neſcit componere.

CONGREGATIO PHILOSOPHORVM.

Natura eum gradum, quem perficere poteſt, perficit, ſed quem præterire nequit. Alius: Natura continet in ſe ea quibus indiget: ſed nō perficitur, niſi arte moueatur, & operatione. Item: Primæ diſpoſitiones lapidis nulla arte induci poſſunt, natura ſolùm hoc facere poteſt. Item: Materia lapidis fit à natura. Materiam facere per aliquod artificium impoſsibile eſt. Lapis enim à natura creatus inuenitur, nec alio indiget, niſi vt remoueatur quod ſuperfluum eſt in eo, id eſt, in materia eius.

AVICENNA.

Lapis non fructificat, donec ad nihilum deueniat tanquam aqua decurrens.

TVRBA.

Totum magiſterium noſtrū fit cum aqua noſtra, ex ea, & de ea fiunt omnia neceſſaria. Nam ipſa ſoluit corpora ſolutione vera & philoſophica, vt conuertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt. Alibi: Niſi quodlibet vertatur in aquā, nullatenus deuenietur ad perfectionem.

ALPHIDIVS.

Niſi naturas attenues, aquam illas faciens, nihil colorare potes: fac ergo corpora eſſe aquam liquefaciendo, quæ apud Philoſophos aqua ſapientiæ nuncupatur.

ROSARIVS.

Aqua permanens, ſiue perennis, ſiue vinum ardens dicitur aqua corporis, id eſt, quando corpus

pus redactum eſt in mercurium. Item: Aqua permanens eſſe non poteſt abſque ſuo corpore, cum quo ſoluta eſt. Item: Abſque aqua permanente nihil fit. Dicitur etiam aqua vitæ. Item: Solùm cum ardente vino, potes complere elixir perfectum.

SCALA.

Draco eſt ſulphur, quod extrahitur de corporibus per magiſterium.

AVICENNA.

Qui elixir album facere inſtituit, in argento ſulphur albũ reperiet, in auro rubeum. Et quoniam tale ſulphur non reperitur ſuper terram, niſi in iſtis duobus corporibus, ideò præparanda ſunt corpora ſubtiliter, vt ſulphur eorum, & argentum viuum ex ipſis habere poſsimus, qualia fuerunt illa, ex quibus aurum & argẽtum ſub terra efficiebantur.

CLANGOR.

Soluite corpus perfectum in mercurium, inde habebitis virtutem occultam, id eſt, ſulphur philoſophicum digeſtum, & decoctum per opus naturæ, quemadmodum in minera digeritur, & decoquitur.

LVDVS PVERORVM.

Oportet noſtrum lapidem ad primam materiam reduci, & ad originem ſulphuris & mercurij.

CLANGOR

Et tale argentum viuum dicitur oleum in-

combuſtibile,anima,aer, & ſplendor corporum, quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis vitam præſtat immortalem, & ea illuminat.

GEBER.

Principalia naturalia in opere naturæ ſunt,ſpiritus fœtens, id eſt,ſulphur, & aqua viua.

CLANGOR.

Diſſolutio corpus in naturam ſpiritus conuertit.

ROSARIVS.

Oportet omninò quòd fixum fiat volatile : id eſt,quòd corpus fiat ſpiritus, idque cum volatili, id eſt,cum mercurio mundo.

CLANGOR.

Spiritus, id eſt, aqua Philoſophorum, eſt locus animæ. Anima eſt tinctura à corporibus perfectis extracta,& in ſpiritum,id eſt,in aquam Philoſophorum deriuata.

VILLANOVANVS.

Hæc eſt via qua ſecretum conſequimur conficiendi ſulphuris albi & rubei: quod eſt anima corporis,quæ à corpore educta,tingendi vim habet, quam ſpiritui aquæ vitæ committit conſeruandam.

SCALA.

A`radice conuenit extrahere naturam, id eſt, primas partes eſſentiales, ſine quibus nulla fit metallorum tranſmutatio.

VILLANOVANVS.

Intentio noſtræ operationis non eſt aliud,niſi

quôd eliciatur, & eligatur puriſsima ſubſtantia ex ſole & luna.

CLANGOR.

Extrahe argentum viuum, ſeu lapidem philoſophicum tam à corporibus, quàm à viuo argento: quoniam vnius ſunt naturæ, & habebis mercurium & ſulphur, de illa materia ſuper terram, de qua aurum & argẽtum generata ſunt in terra.

COMMVNIS SENTENTIA.

Mercurius Philoſophorum conſtat argento viuo & ſulphure.

BERNARDVS.

Sol nihil aliud eſt, quàm ſulphur & argentum viuum. Terram, inquit, & aquam mercurio attribuunt, aerem & ignem ſulphuri. Terra & aqua ſunt elementa paſsiua, aer & ignis actiua. Terra & aqua fœminæ rationem habent, aer & ignis viri, nec eſt alia extranea additio, niſi digeſtio, qua mediante, omnia quatuor in auro circundantur, & æquali proportione maturantur.

COMMVNIS SENTENTIA.

Corruptio vnius eſt generatio alterius, idque tam in artificialibus, quàm in naturalibus. Aliter: Secundùm naturam nihil generatur, quod priùs non corrumpatur, & nihil reſurgit, quod præmortuum non ſit.

BERNARDVS.

Si aurum in argento viuo decoquatur, ſeu diſſoluatur debito modo & via naturali, ipſum argentum viuum naturales proprietates auri obti-

nebit. Idem: Solutio quæ fit per aquam Philoſophorum, formam quidem corrumpit, exteriorem corporum ſolutorum, at non corrumpit materiam.

VILLANOVANVS.

Quod diſſoluit corpus à ſpiritu eſt, quod verò coagulat ſpiritum à corpore eſt. Alibi: Spiritus diſſoluit, corpus coagulat. Idem: Quantùm corpus ſoluitur, tantùm ſpiritus coagulatur. Quòd ſi corpus non ſolueretur, neque ſpiritus inſpiſſaretur. Alibi: Quod à corpore ſoluto exit, humiditas eſt radioſa, quod diſſoluit corpus, de ſpiritu prodit, & virtus eius eſt germinoſa. Idem alibi: Solutio corporis fit cum coagulatione ſpiritus, & coagulatio ſpiritus cum ſolutione corporis. Tunc miſcetur corpus cum ſpiritu, & fit vnum cum eo, nec vnquam ſeparantur, non magis quàm aqua mixta aquæ.

CLANGOR.

Quando ſperma mercurij iungitur cum terrà corporis, corpus diſſoluitur in aquam ſpermatis, & fit aqua vna ſine diuiſione.

VILLANOVANVS.

Intellige autem corporis ſolutionem, & ſpiritus coagulationē, ſimul eodemq; tempore fieri.

ROSARIVS EX CALIDE.

Solutio corporis, & coagulatio ſpiritus ſunt duo, ſed habent vnam operationem. Quia ſpiritus non coagulatur niſi cum ſolutione corporis, nec corpus ſoluitur, niſi cum coagulatione ſpiritus. Ideò inter ſolutionem corporis, & coagulationem

tionem ſpiritus non eſt differẽtia, nec diuerſum opus in aliquo, ita vt fiat vnũ ſine alio. Quemadmodum videmus fieri, cùm aqua vulgaris terram conatur ſubtiliorem efficere, & in ſuam materiam ſoluere: eodẽ enim tempore aqua denſior & ſpiſsior fit, terra autem ſubtilior & rarior.

LVLLIVS.

Multi Philoſophorum in aqua forti communi, facta ex vitriolo & ſale nitro, corpora metallorum diſſoluebant, & per euaporationem trahebant aquam illam, tunc calx in fundo vaſis remanebat, quam poſteà cum aqua dulci communi abluebant: deinde aquam illam per euaporationem tollebant, & calcem cum menſtruo diſſoluebant, vt opera ſua conficerent, quæ, ſecundùm quòd competebat, finem non conſequebantur optatum. Diſſolutio enim quæ fit cum aqua forti, non eſt ſicut natura poſtulat. Idem alibi ſic: Aurum & argentum ſoluuntur in rebus radicalibus ſui generis, non autem cum fortibus aquis, quæ metalla corrumpunt: quoniam illæ aquæ repugnant naturæ.

ROGERIVS.

Metallis nihil adhæret, neq; eis coniungitur, neque tranſmutat, niſi quod ex illis eſt.

BERNARDVS.

Fatui ex mineralibus conficiunt aquas per diſſolutionem corroſiuas, in quas mittunt ſpecies metallorum, & corrodunt eas, & non ſoluunt ſolutione naturali, quę requirit permanentiam amborum, nempe ſoluentis & ſoluti.

Idem: Nulla aqua naturali reductione ſpeciem metallicam diſſoluit, niſi illa quæ permanet cum ſpecie metalli in materia & forma, & quá metalla ipſa poſſunt recongelare. Quod non eſt in aquis fortibus ad ſoluta corpora non pertinentibus. Corpora quidem per aquas fortes corroduntur, ſed non ſoluuntur. At quantò magis corroduntur, tantò magis à metallica ſpecie alienantur.

VILLANOVANVS.

Per ſolutionem corpus cum ſpiritu miſcetur, & cum eo vnum fit, ita vt alterum ab altero nunquam ſeparetur.

CLANGOR.

Corpus diſſoluitur in aquam ſpermatis, & inde aqua fit vna ſine diuiſione.

PHILOSOPHVS.

Melior eſt ſolutio voluntaria quàm violenta, & temperata quàm feſtiua: & ideò cauendum eſt, ne vis formæ generatiua cum corroſiuis & adurentibus ſuffocetur.

ROSARIVS.

In noſtro lapide ſol & luna viui ſunt, alioſque ſoles & lunas ex ſe gignere poſſunt. Aliud aurum ab hoc, & alia luna mortua ſunt: remanſit enim vis & potentia eorum in ſolutione facta per noſtram aquam. Alia aqua ea perdidiſſet, ac ſterilia reddidiſſet.

VILLANOVANVS.

Solutio tantùm fit, per argentũ viuum: ipſum enim ſolùm poteſt ſolem & lunam ad primam mate-

materiam redigere. Idem: Totum beneficium huius artis in mercurio ſole & luna conſiſtit.

ARISTOTELES.

Si nihil aliud haberemus à mercurio, quàm quòd corpora ſubtiliat ad naturam ſuam, non parum nobis præſtaret beneficium.

GEBER.

Omnis ſolutionis perfectio adducitur cum aquis ſubtilibus, & maximè acutis, acribus, ponticibus, & fecem nullam habentibus, ſicut eſt acetum deſtillatum, vua acerba, pyra multæ acritudinis, mala granata deſtillata, & his ſimilia.

VILLANOVANVS.

Corporis ſoluti, & aquæ ſoluentis natura vna eſt, niſi quòd natura corporis completa eſt, digeſta, & fixa: aquæ autem natura, incompleta, indigeſta, & volatilis.

REGOR.

Argentum viuũ eſt ignis corpora comburens, mortificans & confringens.

ROSINVS.

Aqua tantò eſt igne calidior, quantò ignis eſt calidior aqua.

ROSARIVS.

Aqua noſtra eſt fortior igne, quia facit de corpore auri merũ ſpiritum, quod ignis facere non poteſt. Idem: Spiritus eſt totus igneus per ſuam igneitatem ſoluens, & diuidens corpora.

TVRBA.

Comburite æs noſtrum igne fortiſsimo.

CALIDIVS.

Minor ignis omnia terit: minùs enim operatur, quàm aqua noſtra, quæ corpus ſoluit, quod ignis facere nequit.

LVLLIVS.

Sciri poteſt materiam primam noſtri lapidis eſſe ex natura mercurij viui, & ſulphuris: quoniam ipſa non poteſt in igne corrumpi, nec in aqua, nec in aere.

ROSARIVS.

Aliqui dixerunt, quòd argentum viuum vulgi adhæret corporibus, quòd eſt falſum. Quod enim Geber ait: Non inuenimus inuentione noſtra rem aliam magis, quàm argentum viuum amicari corporum naturis. Hoc totum intelligendum eſt de argento viuo philoſophico. Ipſum enim ſolùm adhæret corporibus, nec vllam aliam rem inuenire potuerunt Philoſophi antiqui, nec moderni inuenient aliam rem, quæ corporibus adhæreat, niſi argentum viuum philoſophicum: quia argentum viuum vulgare non adhæret corporibus. Et propter hoc multi ſunt decepti operando in illo argento viuo vulgi.

LVLLIVS.

Qui cum forti aqua diſſoluunt, ignorant vegetabilia noſtrum menſtruum acuentia, ignorant etiam aquam mercurij vulgi, quam nos ſcripſimus in Teſtamento noſtro.

VILLANOVANVS.

Vt natura mutet naturam & conuertat, tantùm eo indiget, quod ſuæ eſt naturæ. Item quod

ſoluit

ſoluit, & ſoluitur vnius ſunt generis & naturæ. Idem: Vera non eſt, neque philoſophica corporis ſolutio, neque ſpiritus coagulatio, ſi in diſſolutioné erit materia, & natura extranea.

DASTINVS.

Oportet vt elementa aquæ ſint eiuſdem naturæ cum elementis metalli tranſmutandi, alioqui degener ſoboles erit: quoniam ex diuerſitate partium naſcitur & totius diuerſitas. Quomodo ſimilitudo ex eis eſt, quæ ex vno genere ſunt, & ex vna radice pullulant.

ROSARIVS.

Lapis Philoſophorum fit ex tribus: ſcilicet ſole, luna, & mercurio. Item: Fac mercurium ex ſole & luna in ſuo eſſe, ſine mercurio vulgi, ſed per viam philoſophicam.

LVLLIVS.

Lapis componitur ex argento viuo metallorum, non ex argento viuo vulgi.

NOVVM LVMEN.

Argentum viuum noſtrum non eſt argentum in propria natura, nec adhuc in natura ad quam deductum eſt per minerũ, ſed in natura ad quam deduxit illud artificium noſtrum.

RICHARDVS.

Mercurius crudus diſponit corpora in primã materiam, ſed mercurius corporũ id facere non poteſt. Idem: Quia per congelationem illud crudum ſulphur, quod antea, (id eſt, ante congelationem) in illo fuit, eſt alteratũ in natura, & ideò non corrodit ſicut primum.

PHILOSOPHI IN GENERE.

Ab immũdo ne quæras mundiciem. Stultum eſt ex re querere, quod in ea nunquam fuit. Quis dabit quod non habet? Quæ illa eſt inſania, velle ex deteriore facere, quod ſit meliùs: hoc eſt, perfecta facere ex imperfectis?

LVLLIVS.

Cœlum, lunaria, menſtruum, liquor vegetabilis, aqua argẽti viui rectificata & acuata cum vegetabilibus, eſt cum qua fit diſſolutio metallorum naturalis.

VILLANOVANVS.

Aquæ ſolutionis ex ſalibus, aluminibus, & aliis id genus confectæ, quæ cum metallis nullam habent cognationem, ſpecies metallorum non conſeruant: contrà, deſtruunt ac diſsipant. His aquis contraria eſt aqua Philoſophorũ, quæ metalla conſeruat, ſubtiliora reddit, deinde diſſoluit, & magno naturæ conſenſu ea in primá tranſfert materiam.

TVRBA.

Accipite ſpiritum nigrũ non vrentem, & cum eo corpora ſoluite, & diuidite.

CLANGOR.

In aqua Philoſophorum latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, cuius ſolius eſt magiſtraliter corrumpere, & in ſuam primá materiam transformare.

ROSARIVS.

Succus lunariæ fit ex vino noſtro, quod paucis filijs noſtris notum eſt, & cum illo fit ſolutio noſtra, & fit aurum probabile noſtrum, mediante

te illo, & ſine illo nequaquam.

LVLLIVS.

Menſtruum abſque auro & argento, lapidem philoſophicum generare non poteſt, nec econtrà. Vbi autē illa coniunguntur, menſtruum mouet metalla ad diſſolutionem. Et viciſsim metalla mouent menſtruum ad producendum ignem in lapidibus,

CLANGOR.

Si corporis imperfecti, ſcilicet terræ fuerit vna libra duodecim vnciarum, fixatur cū imbibitionibus ſuis nonaginta diebus.

LVLLIVS.

In ſingulari aqua de corpore rubeo præparato, id eſt, de terra noſtra rubea præparata, & in tenues laminas coaptata, vel in puluerem limaturæ redacta, pone duas drachmas, id eſt, quartam partem vnius vnciæ. Quod ſi plus ſoluere poteris plus apponas, verumtamen non excedas vnciam vnam. Si de terra remanſerit aliquid non ſolutum, relinque in vitro: quod autem ſolutum eſt, ſepone: poſteà quæ terra non ſoluta reſtitit, cum noua ſoluenda ponatur. De noua autem terra non ponas duas drachmas, ſed minùs, nempe quantùm relicta terra ponderat. Quod intellige, niſi perſpexeris aquam plus ſoluere poſſe.

GEBER.

Modus ſolutionis duplex eſt: ſcilicet per fimum calidum, & per feruentem aquā: quorum vna eſt intētio, & vnus effectus. Modus ergo per fimum eſt, vt ponatur calcinatum in ampullam

vitream; & ſuper illud fundatur quantitas aceti deſtillati, vel conſimilis duplum eius, & obturetur caput ipſius benè, ne reſpiret, & ſub fimo tepido ſolui dimittatur: poſteà per deſtillationem filtri ſolutum remoueatur: nō ſolutum verò iteratò calcinetur: & poſt calcinationem iteratò ſimiliter ſoluatur, donec per iteratione operis ſuper illud, totum ſoluatur. Modus verò ſolutionis, quæ fit per aquam bullientem velocior eſt, & eſt vt calcinatum in ampullam ordinetur cū aceto obturato foramine, ne reſpiret. Quæ ampulla in caldario pleno aqua & ſtramine ſepeliatur, & poſteà ſuccendatur ignis ſub ea, donec aqua per horam ferueat. Poſt hoc verò ſolutum deſtilletur, & ſeorſim ſeruetur, non ſolutum verò iteratò calcinetur, & iteratò eodem ordine ſoluatur, donec per reiterationem totum ſoluatur.

SEMITA SEMITAE.

Accipe pretij librā vnam, cum quatuor libris aquæ: tere & incorpora cum ſale modico, & aceto, quouſque fiat totum amalgama. Pretio optimè amalgamato, pone ipſum in multam quantitatem aquæ vitæ, id eſt, mercurij. Pone ſuper cineres, & ſit ignis lentiſsimus per diem naturalem. Sine vas infrigidari, & cola aquam per pannum lineum, vt tranſeat quod de corpore fuerit reſolutum. Quod remanſit in panno, cum noua aqua benedicta repone ad ignem per diem naturalem, cola vt priùs. Toties reitera, donec totum corpus in aquam conuertatur.

VILLANOVANVS.

Tere libram vnam limaturæ mundæ in mortario,

tario, cum quatuor libris mercurij. Illi libræ duodecim libras aquæ vitæ dato. Pone totum in vrinali, & ſuper ignem cinerum debilem & lentum, & per diem coque. Frigefacto vaſe, aqua coletur, vt cum ea tranſeat, quod de corpore & limatura ſolutum erit, eam aquam ſepone. Et quod ſolutum non eſt, cum noua aqua benedicta ad ignem repone per diem & noctem. Cola vt priùs quod eſt ſolutum, & hanc ſecundam aquam pone cum prima. Ita fac, donec tota limatura in aquam, id eſt, in primam materiam conuerſa ſit.

LVLLIVS *in luce mercuriorum.*

Recipe vnciam vnam ſolis puriſsimi, pone vnciam illam in vitreo vaſe, & ſuperpone vnciam vnam cœleſtis menſtrui, vel duas, ad plus, & immediatè claude vas, ne reſpiret, pone vas in igne cinerum per diem naturalem ad leniter bulliendum. Menſtruum diſſoluendo ſolem colorabitur, colore citrino reſplendente, poſteà ſoluto ſole, pone in balneo Mariæ per alium diem naturalem. Poſteà per tranſitũ de vno vaſe in aliud vas, menſtruum ſic coloratum in alio vaſe repone, & vaſe ſigillato ad partem ſerua. Deinde ſuper ſolem qui remanſit inſolutus in fundo vaſis, pone de alio nouo menſtruo, vt ſuprà diximus. Et demùm clauſo vaſe, pone in igne cinerum p alium diem. Deinde extrahe ſolutum per tranſitum, vt ſuprà in alio vaſe cum alio ſole ſoluto. Et ſic cum nouo menſtruo reitera ſolutionem prædictam, donec menſtruum ampliùs non coloretur, & in fundo vaſis manebit de terra ſolis abſque anima. Idem: Accipe calcem cuiuſcunque corporis vo-

lueris, pone in ampulla, quæ habeat longum collum. Superfunde aquam lunariam, vt ſupernatet quatuor digitis. Pone ſuper cineres, vbi bulliat per diem naturalem. Deinde pone in ſimo per duos dies naturales, vt meliùs digeratur, & vt materia ſeparetur per partes ſubtiles à groſsitie ſua. Pòſt extrahe ampullam. Recipe aquam illam claram in vna cucurbita, & caue ne feces turbentur, dum vas inclinatur. Mox cooperi cucurbitam, & pone in fimo vt priùs. Vaſe autem benè obturato, & facta euacuatione, ſuperfunde aliam aquam ſimilem primæ, quæ ſupernatet vt priùs, & pone in fimo. Iſtas operationes reiterabis, donec corpus à ſuis ſpiritibus euacuetur. Idem: Accipe aurum, & proiice ipſum in aquam vegetabilem. Sit aurum ad pondus aquæ vegetabilis. Pone illud totum in digeſtione balnei per ſex dies naturales, & aurum diſſoluetur in aquá, in colore croci. Poſteà verò deſtilla menſtruum in deſtillatione balnei. Poſteà ſuperpone aliam lunariam recentem, & pone iterum in digeſtione balnei alios ſex dies naturales. Et tunc extrahe & mitte illud, quod ſolutum eſt, in aliam ampullam, & ſuper illud, quod remanſit finitis ſolutionibus, & deſtillationibus, iterum de menſtruo ſuperpone ad quantitatem terræ, & pone in digeſtione balnei per quatuor dies naturales. Et illud quod ſolutum eſt de metallo, ſimul cũ menſtruo pone in cucurbitã vt priùs, & ſic fac vſq; ad ſex inhumationes & deſtillationes, & illud quod remanſit finitis deſtillationibus, de fecibus non cures.

GEBER.

GEBER.

Non ſolutum iterato calcinatur, & poſt calcinationem iterato ſoluitur.

COMES.

Opus diſſolutionis graue eſt, & difficile: expedit autem corpora ſoluere per aquam ſolam: id eſt, per argentum viuum ſine calcinatione: quoniam iſtud eſt ſecuriùs, licet in operatione ſit tardius, tincturam igitur non feſtines extrahere. Feſtinatio omnia comburit, & ad remotum perducit. Potenter ſuſtine, coque, & non te tedeat.

ALPHIDIVS.

Multitudo & diuerſitas relinquéda, vna diſpoſitio quærenda.

LVLLIVS.

Terra rubea vbi purificata & mundata fuerit, & in tenues laminas coaptata, ponenda eſt in aquam, ibi non ſoluetur primò in aquam, ſed tantûm calcinabitur, & in puluerem rubeum quodammodo ſine tactu reducetur. Idem terrá eam deſicca ſecundûm ſuum modum, ita quòd puluis ſuper eam non cadat, donec aliam aquam attuleris, in qua poſsit diſſolui.

SCALA.

Sol & luna cum prima aqua calcinantur philoſophicè, vt corpora aperiantur, & fiant ſpongioſa & ſubtilia, vt aqua ſecunda meliùs poſsit ingredi ad operandum ſuum opus.

ALBERTVS.

Mercurius noſter fit ex corporibus perfectis, &

nõ ex imperfectis: hoc eſt, cũ aqua ſecunda, poſtquàm per primam aquá fuerint debitè calcinata.

ROSARIVS.

Fixum fit volatile ſpatio vnius menſis.

CLANGOR.

In diſſolutione facienda, terra toties terenda, id eſt, in igne continẽda, & aqua eſt illi adiungenda, donec apertè videas nihil ampliùs ſupereſſe, quod diſſolui queat.

ROSARIVS.

In ſolutione corporis, ſi plus erit de non fixo, id eſt, de ſpiritu, ſolutio erit celerior, quàm ſi plus erit de fixo, id eſt, de corpore, ſi contrà tardior erit ſolutio: quare volenti citò ſoluere multa opus eſt aqua. Idem: Neceſſe eſt autem, vt plus ſit de volatili, quàm de fixo, à duplo vſque ad quintuplum, ſextuplum, vel vſque ad decuplum, & non vltrà.

COMES.

In diſſoluendis corporibus, vide ne corpus album cum rubeo, nec rubeum cum albo miſceatur, ſed vtrumque ſeorſum diſſoluatur, neque aquam vnius cum aqua alterius confundas.

LVLLIVS *in Magia naturali.*

Si tibi aqua defecerit, ſume cucurbitá, in qua ſunt omnes liquefactiones, & ſuperpone alembicum. Deſtilla aquam lento igne, ſcilicet per balneum, in tantùm quòd habeas duas partes liquefactionis. De iſta aqua pone ſuper materiam corporis, quæ eſt in ampulla, in qua cœpit ſolutio fie

ri,

ri, vſque ad quantitatem priſtinam. Et ſic iterabis, donec tota terra ſit euacuata.

REGOR.

Caueatur ne acetum in fumum conuertatur, & pereat.

ROSINVS.

Caueas tibi ne acetum fumoſitate pereat.

LVLLIVS *in Repertorio.*

Solutiones aquæ ſunt in balneo, vel in fimo collocandæ: vnde quod deſtillari poterit leui calore educatur. Vaſa deſtillatoria ſunt arctè connectenda, vt ne quid foras exhalent. De tribus aquæ partibus, duæ tantùm ſunt per deſtillationem euocandę, aqua ſolis & lunæ ſeiunctim ſunt excipiendæ. Vitreum vas ex lapide potiùs quàm ex filice conflandum eſt: ſcilicet, ne mordacitate & acrimonia aquę corrodatur. Et ne ſpiritus euaneſcant, ea vaſa fideliter ſunt obturanda. Deinde iſtiuſmodi aquam virtute & bonitate præſtantior eſt, quàm anteà.

SCALA.

Qui non ſoluit & coagulat, multipliciter errat. Item: Congelatio eſt rei mollis induratio, humoris occultatio, & diuerſorum colligatio.

CLANGOR.

Diſſoluere eſt corpus in naturam ſpiritus conuertere. Coagulare eſt ſpiritum efficere corporalem. Solutio facit corpus fixum volatile. Coagulatio contrà, facit corpus volatile fixum. Idem: Spiritus, id eſt, aqua nõ coagulatur, niſi median-

te corpore, quod in ea ſit diſſolutum. Corpora enim ſunt velut coagulũ huius lactis, id eſt, mercurij. Coagulum autem eſt, vel ſol, vel luna, in mercurio ſoluta.

MENABDES.

Iubeo poſteros facere corpora, non corpora, & incorporea, corpora: illud per diſſolutionem, hoc per ſuauem fit decoctionem.

AVICENNA.

Sales ſunt radices operis. Idem: Salia cuiuſcunque generis ſint, noſtræ arti ſunt contraria, dempto ſale noſtræ lunariæ, quod lunaria noſtra reliquit ex corporibus ſolutis.

GEBER.

Non egemus niſi vno vaſe, vna fornace, vnaq; diſpoſitione. Quod intellige poſt præparationem primi lapidis.

COMES.

Vbi aquam magno ingenio, & ſubtili ſagacitate tuæ mentis euaporaueris, cape tuum ſalem ita calcinatum, & puluerem ſubtiliſsimum, atq; impalpabilem, & ſepone mundè in vaſe vitreo, vſq; quò oporteat eum operi adiungere.

ROSARIVS.

Tres ſunt lapides, tres ſales ſunt, ex quibus totum magiſterium conſiſtit.

Triplex eſt lapidis materia, aurum, argentum, & aqua philoſophica.

Tres aquæ, ſolaris, lunaris, & mercurialis: quę poſtrema corpora ſolis & lunæ, in ſuas aquas reſoluit.

Triplex

Triplex eſt mercurius Philoſophorũ, primus calcinans corpora, ſecundus ſoluens, ac ſublimans, tertius his duobus coniunctum.

CLANGOR BVCCINAE.

Duplex eſt argentum viuum, & nomina materiæ primæ multa. Prius dicitur præparans, quod corpus diſſoluit per aquã Philoſophorum. Alterum eſt tingẽs, quod à corporibus perfectis extrahitur per diſſolutionem: & tale argentum viuum dicitur oleum incombuſtibile, anima, aer, & ſplendor corporum, quia corporibus metallicis mortuis imperfectis vitam præſtat incorruptibilem, & ea illuminat.

GEBER.

Principalia in opere naturalia, ſunt ſpiritus fœtens, vel ſulphur, & aqua viua.

CLANGOR.

Spiritus eſt aqua Philoſophorũ, animæ locus. Anima eſt tinctura à corporibus perfectis tracta. Aqua Philoſophorum duplex eſt, ſolaris & lunaris, ex quarum coniunctione fit mercurius Philoſophicus, & lac virginis, ex quo lapis albus & rubeus.

TREVISANVS.

Taceant omnes quotquot affirmant, aliam tincturam, quàm noſtram eſſe alicuius momenti, tum qui aliud ſulphur prædicant, quã noſtrum, quòd occultum eſt in magneſia. Item omnes qui aliud argentũ viuum extrahere conantur, quàm ex ſeruo rubeo, & aliam aquam quàm noſtram, quæ permanens eſt, & nullo modo ſe coniungit

alteri, quàm ſuæ naturæ, & nihil humectat aliud, præter id quod eſt vnionis ſuæ propriæ naturæ. Non eſt enim aliud acetum, quàm noſtrum, nulli colores, nullum regimen, operationes nullæ.

SCOTVS.

Argentum viuum coagulatum, & argentum viuum ſulphureum, ſunt prima materia metallorum.

COLLECTANEA QVAEDAM EX ANTIQVIS SCRIPTORIBVS.

CERTISSIMVM eſt rem nullam extraneam poſſe metalla imperfecta perficere, vel aliquam ex eis facere tranſmutationem. Quapropter inſanorum eſt hominum opinio, animalia & vegetabilia in hac arte aliquid efficere poſſe, cùm reperiátur mimeralia metallis propinqua. Philoſophos tamen in illis artem poſuiſſe credendum eſt, per ſimilitudinem duntaxat. Nam ex duobus tantùm, ſulphure videlicet, ac argento viuo, metalla quæuis oriuntur, & non ex aliis. Nihil etiam eis adhæret, nec ea tranſmutat, niſi quòd ex eis originem duxit. Conſtat igitur non niſi duo, quæ dicta ſunt, eſſe neceſſaria ad conſtruendũ lapidem. Verumtamen ex altero diſiunctim nullum generari metallum poteſt, ſed ex amborum coniunctione, diuerſo modo præparatorum, metalla diuerſa generantur. Hoc verò in primis occultiſsimum eſt,

ex

ex qua re minerali fieri debeat propinquiùs. Si ex vegetabilibus, oportebit ex his priùs fieri per artem ſulphur & argentum viuum, quod impoſſibile fuerit, excuſamur igitur in iſtis, quia natura nobis illa duo præparat. Sed ſi eligamus argentum viuum & ſulphur in ſua natura, quemadmodum creata ſunt naturaliter, oportebit illa coniungi proportione, quam ignorat omne humanum ingenium, excuſamur ergo & ab iſtis: maximè cùm habeamus corpora, in quibus à natura debito modo proportionata reperiuntur: in quo totum ſecretum latet. Aurum eſt corpus perfectum maſculinum, & argentum eſt etiam perfectum, quæ ſi ſola fuſione, & cum aliis imper fectis mixtione, hæc perficerent, eſſent elixira, vnum ad album, alterum ad rubeum, at non ſunt eiuſmodi, quia ſimpliciter à natura perfecta ſunt. Si tamen pluſquamperfecta decuplo vel centuplo forent, tantò perficerent imperfecta. Verùm quia natura ſimpliciter in eis operatur ſimplicē perfectionem, in ea manent ſemper, ni fortè per artem reducerentur ad primam naturam ſulphuris, & argenti viui. Cùm ergo perfecta corpora naturalia conſtent ex argēto viuo mundiſsimo, & ſimili ſulphure, quare non eligeremus illa pro materia noſtra ad elixir album & rubeum? Reſponſio: Quia iſta corpora ſunt adeò compacta, & fortiter vnita, vt vix inueniamus ignem in illis quicquam agere valentem, nec in ipſorum ſpiritus. Et quamquam ignem non ignoramus, per hunc tamen ad intimā ſui mundificationem peruenire non poſſemus, ob fortiſsimam compoſitionem naturalem. Quamobrē excuſamur etiam

ab iſtorum duorum corporum electione, cùm inuenire poſsimus alia corpora, in quibus argentum viuum mundum, & ſimile ſulphur habẽtur, in quæ natura paululũ operata eſt, adeò vt igne noſtro artificiali ad congruam ipſorum mundificationem, ſeparationem, fixationem, ingenioſa noſtri operis decoctione ſuper ea continuata, valemus peruenire. Eligenda eſt ergo materia, in qua reperitur argentũ viuum mundum, purum, clarum, album, nondum ad complementum adductum, ſed commixtum æqualiter & proportionaliter, cũ tali ſulphure albo, vel rubeo coadunatum, vt ingenio noſtro naturali, & noſtro igne artificiali, ad intimam ipſorũ mundificationem, & completam puritatem deuenire queamus, & opere hoc abſoluto millies ſint perfectiora & fortiora quàm corpora, in quibus natura eſt ſimpliciter operata. Ex his quæ dicta ſunt, modo ſis ingenioſus, guſtabis hoc delectabile nectar, ſuper quod intentio Philoſophorum eſt fundata. Cùm igitur materiam in ſupradictis manifeſtatá, oporteat artificiali noſtro labore pluſquá perfectam reddere, modus non ignorandus, at à natura diſcendus. Hæc metalla perficit operatione frequenti & continua, inſtrumento ſolo caloris, qui montibus ineſt mineralium, vt craſsities aquæ tantiſper decoquatur & inſpiſſetur, quo ſuo tandem temporis curriculo, circulóue tranſeat in argentum viuum. Item ex pinguedine terræ per eandem continuam decoctionem & calorem generatur ſulphur. Hoc ipſo continuato calore ſuper iſta duo ſimul vnita, iuxta puritatem vel impuritatem ipſorum generantur perfecta, vel imperfecta

perfecta metalla. Quæ'nam dementia tenet operantum animos in hac arte, vt alia via quàm ipſa natura procedere velint: iſtam redarguere, vel ſuperare conantes, quam vix vlla poſſunt induſtria imitari. Deus per ipſam nobis viam rectam demonſtrat, vtputà ſimplicem & continuam decoctionem igne lento factam. Et quamuis ſemper loquamur de lento igne, nihilominus in operis huius regimine paulatim augendus eſt. Eſt itaque lapis vnus vna materia, & medicina vna, in qua totum conſiſtit magiſterium, cui nullá rem extraneam addimus, nec etiam ipſam imminuimus, ſed in præparatione ſuperflua remouemus: & hoc fit in purificatione, quæ per ſolutionem perficitur. Sublimationem noſtram cùm facere volumus lapidis, ipſum cum tota ſubſtantia ponimus in vas noſtrum, cuius orificium firmiter occludimus, ne reſpirare poſsit, & in furnum ponimus inter cineres: ignem tandē excitamus tam diu, donec tota materia ſoluatur in aquam mercurialem. Poſtmodùm rege per lentū ignem, idque tantiſper, donec maior pars in puluerem nigrum vertatur. Ad hunc modum completæ ſunt omnes iſtæ quę ſequuntur operationes: ſcilicet Solutio, Deſtillatio, Deſcenſio, Ablutio, & Calcinatio. Philoſophi de qualibet peculiare capitulum poſuerunt, vt occultarent artem. Cùm enim lapis noſter eſt in vaſe noſtro, & materia noſtra ſentit ſolem noſtrū, mox in aquá reſoluitur, quæ aſcendit in cœlum, id eſt, in altum ad cacumen vaſis, & poſteâ deſcendit in terram, vel fundum. Item videntes talem aquam inſpiſſari, & ad terram conuerti nigram, quæ ſpiſſa ſtabat in prin-

cipio ſuper aquam, ac ſinendo paulatim inſpiſſari, videbant terram ſub aqua mergi, & in fundo vaſis reſidere nigram & feculentam, dixerunt eam eſſe putrefactionis operationem. Videntes etiam terram croceam, ſubnigram, & feculentam ſtantem ſub aqua longo temporis ſpatio, in ſole noſtro amittere colorem nigrum & fœtorem malum, eorum nonnulli vocauerunt eam operationem Ablutionem, Cerationẽ, de qua Morienus ait: Scitote totũ hoc magiſterium nihil aliud eſſe, præter extractionẽ aquæ à terra, & iterum ipſius aquę in terram reductionem, donec ipſa terra putreſcat per ſuam aquam & mundificetur: quæ poſtquàm mundificata fuerit auxilio diuinitatis, totum magiſterium dirigetur. Philoſophus dicit, terra ceratur & imbibitur per aquam, & per temperatam decoctionem ſolis exiccatur, & in terram vertitur tota materia, ſi quis perfectè nouerit operationem exequi. Hermes enim ait: Vis eius integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Videntes itaque totam materiam in terram verti, & reduci in ſolidam ſubſtantiam, quæ non fluebat, ſed in ſe conſtricta ſtabat, dixerũt eſſe perfectam congelationem. Inde Plato: Soluite (inquit) lapidem noſtrum, & poſteà congelate, id eſt, in terram vertite magna cum cautela, ſic habebitis totum magiſterium. Quod nihil aliud eſt, quàm rectam facere ſolutionẽ, & perfectam congelationem, vt omnes Philoſophi dicunt. Vt igitur metalla permutentur, oportet neceſſariò illa reduci ad ſui primam materiam generi metallico proximam, id eſt, in gumam fluentem. Tum demùm eiuſmodi materia prima, aptitudine ſua innata, virtuti-

virtutibusque diſponentibus, facilè recipit veram ſpeciem illius metalli, de quo intenditur philoſophicè: videlicet cùm natura fermenti fixi, cui iam dicta materia adhæret in profundo inſeparabiliter: ſed fluit, quod non facit argentum viuum commune crudum. Quicunque verò antè huius reductionem in materiam primam albificant, vel citrināt, manente ſpecie prioris metalli in materia non coniuncta vaporabiliter, & non cum materia fermenti fixi in gumam inſeparabiliter permixtá, deceptores ſunt, quia verum aurum non faciunt, nec verum argentum. Vt igitur quodlibet corpus tranſmutabile in quamcunq; ſpeciem tranſmutetur, ad primam reduci materiam neceſſum eſt, cùm ratione materiæ poſsibilis ſit tranſmutatio: vt ait Ariſtoteles 4. Meteor. de Generatione & corruptione, & Phyſicorum: Omne corpus poſsibile, per operationes ſuæ naturæ contrarias reducitur ad ſuam materiam primam, ſcilicet per corruptionem ſuæ formæ, quia omnis contrario operatio eſt eius corruptio, & corruptio eſt generatio primæ materiæ. Demetrius demonſtrās modum purificationis, vel putrefactionis vtriuſq;, ſcilicet corporis & ſpiritus, antè ipſorum perfectam mixtionē, inquit: Nunquam autem ex illo, ſcilicet ſpiritu habetur perfectio, quouſque mixtione perfecta duxerit corpus ſuum, quod eſt frater ſuus, ad ſpiritualitatem ſecum, vt ambo ſint vnum facta ſine ſeparatione in æternum. Magiſterium ergo diſſolutionis diſponit materiam lapidis, vt poſsit per ſe diuidi in quatuor elementa, ex quibus primò fuit compoſitus. Alioquin elementa perpetuarent in

genere, niſi vaporabiliter miſcerentur, nec proportionata compoſitio, nec debitum pondus induceretur, vt decet, neque perfectio, quæ ingreſſionis & retentionis eſt medium vltimum. Ad hunc modum perfectus lapis purgat, & ſanat hominem ab omni ægritudine, vt innouetur tanquam à matre. Nam excitat motum in corporibus, & viuificat elementa: ſiquidem elementa viuificantur, cùm in actum ſuum excitantur. Nam vita naturalis nihil aliud eſt, quàm actus elementorum, poſt quem lapis non patitur diſsipationem, aut ſeparationem, ob indiuiſibilem ſui compoſitionem: vnde habet quo ſenium retardat per vitam ſuam, quam infundit humano corpori, non ſecùs atque metallis, annos adaugens mediante gratia Dei, vltrà propriam, & natiuam proportionem, actumq; naturaliter ſuſceptum, vitam producit. Attamen eiuſmodi effectus non poſſunt alicui elementorum attribui, ſed ſolummodò virtuti cœli, quæ eſt in ipſo lapide. Et virtute cœli, lapis ad ſpeciem deductus eſt. Luet igitur proprietas naturaliter adueniat lapidi ex impreſsione cœleſti: tamen id quod diſponit lapidem ad ſuſceptionem iſtius impreſsionis, poteſt eſſe latitudo mixtionis, vel complexionis, quæ conuenit ſpeciei. Ergo tota vita lapidis, totumq; magiſterium in vapore conſiſtit, & in ſubtiliatione aquæ ſuæ reſpirando ad aerem. Et lapidis vita fulgor eſt, & claritas metalli, in ſubtilitate aerea, atque fixa fuſibili cum ignitione. Ex prædictis itaque ſequitur argentum viuum noſtrum nullatenus fixari poſſe ad vtilitatẽ, niſi propriis naturalibus inſtrumentis (quæ ſunt calidum & frigidum)

frigidum) & locis aut retinaculis ſicci terrei alligetur, & retineatur. Et quia nec ipſa inſtrumenta, nec retinacula poſsidere valemus, niſi per virtutem ſeparationis ipſiuſmet naturæ in partes primas, videlicet elementares naturas. Ideò recta coagulatio fieri non poteſt, niſi priùs facta ſeparatione poſt debitam aptitudinem ſubtiliationis & putrefactionis. Cauſa ergo vniuerſalis coniunctionis, eſt ſeparatio poſt putrefactionem, & debitam attenuationem corporis cum ſpiritu, quia ſic vnita debitè coniunguntur. Separatio verò poſt putrefactionem nihil aliud eſt, quàm reductio rei, â ſua mutatę natura, iterum ad eandem. Cùm igitur per mortificationem, & putrefactionem natura fuerit mutata à ſua ſpecie metalli viua, in aliam ſpeciem mortuam, ſcilicet in ſubſtantiam terream, oportet eam iterũ ad eandem ſpeciem viuam redigi metallico generi proximam: quod fit per ſeparationem ipſam à mortuis reſurgere facientem: & tunc propter vniformitatem naturarum inſimul coniungentur, & adhærentia forti conglutinabuntur. Et hæc eſt forma ſpecialis noſtræ diſſolutionis: & hic eſt modus, quo naturæ gremium reuelatur, tunicam eius ſubleuando, & quod ſub ipſa latet manifeſtando. Cauendum tamen ne vltra medietatem eius tunicę ſubleuetur, quo humiditas operetur in pauciori ſicco, & quod eleuatum fuerit, imprimatur, & candor eleuati fumi in intimis rerum cauernis iterum occultetur, ita vt humidum cum retinaculo ſicci terrei adiungatur, coaguletur, & retineatur. Quò vt res deueniat, operationem eius iterare minimè te pigeat, ſcilicet ſpiritum repri-

mendo, eiusque candorem tam diu occultando, & iterum manifeſtando, quouſque perueniat ad illam ſubſtantialem albedinem, quæ ampliùs occultari non poteſt, nec alterari, nec variari, nec in alios colores conuerti, præterquàm in rubeum facta digeſtione. Et tum demum ſit in eo paſſu coniunctio corporis & animæ, commixtio, ſeu potiùs vnio quæ nunquam ſeparatur.

Ariſtoteles ait, argentum viuum eſſe elementum omniũ liquabilium: etenim quando liquantur, in ipſum conuertuntur. Manifeſtum eſt ergo medicinæ huius operationem eſſe operationem naturæ, quia ex natura ſolùm eſt compoſita. Certiſsimum eſt enim omne componi ex eis in quæ reſoluitur, vti gelu, vel glacies calore in aquam reſoluitur, quia priùs ex aqua ſunt frigore congelata. Non aliter lapis noſter reſoluitur in argentum viuum per magiſterium noſtrum, ergo ipſe priùs fuit argentum viuum. Primum vtique verbum eſt, corporis in argentum viuum reductio, & hanc vocarunt ſolutionem, quæ eſt artis fundamentum. Roſinus philoſophus ait: Soluite corpora & ſpiritus, & coniungite, tũc decætero non poſſunt ſeparari per ignem. Hermes inquit: Primum corpus ſolutum, & aqua perennis, congelant mercurium perpetua congelatione, quod etiam dicunt omnes Philoſophi. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Omnia metalla fuſa ſe habẽt inſtar mercurij, & ſi frigida poſſent in ea fuſione permanere, eſſent ipſemet mercurius. Conſiderandum humida metalla, vti Saturnus & Iupiter, facilè reducuntur in ſuum mercurium primitiuum. Et mercurius debitè præ-

paratus

paratus omne corpus comedit & reducit in ſeipſum. Calor namque agens in humido efficit nigredinem primò, & agens in ſicco efficit albedinem, & operatur in albo citrinitatem ac rubedinem. Quod in plumbo videre licet, ipſum calcinando: primò vritur in cinerem nigrum, poſteà in album, & poſtremò in citrinum, atq; rubeum. Verùm itaque operis noſtri principium eſt diſſolutio lapidis, quia corpora ſoluta in naturam ſpiritus ſunt redacta, niſi quod magis fixa ſint, q̃ ſpiritus. Item: Solutio corporis fit cum congelatione ſpiritus, & contrà congelatio ſpiritus fit cum ſolutione corporis. Tum demùm commiſcetur corpus cum ſpiritibus, & fit vnũ cum eis, vt nunquam ſeparentur, non magis quàm aqua mixta aquæ: quoniam tunc ſimul omnia ſunt ad homogeneitatem ſuam redacta. Hac de cauſa dixit Ariſtoteles, corpora metallorum tranſmutari non poſſunt, niſi ipſa priùs in ſuam materiam primam redigantur: quod ſi fiat, aliam benè formam ſuſcipiunt, cui non contrariatur ratio. Sed non fit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium. Sulphur & argentum viuum omnium ſunt metallorum extrema: igitur metalla erunt media inter ſulphur & argentum viuum. Conſidera igitur ſi poteris ſubſtantiam puram argenti viui, & ſine combuſtione digerere, ſin minus opus tuum vanum eſt. Oportet itaque artificem conſiderationibus vti, quarum certitudo traditur in alijs facultatibus, quas ſupponit. Et vt ſtudiùm eius ad metam dirigatur experimenti, circa duo potiſsimũ inſudare verſariq; debet: priùs vt de rei curandæ, vel ſublimandæ, quid-

ditate elementali diligentiſsimè perquirat, eiuſque proportione: alterum, vt rei curantis, id eſt, principalis agentis, ac tranſmutantis rationem habeat. Artem enim oportet, agente fortiſsimo, diſponere materiam, quo virtutes naturales digeſtionis actiuæ, præualeant in paſsiua materia. Videmus enim quandoq; per agens inſufficiens omne digeſtum molinſin, id eſt,imperfectam digeſtionem pati, ſiue cruditatem, quæ contingit ob commixtionem crudę materiæ indigeſtæ,aut propter debilitatem caloris digerentis & terminantis. Quapropter ſummè curandum eſt,vt natura principalis agentis tam fortis exiſtat in ſua natura, & fortificata ſuo modo, vt proprio & naturali officio ſit potens ad digerendum, & conuertendum materiam in aurum: & vt illa natura ſit ad eum diſpoſita modum, per ſubtiliationem & ſublimationem, vt ſuis virtutibus acquiſitis per artem, approximet ad qualitates ſui agentis, & auri: vtque mediantibus his, agens principale citrinans acuitate ſua poſsit eam conuertere in lapidem Philoſophorum, & aurum. Examinet ergo naturalis artifex ingenium ſuum, vt mediante conditione præfatæ naturæ, quam ignorauerit, ipſam inueniat. Quia non ipſi nobis & noſtris filiis intelligentibus illam diſpoſitionem, id eſt, modum operandi certum & neceſſarium, tradimus, naturam fortificandi quoque, ac inueſtigandi cauſas. Huius igitur operis artificium inuentu fuerit impoſsibile, niſi priùs ingenium artificis proprijs experientijs à natura realiter informetur. Per has vtique natura ſeipſam cognoſci demonſtrat, eiusque diſpoſitionem, qua perficitur:

citur: & menſuram approximationis ad perfe-ctionem inuenire docet. Proprium igitur opus propria indiget diſpoſitione, cùm ſit ipſiuſmet naturæ informantis ſuum argentum viuum, & operantis eius contrarijs qualitatibus: caliditate ſcilicet cum temperata ſua ſiccitate, in frigiditatem & humiditatem, demendo ſuperflua, & addendo, vel ſupplendo abſentia & requiſita, vt per id neceſſariò habeat recipere formam medicinæ completæ. Nec aliter natura prædicta motum habet, niſi iuuetur, arte & operatione videlicet artificiali: diſpoſitione ſibi propria, ſine qua nihil fit. Cùm illam inueneris, ſub veſtimēto philoſophię reconde, quemadmodum tui fecerunt prædeceſſores, qui præceperunt ſtrictiſsimè contegi: cùm ſit totius huius artis ſecretum & arcanū, adhuc à nullo Philoſopho ſcriptis reuelatum. Sciendum itaque dum ipſi dicunt: Soluite corpora in aquá, ipſos non intelligere, neq; curare aquas tangenti adhærentes, vel humectantes, ſed permanentem aquam intelligunt, quæ verè tangenti non adhæret, ſed ſuperficiem diſcurrit, nihil humectans: ſicut argentum viuum noſtrum non eſt argentum viuum vulgare. Hæc namque materia nihil aliud adiungi ſibi vult, præter id quod eſt de ſeipſa: omnia ſiquidem quibus indiget, in ſe continet: hoc de noſtro lapide dictum, & non de auro, vel argento viuo vulgari, &c. Nonnulli perperam ex minoribus mineralibus deſtillant aquas corroſiuas, in quas ponentes ſpecies metallorum, eas corrodunt, ac putat eſſe diſſolutas naturali diſſolutione, quod falſum eſt: quia verò ſolutio philoſophica, requirit permanētiam ſimul

ſcilicet ſoluentis & ſoluti corporis : quoniam ex maſculo & fœmina ſpecies nouæ reſultant. Certo certiùs eſt, nullam aquam naturali reductione ſpeciem metallicam diſſoluere, præter eam quæ permanet eis in materia & forma, & quam ipſa metalla ſoluta poſſunt rurſum congelare: quod in aquis fortibus fieri minimè contingit. Aqua nulla igitur diſſoluit corpora, niſi illa quæ fuerit ſuę ſpeciei, & per quam corpora poterunt inſpiſſari: nec aliqua alia re nutriuntur corpora ſub generatione, niſi ſpecie conſimili. Differt ergo ſoluens à ſoluendo ſola proportione & digeſtione, ſed materia non differunt ambo, eò quòd per quamcumque admixtionem natura hoc format ex illo, vt mineraliter ex argento viuo ſimpliciter natura procreat Solem. Quicumque nouerit artem diſſoluendi, iam iam peruenit ad ſecretum, quod eſt ſpecies permiſcere, & naturas à naturis extrahere, quæ in ipſis latent effectuoſæ. Si quis igitur ſulphur noſtrum ſciuerit coniungere & amicare corporibus, inuenit vnum de ſecretis naturæ maximum. Quaſi diceretur, ſi quis corpus eò perduxerit, vt efficiatur guma permixtibilis cæteris corporibus imperfectis, inuenerit maximum naturæ ſecretum, &c. Eo quòd lapis iſte perfectus, eſt guma & ſulphur, videlicet ex dictis, ſuple corporibus. Nominantur iſta corpora ſulphurea terræ. Subtiliatione exiſtente in aqua, diſſolutio trahit lapidem de potentia ad actum: ideò quia facit eum omninò ſubtilem. Et coniunctio ſpirituum cũ corpore fit, cùm corpora ſublimantur, vt ſpiritus per diſſolutionem, contritionem, & aſſationem eorum cum ſpiritibus. Philo-

ſophi

ſophi dicunt aquam eſſe mercurij, dictum lapidem liquefactum cum ſua aqua propria, quæ in ipſo lapide eſt fixa, & quæ tunc eſt currens & alba ſicut aqua. Item humiditas aerea, quę eſt in argento viuo, eſt vna res cum terra ſupradicta, & cum aliis elementis in dicta terra exiſtentibus: quæ quidem humiditas, licet ſit pauca, tamen eſt ſufficiens ad nutriendum lapidē dictum, in quo eſt, & ad perficiendum. Inſunt dictæ compoſitioni ſol & luna. Et tamen non eſt ſol neque luna communis, ſed meliores quàm in ſua natura vulgari: inſunt ibidem potentialiter, non viſibiliter. Iſte lapis ſiue compoſitum eſt, res vna duntaxat, & vnius naturæ (vt aiunt omnes Philoſophi) & eſt natura munda & clara de ſuis mineris proprijs, quæ tranſmutat regimē ignis. Item medicina noſtra elicitur de metallis, quę naturaliter metalla tranſmutant, & nullo alio modo. Oportet enim vt elixir Philoſophorum ſit de principio, radice, & natura metallorum, & medicina ſit nobilior & pretioſior, quàm metalla, &c. Inde liquet, vbi Philoſophi loquuntur de argento viuo, & aliis humiditatibus diſſoluentibus, ipſos non intelligere de rebus vulgaribus à natura ſimpliter datis, ſed tantùm de argento viuo à corporibus per putrefactionis artificium ſeparato, quod aliter dicitur Azoc: latinè interpretatum alumen potens illuminare, & clarificare omne corpus claritate ſua. Cùm igitur tale argentum viuum, ſiue Azoc, ſiue aqua vitæ latonem abluens, à corporibus per generationem extrahi non poſsit, niſi poſt putrefactionem: erit ergo putrefactio ſua generatio & diſpoſitio. Mixtorum & vegetabilium

varia eſt & differentialis natiuitas. Nam ſimpliciter mixta dicuntur illa, quę præter noſtrum intuitum ſub terra naſcũtur, aut circa ſuperficiem eius, ex ſola commixtione elementorum adinuicem compoſitorum: & eſt eiuſmodi primæ, & ſimplicis naturalis mixtionis gradus multiplex. Primus eſt quatuor elemẽtorum nuda compoſitio, in qua nõ eſt facta mutatio vel alteratio vnius elementi ad aliud. Secundus primum ſequitur, quia reſolutis præfatis lapidibus, elementis videlicet mineralia, de quibus ſermo præſens, generantur: quæ nobiliores ſubterraneæ ſpecies inde procedunt, quia incipit in hoc eorum actio & tranſmutatio. Ad coniungendum mandarunt Philoſophi, omni amoto extrinſeco, ſolùm calorem adhibendum, qui adiuuando, excitat intrinſecum calorem naturalem auri ad dirigendum, & actiuè maturandum mercurium. Cùm igitur eiuſmodi ſpermata, ſeu ſemina per artem generari non poſſunt, ideò quòd mixtionem proportionaliter ad producenda ſemina ars componere neſcit, nec in homine, nec in terra, vbi eſt proprius locus generationis naturalis eorum, iſta ſemina naturaliter facta, artificialiter coniunguntur. Et in hac naturæ proportionali actione, & mercurij digeſtione, ſimul manẽt naturę maſculea fœmineaque inſimul clauſæ: fœminea, vt terra & aqua: maſculea, vt aer & ignis: quam terram & aquam Philoſophi vt mercurium, aerem & ignem, velut ſulphur eſſe dixerunt, in noſtro lapide. Præter iſta duo nihil aliud intrat, nec generat, neque multiplicat, vt patet ex præmiſsis. Et iſta diſſolutio ſolùm dicitur liquefactio compo-

ſiti, & non propriè eius ſolutio, quia partes non ſoluuntur adinuicem ſeparabiles. Quando compoſitum prædicto modo diſſoluitur, partibus inſeparatis manentibus (quamuis ſeparabiles) ita quòd virtus digeſtiuorum elementorum à diſſoluendis, per diſſolutiones poteſt extrahi, ſcilicet per argentum viuum, partes craſſæ in tali diſſolutione capiunt latitudinem ſubtilitatis, eò quòd corpus in ſpiritum vertitur, & vice verſa.

QVAE EX DEMOCRITO COLLEgimus apponere viſum eſt, quò res dilucidior fiat, ex multorum opinionibus autorum.

SAPIENS mercurium infige corpori magneſiæ, vel corpori Italici ſtimmi, vel corpori ſulphuris ignem non experti, vel ſpumæ argenti, vel calci viuæ, vel alumini ex melo, vel arſenico, vel vt ſcis, & coniice terram albam Veneris, & habebis Venerem claram, flauá coniice Lunam, & habebis aurũ, & erit chryſocorallum in corpus redactum. Idem etiam facit arſenicum flauum & ſandaraca præparata, & cinabrium valdè contuſum. Æs autem ſplendidum ſolum argentum viuum facit. Natura enim naturam vincit.

Si verò vis exactè rem ſcire, duobus catalogis mentem adhibe, quia ſciendum antè omnia mercurium poſitum eſſe, & in flauo, hoc eſt, in ſole, & in albo, hoc eſt, in luna. Et in ſole quidem dixit, mercurius à cinabrio, in albo verò dixit mercurius ab arſenico, vel ſandaraca, vel quæ ſequũtur.

Ego autem venio in Ægyptum naturalia ferens, vt materiam ſuperfluè contemnatis, & confuſam. Natura ſiquidem natura gaudet, & natura naturam vincit, & natura naturam retinet.

Mercurius itaq; omnes induit formas, quemadmodum cera omnia ſigilla, ſic etiam mercurius Philoſophorum dealbat omnia, & omnium animas ad ſe trahit, coquit, & rapit. Ad inſtrumenta ergo aptatus, & in ſeipſo humores habẽs, prorſus etiam corruptionem ſuſtinens, permutàt omnes colores, & permanet ipſis non permanentibus, imò verò ipſo non ſubſiſtente, tunc etiam continetur corporũ & ſubiectorum rectionibus. Quatuor (inquam) corporum compoſito, vel compoſitione, & his quæ affinia ſunt, vt ſunt materiæ ipſorum, & animæ ipſorũ materiæ ſunt ipſorum. Vt faber ex ligno, vel ex ære, aut lapide ſtatuam erigens, de ſe nil niſi formam exhibet in materiam: ſic etiam mercurius arte elaboratus à nobis, ipſe omnem formam ſuſcipit, & infixus, vt dictum eſt, corpori ex quatuor generibus conſtanti, fortis & firmus manet, continens & contentus, & ob id Pibichius magnam affinitatem dixit habere. Per mercurium ex cinabrio, ab arſenico, calcanto, ceruſſa, magneſia, vel ſtimmi Italico, & reliqua alba vel rubea cuncta ſunt intelligenda corpora. Corpus etiam magneſiæ chryſocollam, vel chryſocorallum vocat. Oportet igitur priùs rerum ſpecies liquefacere, & conflationibus conſimiles in vnum colorem conuertere, duosque mercurios, album & rubeum, in argentum viuũ redigere, & ad putrefactionẽ ſeparare.

Marcaſitam ergo (pyriten Græcè vocant argenteam)

genteã) rege, & fac ex more, vt ſolui poſsit: fluet autem per aureum, vel album litargyrium, vel in Italico ſtimmi: expurga cũ plumbo. Plumbum nõ ſimpliciter intelligas, ne aberres, ſed quod eſt ex ſciſcili, & litargyrio nigro noſtro, vel vt ſcis. Natura enim natura gaudet.

Rege (inquam) donec fiat incombuſtibilis, abiiciens nigredinẽ. Rege autem muria, vel vrina incorrupta, vel aqua maris, vel oximellite, vt ſcis. Mercurius autem actu quidem albus eſt, virtute verò citrinus.

Fruſtrà laborãt igitur, qui materias explorant, & non naturas corporum magneſiæ quærunt. Corpus verò magneſiæ, ſubſtantiarum eſt mixtio quatuor generum, vt anteà dictum. Capiens igitur mercurium, &c. Præpoſitus eſt mercurius, ob ipſum enim extrahuntur. Adiicit etiam chryſocollam, quod eſt batrachium, inter lapides inuenitur ſulphur ignem nõ expertũ, claudianum maſculinũ, flauum arſenicum à cinabrio, androdamas, cadmia ſulphur incombuſtibile, &c. ſummi corporis vel maſculini nomina.

Tria ſunt artis præcipua: Chryſolitus, mercurius, fauus flauus, vel fauus albus, &c. natura gaudens. Corpus magneſiæ ex quatuor compoſitum elementis corporalibus. Aqua diuina, natura quæ ſuam naturam gaudentem vincit & retinet, vincitur & retinetur ab ea cum aliis. An non vincitur natura craſsioris & terreſtris corporis, à natura chryſoliti exiſtente ſpirituali & aerea? An non vincitur aquâ diuinâ aſtringente, vt iuncta ſol & luna, marti vel veneri, &c. retineant. Per ſe verò iuncta his, vel aliis, nõ retinent: cùm tamen

aſtringuntur per naturam aquæ diuinæ,retinere poſſunt.Quod dicam de te magneſia,quę corpora circumplecteris? Quis non admirabitur chryſocorallum à te perfectum? Ex te enim perficitur totum magiſterium.Tu ſola nos bono animo eſſe iubes.In te explicata eſt ſimilis enitens nebula,multiformem in te fers veneris imaginem,pin ſernam,& miniſtrum igniuomum. O natura ſupra naturam naturas vincens.Tu totum es vna natura, eademq; es,per quam etiam omne opus fit. Superfluo enim numero totus tuus ornatus artificioſè declaratur,per eius numeri terminum in vnitatē diuinitati ſimilem. Vnitatis enim centrum immutabile ſtabileque manet. Nam circularem & ſphericam numerorum contemplationem ſui,oſtendit in opere maiore.Sed redeamus vnde progreſsi. Magneſiæ nomina ſynonima ſunt,lac maris,coagulum,aphroſellinum Orientis,magneſia Lydiæ,Italicum ſtibium, pyrites Achaiæ, &c. Cuius fluxio eſt myſterium, quod in ipſa latitat,margarita præcioſa. Flammiger ſplen dor, Veſtis auro contexta, Aureus nitor. Victor. Bellator.Intelligi etiam poſſunt de albedine operis magni.

Ager chimicus eſt triplex. Quatuor fratres ſunt pars vna. Lapis magnus pars alia, ſemen in agro ſatum repurgato,in ſua terra. Mercurius alter flauus, aut albus corpori magneſiæ iunctus pars tertia. Capiens igitur, &c.

Rurſum fuligo vera duplex, humida & ſicca. Humida eſt cœleſtis vapor ꝑ deſtillationem prolectus. Sicca per ollam & coperculum æreum,vt à cinabari vapor albus.Si igitur vaporem ſiccum

irriga-

irrigaueris humido vapore, diuinum opus efficies. Sciatur enim omnes ſubſtantias atque metalla vapores exiſtere, fieriq́; : nam irrigati vapores fiunt humidi.

Scythica comaris etiam, nouo permixta vapore, omnia perficit.

Aliud eſt vtique verboſa alchimia, quæ ſermonum multitudine continetur: aliud arcana, & abdita, ſiue myſtica. Hæc enim ſola creationis ra rione progreditur, vt in Deum intuens, & à Deo creatus homo, rectam operationē per theologicos & myſticos ſermones addiſcat. Cœleſtis enim eſt potiſsimùm hæc operatio, quia conſtat ex cœleſtibus materijs & formis.

Methodus alchymię myſticę, cœli figurę ſunt; ad quarum normam iſta dirigitur. Sic etiam corpora metallica tranſmutata à contraria natura; fiunt plana & aerea.

Semen igitur ſatum in terra lunę, ſolem etiam perficit, idque ob diuinam operationem, præſtat cinis & cadmia. Diuinum item opus, & diuina aqua illibata cum ſuo cinere, ad regenerationem faciunt. Audi Mercurium dicentem: Si videris omnia cinerem facta, exiſtima rectè parata fuiſſe omnia. Cinis enim vim magnā habet, multumq́; operatur. Nam vt ligna in cinerē conuerſa, fiunt decæterò incombuſtibilia, ſed in opera varia mirabilia, vitrorum, ac aliorum: ſic & metalla in cinerem vel calcē potiùs conuerſa, denuò in quandam virtutem & operationem reuertūtur. Cùm eorū natura mundum vniuerſum, & ipſa etiam elementa imitetur, vnde rurſum generantur, habentque cuiuſdam ſpiritus participationem, &

velut rerum, quæ materiali ſpiritu fiũt. Sic etiam æs noſtrum, ſiue voles magneſiæ corpus (aut aliter intelligere) vt homo animam & ſpiritum habet. Hæc enim facilia corpora atq; metalla, poſtquàm in cinerem verſa ſunt, in igne exiſtẽtia reſumunt ſpiritum, igne hunc ipſis ſuppeditante, & quem ab aere, hæc omnia faciente, hauriunt. Quemadmodum quoque homines atque omnia inde vitalem ſpiritum & animam ſumunt. Æs vſtum igitur noſtrum in fuliginem ſiccam, omnia patiens magis aſſatum, fit lapis ætheſius colore, vt quidam corruſcans ætheſius. Poſtquam igitur aſſatur, extinguitur diuino more, quem diuinam aquam appellant, vt diſſolutum oleum, & vini craſsitudinem ſuſcipit, ac ibi manens per quadraginta dies lento calore, in vaſe vapores non tranſmittente, materia poſtmodûm putrefacta, myſterium aquæ diuinæ illibatum, id quod quæritur, perficit: atque hic eſt lapis, qui hæc facit. Notato igitur: Vnum ſunt omnia, per quod omnia. Ex vnitate vel vnione quidem incipit, & in vnitatem rei quæſitæ conſummationem terminat. Cùm enim multa ſint in rerum natura, vna dicitur à diuiniſsima aqua, vna natura vincens omnia, non ſpecie, ſed arte, cum rationali ſcientia multos latẽte. O naturæ cœleſtes, naturarum creatrices. His verbis incorporea natura innuitur. Niſi enim materiam ſpoliaueris, corpora incorporea feceris, niſi per corruptionem ipſa excuſſeris, ac diſſolueris, quod latitat & ſpirabile eſt, in ortum produxeris, niſi hac via præparante res incorporeas feceris, non informabis naturas, neque corpora facies. O naturæ cœleſtes, corporis

tis expertes,in quas corpora ſeſe inſinuant,& cœleſtis ſapientiæ beneficio informantur,in quibus illæ permanẽt,ac ipſa corpora poſtmodùm complectuntur. Oportet igitur ſpoliare materiam,& ipſius animam extrahentes, per ipſam deinceps corpora non corpora facere, continere & informare. Spolianda eſt itaq; materia, vt ad ſtabilem perfectionem perueniat.

Definitio igitur huius philoſophiæ eſt,corporis diſſolutio,& animæ à corpore ſeparatio,vt tinctura in corpus ſeſe inſinuet, vtque naturæ cognatio oblectet naturam,retinens, vincens, & in ea permanens.Hoc fit cùm intrinſecum foras extruditur cum voluptate, totaque ſubſtantia terrea,cumque per eleuationem aquæ feceris incorpoream compoſitionem: item cùm per aſſationes conſpexeris extractam fuliginem,atq; ita velut per nebulam ferri.Non enim poteſt incorporea natura niſi ſuperioribus adhærere:cùm enim in ſublime ferri ſoleat, vnâ cum eo, quod ſibi ſimile eſt,& cognatum.Augmatatur itaque amata & amans natura ſimul, oblectans & oblectata, ſplendensque, vna res ambæ naturæ rei naturalis & vnius,aliàs vnitæ naturæ, quæ vincit omnẽ rem totius mundi, quare dictum: Vnum ſunt omnia. Hoc autem vnum & vnam rem exiſtima compoſitum ex anima & corpore non corpus facto, in temperatum vnum per vnum. Candida igitur & pura luna,lunaris ſpecies eſt,fuligo quę per aquam diuinam probè abſtergitur, & abluitur. Nihil ergo deeſt,præterquã nebula, & aquæ eleuatio: opus regimine conſummatum. Primò cuius nebulæ, fuliginis videlicet in ſublime ad

cœlum per aquam diuinam & cœleſtem eleuatę. Lapis igitur omnibus notus, vilis & valdè pretioſus, eſt coniunctus ex pugnaci venere cum mercurio, id eſt, mare & fœmina. Æs ergo rubeũ ingredi facias, ac tinge rubiginem auri. Pugna veneris cum pugna mercurij. Venus cum luna pugnando per iſtam corrumpitur, & luna p venerem coniunctione figitur, id eſt, mercurius per magneſiæ fuligineum vaporem. Corpus igitur æris per lunam lunariúmue liquorem corrumpi debet, ac egregiè conteri, tantiſper vt ars ipſa poſtulat. Si quis enim corpus hoc per ſpiritum reddat flauum, potentemq; ipſius naturam, ſecundùm artem blandè præparando extrahat, tingit omne corpus. Si quis morte corpus delens, ac diſſoluens, ſpiritus beneficio per fuliginem citrinet, omne corpus tingit. Spiritus enim hoc modo fit ex corpore fuliginis, immunis à materia, vigor & ſplendor corporis, imperio ſui creatoris. Capiens ergo mercurium infige corpori magneſiæ.

Tota compoſitio fit per mercurium, & magneſiæ corpus per maré & fœminam. Eſt in corpore mixta & ſimul contrita luna, quæ per nebulam & fuliginem completur: ipſa rationabiliter gubernata potentem naturam intus latitantem euocat, omne corpus tingentem, venerem dealbantem, Ioui ſtridorem auferentem. Magnum in his myſterium latet, quod cùm videris, Deum lauda. Sulphurea à ſulphureis continentur, id eſt, elementa cœleſtia & ignea continentur à terreſtribus, à quibus illa haberi poſſunt.

Prima clauis operis eſt, vt ignis argenti viui,

mercu-

mercurij videlicet coniungatur cum aqua terreſtris magneſiæ per ſuam terram. Hac via fit ſeparatio humidorum à ſiccis, id eſt, animarum æris ex corporibus.

Secunda clauis eſt, cùm luna & aqua coniungitur cum igne argenti viui dicti, per aerem æris in eleuatione nebulæ, quæ eſt reductio frigidorum cum humidis, & mixtio ſuperiorum cum inferioribus. Terra, id eſt, ſcoria æris, coniungitur cum aere ſolari per ignem, id eſt, per argentum viuum.

Tertia clauis eſt, cùm per torrefactionem putrefactionis, vt coniungitur ſcoria cum diuina aqua per ignem: hoc eſt, per lunam, aer ſolis etiam coniungitur cum terra, id eſt, cum ſcoria per aquam, hoc eſt, per humidum.

Quarta verò fit coniunctione aeris cum terra, ſoluta ſcilicet per putrefactionem & aſſationem ſeptem reductionum, cunctis in aquam vnam coactis, & exiſtentibus in cinabari philoſophica, quæ conſtat ex dicto mercurio & ſulphure magneſiæ. Quibus peractis ad hunc modum, ignis fit rurſum calidus & ſiccus, generans calorem aeris, & ſiccitatem terræ. Similiter & aqua, cùm fit humida & frigida, generat humorem aeris, & frigiditatem terræ. Terra cùm fit frigida & ſicca, generat frigiditatem aquæ, & ſiccitatem ignis. Aer verò cùm fit calidus & humidus, generat calorem ignis, & humorem aquæ. Singula cùm duas qualitates habeant, fiunt ex tribus elementis conſtans elemētum. Collecta ſimul omnia fiunt duodecim ex tribus in quatuor productis, iuxta ſigna duodecim, quatuorque ſtatio-

nes, vt Verni temporis aerei, Æſtiui ignei, Autumnalis aquei, & Hyemalis terrei. Quæ vera eſt elementorum compoſitio per artem. Item colores ſeptem apparentes in opere, corpora dicuntur planetarum ſeptem eiuſdem compoſitionis, qui iam adſunt, modò pôſt abſunt in ſignis operis, vt in cœlo, nunc ingrediuntur ſua ſigna, poſtmodùm egrediuntur. Itaq; per ſeptem aſtra ſua, quæ planetæ vocantur, & per duodecim non errantia ſigna ſua, verum Philoſophorum myſterium perficitur.

Colores elementorum in opere ſunt, à pedibus vſq; ad genua terreum elementum nigrum: â genibus vſque ad vmbelicum aqueum ſplendens & album: ab vmbelico vſq; ad cor, aereum flauum citrinum: & à corde ad ceruicem igneum candens, ac rubeum. Deinceps vbi hæc quatuor elementa mixta fuerint inter ſe, fit ex ipſis calx & cinis Philoſophorum, vt perfectè atque omninò coniungantur per extremam vnionem dealbata, nigredine prorſum abiecta. Sacra igitur atque diuina hęc Philoſophorum ars & ſcientia, ex vna ſpecie conſtat & perficitur diuinè, ac magnificè, hoc modo ſcilicet: Si enim feceris corpora non corpora, & incorporea corpora, mirificè operaberis, votique tui futurus es compos, per quatuor elementorum compoſitionem: per trinum regimen: duodenariam ſignorum mutationem: per ſeptem aſtrorum aſpectus, ſpecies & corpora: & per monadicam quandam ſingularem extremam vnionẽ, glorificabis in trinitate & vnitate Filium Dei verbum æternum, qui ex quatuor elementis inferiorem hunc mundum perfecit, &

ex

ex quatuor mutationibus anni circulum exornauit, & poſt ſeptem ſæcula introducet eos qui vocati ſunt, & electi in requiem æternam: laudantes vnicum & indeficiens lumen in Patre, Filio, & Spiritu ſancto.

Duo ſunt igitur quę ex materia conſtant, cùm binarius numerus materiam ſignificet. Horum coniunctione, medio tertij, cauſę fiunt omnium. Siquidem per ternarium binarius, & omnis numerus ad vnitatis ſimplicitatem reducitur. Vapor, qui in ſublime fertur, eſt materia aeris, & fumus, ſiue fumida exhalatio ſiccorum eſt, ignis materia. Non conueniunt iſta duo cũ reliquis duobus, aqua videlicet, ac terra, niſi per tertium, id eſt, vinculum, & igneam naturam. Tria hæc igitur, terno regimine dicto, nouenarium conſtituunt, vnitati ſecundæ, denario videlicet, proximum. Quapropter Sybillino quodam ænigmate notatur hoc myſterium ad hunc modum: Ter tres literas habeo, quadriſyllabus ſum, conſidera me. Quælibet trium priorum ſyllabarum duas habet, reliqua vero reliquas habet, mutæ quinque: Totius autem numeri centuriæ duæ, octo & tres ter decades cum ſeptem. Intelligens autem quis ſum, non rudis vel ignarus eris eius, quæ in me eſt ſapientiæ. Aliter: Totius numeri centenaria ſunt bis octo, & tres ter, & decades quatuor. Adhæc: Principia ſcientiæ ſunt ſenſus & experientia: poſterius eſt principium actiuæ cogitationis: prius verò apparentis rei cogitationem prębet, ex quibus intellectio ſequitur animæ mundi huiuſque prudentiæ. Cùm enim iſta ſit ab omnibus exempta, ſenſibilem mundum

complet. Tres igitur ternarij, ex ea conſiderētur immaterialium ſubſtātiarum ordines conficere.

Cùm tria ſint etiam, quæ ad vniuerſalem operationem ſpectant, ex quibus poſteà compoſitio fit quaternaria. Molybdocalco noſtro plumbo inquit: Inijce mercurium, donec incorruptibile fiat, & permanens, quòd cùm fiet, non ampliùs erit plumbum. Hæc omnia vnum ſunt, & duæ tincturæ nullo colore differunt, vnam eandemque tantùm cernis. Et quomodo totum ex vna ſpecie, alia quidem veneris, alia lunæ, alia ſolis. Vnica tantùm aqua videtur, Rhaponticum, à ponto marique dicta, Rha verò ſuperficiem notat, ergo ſuperficies aquarum intelligitur. Flauam (inquit) inijce lunam, & erit chryſocorallum, &c. Capiens ergo mercurium à mare, vel maſculo, fige vt mos eſt, conijce veneri vel pyrithi ſulphurato, & dealbabitur, id eſt, fuligini ſiccæ. Corpora non corpora facito, & incorporea corpora compoſitum erigendo, latitantemque naturam extrahendo. Per mercurium corpora corrumpe, & p magneſiæ nebulam maſculum & fœminam coniunge, & latitantem rurſum naturam euocans, per ipſam denique corporum formationes facies, id eſt, colorum planetarum. Ad hunc itaque modum corpora redduntur incorporea, & iſta fiunt corporea.

Si omnia igne attenuentur, & fuligo ſurſum feratur, fierent varia & infrangibilia corpora. Per ignem intellige mercurium & igneum pharmacum, qui mercurius comburit, corrumpit, & extenuat vno & eodem artificio. Venus itaque non tingit, ſed tingitur, & cùm tingitur, tingit. Nihil enim

enim poteſt per ſe corpus tingere, vel ſeipſum ſeparare, ſi ſpiritus, qui interiùs latet, non emergat. Quomodo enim poteſt corpus ſine ſpiritu conſiſtere, niſi per pulchrã naturam, quæ in ipſo eſt, animalem puta ſpiritum, qui colorem tincturæ ſecum educit, & infert. Venus itaque non tingit, ſed tingitur. Terrea namque materiæ pars, vt quæ craſſa exiſtit, non tingit, ſed illa qualitas ſubſtãtiæ tenuis tincturam in corpore procreat. Cùm enim venus, id eſt, corpus, per magneſiam rectè gubernatur, ſuamque ſubſtantiam tenuem in lucem profert, tum demùm tingendi vim aſſumit, ac tingit. Venus autem ſunt quatuor corpora. Tincturæ verò ſpecies ſolidæ, & humidæ, & herbæ dicuntur à ſimilitudine, ſolidæ quidem à nebula vſque ad chryſocollam, humidæ aqua diuina. Diuina enim à citrinis retinentur, &c. Veritas autem hæc eſt: Natura naturam oblectat, & natura naturam complectitur. Rurſus veneris quadricorporea natura per magneſiam oſtenditur, & verſicolorum ſpecierum herbæ in compoſitione elementorum, attritione prodeunt in lucem. Cùm rationabiliter attritiones corporum fiunt, tum efflorescentiâ virent, cùm herbæ prorſus non ſint, niſi colore tantùm, nec iſtæ poſſunt in igne permanere. Solida enim (inquit) & humida & herbas. Solida quidem vocat corpora, albedinem, citrinationem, &c. penetrantia, & in corporibus permanentia, nec omninò cedentia, ſed ipſa firmè retinentia & ſuperantia. Humida verò dixit, vt ita recrearet illa per humida, id eſt, per aquam diuinam. Quæ'nam hæc eſt aqua diuina, & cur diuinam appellant. Magnum certè

nomē hoc ob præ cæteris, atq; præſtantiùs quòd ſine hac in opere nihil producitur, neque perficitur. Diuina aqua eſt id, quod ſimplex & lucidiſſimam, & puriſsimam, & ſine vmbra corporum naturam facit, velut immutans corpora, abſtergens, & eſt quod ex corporibus latitantem naturam extrahit. Coniuncta enim naturæ forma, pulcherrimum opus per naturam effecit, ac operatur. Acuta aqua eleuata & euocata dicitur. Diuina enim ſunt, quæ intùs latitant, & extrahuntur. Diuina igitur à diuinis retinentur. Anima & ſpiritus à diuinis extrahūtur, & ab eiſdē retinentur, qualitate corpora penetrantia. Veritas enim eſt, Natura naturam oblectat, amplectitur, & vincit. Cùm enim quod intùs latet per diuinam aquam benè geritur, & expurgatur, oblectat ſeipſum ad propriam corporis naturam penetrantem, vincentem, & permanentem. Propriam itaque naturam agnoſcens, lætatur connexa & coniuncta viciſsitudine.

Sed vt ad rem reuertamur: Quatuor corpora tinguntur, & non tingunt. Magneſia enim dealbata non ſinit corpora frangi, nec vmbram veneris induci. Sed vide quídnam Philoſophus dicat, quatuor corpora tingi, & non tingere, nec dicit vt anteà, & cùm tinguntur, tingunt: ſic ſolidorum corporum ſubſtantiam intellige: Magneſia (inquit) dealbata, &c. Quæ magneſia niſi totum compoſitum? Quomodo igitur dealbatur? quando rectè gubernatur, & aſſata cum diuina re expurgata, omnium corporum ſolidorum latitātia reſerat ex profundo, vt per iſta corporum natura tingatur. Compoſitum enim per diuinam

diuinam aquam irrigatum, non ſinit frangi corpora, quin potiùs vmbram eis adimit argenti ſpuma magneſiæ immixta, corpuſque dealbat, cæteraque generis eiuſdem. Magneſiæ pulchra vide mirareque quomodo per vnum multitudinem infert: aliqua quidem ab vnitate: aliqua à dualitate: aliqua à ternario necnon pluribus intendit, donec ipſius vniuerſum conſeruetur. Aliqua quidem à monade, igneum ſcilicet pharmacum: aliqua à dualitate, vt cum corpore ipſo magneſiæ: aliqua à ternario, ſcilicet expurgatio cum aqua diuina, & ſi quid intendit, & per alios aſſationem referat, donec totum opus quæſitum ſeruetur abſterſum, & abſolutũ perficiatur, & compleatur. Materia enim ad aurum conficiendum accommoda, eſt ipſe mercurius. Mercurius à cinabari (inquit) aliquando à venere, aliquando verò à B. mercurius à cinabari eſt magneſia: mercurius à B. eſt aqua diuina, quæ à contracto inſtrumẽto extrahitur, & hæc ſunt, quæ materiam immutant. Venus vt homo animam & corpus habet. Oportet igitur materiam corpora ſpoliare, vt permanente ſpiritu tingente, ad cuiuſcumque quæſiti perfectionem accommodetur. Quid eſt Venus? quod homo materiale corpus. Anima quidem eſt pars tenuis in ipſa, quæ per regimen in lucem prodit: hoc eſt, ſpiritus tingendi potentiam habens. Corpus verò eſt graue & materiale, terreſtreque ſuum quod vmbram habet, quam oportet ſpoliare igneo pharmaco. Diſpoliare eſt humiliare, corrumpere, ſoluere, & mortificare. Nihil poſteà deſit, nihil eſt reliquũ, prætérquàm nebulæ & aquæ extractio. Philoſophus

vſus vera figura, aquam calcanthi vocauit: etenim ibi eſt æris generatio: & calcanthum aurum generat: flos æris (ait Philoſophus) ipſe eſt, qui rem conſummat, & perficit: eſt etiam ſpiritus maſculi. Sic exponitur: Conijce ex ſubſtantia hauſta ab Altiſsimo, vt diuina virtus effecta, & in ſpiritum conuerſa diuinum opus faciat. Diuinum quærendum eſt, vt ſpolietur materia, & fiat ſola anima, & ſpiritus ſublime petens colorem ſumat, & vt cum igne ſit pugnacior, ac tenacior, veluti planum corpus demonum, & penetrantium: radix enim ſolidi eſt planum.

In ſpiritum ergo conuerſum, & ſurſum latum, vt ignis (doctrinæ ratione) igni quodammodo aſsimilatur, & penetrantior, ac tenacior fit: quæ verò rationes à mundi natura inuētæ ſunt. Nam quemadmodū quatuor elementa in ſeipſa tranſmutantur, & fiunt quod non erant, cùm eorum ſubſtantia ſubſtantiæ non ſit contraria, ignis fit terra, & terra fit aqua, & aqua aer, & rurſus aqua terra, & à terra vſq; ad ſuperiora, & in ſeipſa mutata & ſoluta omnia operantur, vt eſt apud Hermetem: Qualitates enim ſibi ipſis cōtrariæ ſunt, & non ſubſtantiæ. Sic etiam compoſitum cùm terra ſit, aqua fit, & ex aqua aer, & ex aere ignis. Quemadmodum igitur ex cœlo, quod tamquam camera terræ incumbit, hæc omnia ſunt ab exhalationibus: ſic etiam ex olla velut ex terra, & ſuperpoſito alembico velut ex cœlo, vehementes fiunt mutationes. Et quemadmodum terræ putrefactiones exhalantes tranſmutantur, ſic etiam flos æris ſimul tranſmutatur exhalans. Hoc idem quoq; conſiderabis in humano capite, cu-

curbitulæ,

curbitulæ, vel galeæ inſtar impoſiti corpori. Vt non fruſtrà dictum, igitur contere: ſic modò non temerè dicitur, coquuntur ſenſim, & eleuantur inter ſe. Læui namq; elixatione ſpiritus tingens, qui latet, elicitur: quod ſurſum fertur, ſpiritus eſt corporis expers, & anima totius compoſiti, id eſt, corporis. Quemadmodum igitur anima corporibus oſtendit ſeipſam, fermentans omnia, in ſeipſa tres ſubſtantias effectrices habentem, motum, ſenſum & ignitionem: ſic etiam hic ſpiritus igneus factus, & anima corporis expers, cùm rei cuncta tingentis corpus penetrarit, ſi in iſto condita ſit, vt planum in ſolido, per ſuæ medicinæ iniectionem in argentum igne rarefactum. Lætus hic ſpiritus igneus (inquit) inſilit, qui in corporibus etiam latitat, & ſublime petens, etiam corpus ipſum, vt animam propriam, retinet. Cæterùm quòd ad differentem aquæ extractæ cauſam ſpectat, ne hoc terreat: flos eſt enim, qui extrahitur, non ſolùm ſemel, ſed bis ternè per maripetas. Poſtquàm igitur oſtenſum eſt ſecundùm accidens, flos aqua ſulphuris eſt illibata, & fixionis vſum habet. Dixit enim Philoſophus, & gummi paululum, omne corpus tinget. Maria inquit: Retinaculum omnium, quæ ab igne fugiunt, eſt alabaſtrum omnium candidiſsimum, lapis encephalus, mente reconditus habẽs velut calorem: hunc capiens contere, & miſce cũ aceto, & conijciens in vaſculum, poſtmodùm tandẽ conde ſub fimo: hoc enim eſt quod quæritur, aquam ſcilicet ſulphuris illibatam, & rubiginem vnum & idem eſſe: atque hic verè totius artis cardo vertitur. In ipſis deinceps conſideratur in vna compoſitione

ne omnia fieri, quod tingit, & quod tingitur: quod fugit, & quod ſequitur: quod familiare eſt, & contrarium: maſculum & fœminam: ſponſum & ſponſam: agens & patiens. Vnus enim eſt ſerpens, qui duas habet compoſitiones & rubiginem. Vnum eſt totum, ob quod ſunt omnia. & ſi totum non haberet totum, nihil totum eſſet, ait maximus Chimes. Nam res fixas facere non ſolùm ſulphuris eſt, ſed etiam rerum, quæ dealbatæ, emollitę, & rarefactæ ſunt. Cùm enim ſubſtantiæ à ſulphure albo in perfectione & aſſatione patiuntur, tunc & ipſæ ſunt ſulphur incombuſtibile factæ, & permanēt facientes quod paſſæ ſunt, dando & accipiendo: & tum vtraque ſulphur facta ſubſtantias fixas reddunt: hoc eſt, quod inter ſe non frangantur, efficiunt. Deinceps cur (inquit) multiplicium rerũ ſpecies requiritis, cùm vna natura omnia vincat. Hanc naturam ab initio vſque ad finem expendens, manifeſtum videbis myſterium: hoc eſt, cymbalia. O` naturæ cœleſtium naturarum creatrices, hæ diſſolutæ omnia operantur. Quid ergo hoc eſt diſſoluere? Huc age ad liquores, & diſce, Sume crocum Ciliciæ, ſimul cum flore cinici coniunctum ſucco vitis, & vna liquorum ſerie diſſolutionem inuenies. Huc age rurſus ad album: & item in ipſum eſt diſſolutio, ipſe te docet, inquiens: Relinque inferiùs, & fiet. Verùm dixit: Alij corpora appellarunt, alij ſulphur, & non decepti ſunt. Et ob id diffuſus eſt error per orbē terrarum, propter appellationum multitudinē. Quæ de quatuor & quinque elementis dicuntur, ad illa referenda ſunt. Saturnum collocarunt, & ex aduerſo plumbum in altiſsimo

tiſsimo vertice, & poſt ipſum Iouem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, & infimo loco Lunam. Singula inter ſe diſtincta, vni tamen orbi coniunguntur, & vnus ipſis miniſtrat, eademq; gubernat, & ob vnum ſpiritum amãtur, mutuóque ſeſe intuentur oculis, & mutuò verſantur, & mutuò ſoluunt, & in ſuis tectis ſpatiãtur, quemadmodum ſtatuit ipſe Creator altiſsimus. In terra ſimiliter enim reperiuntur, & in aere ſunt, & in aqua, & in igne, omninò pacem inter ſe habẽt, & vnus opifex miniſtrat illis, eademque regit, vnoque iugo omnia coniugata ſunt, atq; vnam potionem bibũt: ex terra enim aluntur, & quodlibet ipſorum proprium munus obit, & in propria ſede conſiſtit, & Creatoris arbitrio paret, quodlibet ipſorum occulitur in terra, & in propria gloria. Et vos, ô amici, cùm ad hanc pulcherrimam artem vultis accedere, ſpectate herbarum naturam, vndénam prodeunt: aliquæ ex montibus, ex conuallibus aliæ, ex campis item aliæ. Conſiderate aerem ipſis miniſtrantem: conſidete diuinam aquam irrorantem, & nebulam ferentem, ac ætera gubernantem ipſas: quæ cùm permiſcentur, vnum ſunt, & nemo poteſt ipſas ſeparare, cùm in vnam coierunt naturam. O Cleopatra (inquit Oſtanes) in te totum arcanum latet, expone clarè nobis de elementis, & quomodo ſuperius deſcendit ad inferius, & quomodo medium ſupremo & extimo propinquum eſt, & non concurrunt partes, cum præcedát, & vniantur, quódnam ſit ipſis medium, quod vnum faciat, & quomodo deſcendunt aquæ benedictæ ad videndum mortuos iacentes, ligatos, & poſt-

tos in tenebris, & in caligine intus in inferno, & quomodo ingreditur medicina vitæ, & ſuſcitat eos, vt tanquam è ſomno expergiſcantur, & quomodo ingrediuntur nouæ aquæ, quę in principio lecti, & in lecto generantur, & quomodo nubes ipſas fert, & quomodo ex mari aſcendit nubes aquoſa. Ea quæ oſtenſa ſunt contemplantes Philoſophi gaudent. At Cleopatra ait eis: Aquæ ingredientes corpora ſpiritus ipſis incluſos & debiles, velut è ſomno excitant. Rurſus (inquit) anguſtias perpeſsi ſunt, & rurſum occludentur in inferno, & paulatim naſcuntur, & ſurgunt, atq; diuerſos & glorioſos colores induunt, quemadmodũ flores vere, quod letatur, & exultat ob pulchritudinem, qua veſtitur. Vobis (inquam) prudentibus herbas, elementa, & lapides, cùm eruitis ex ſuis locis, pulchra admodum videntur, & non pulchra: quoniam omnia probat ignis. Cùm verò gloriam induent per ignem & colorem viridem, ibi ſunt maiora ſpectacula, ibi gloria occulta, & accuratè quæſita pulchritudo, & terræ mutata in diuinitatem: quoniam in igne nutrit illa. Quemadmodum infans ſub ventre nutritus paulatim augeſcit, & cùm ſtatus menſis adeſt, non prohibetur in lucem prodire, eiuſmodi res eſt hæc præclara. Verberant ipſam procellæ, & vndæ in inferno, & ſepulchro, in quo iacent, cùm verò ſepulchrum panditur, exurgit ipſa ex inferno, velut infans ex vtero. Contemplantes Philoſophi pulchritudinem, quemadmodum ſtudioſa mater infantem, quẽ peperit. Tum demùm quærunt quomodo, velut infantem lacte, aquis hãc artem nutriant: quandoquidem vt infans

infans formatur, & cùm perfecta fuerit in his omnibus, ecce arcanum ſignatum. Nunc autem primùm apertè, vbi vobis iacent elementa & herbæ. in ænigmatibus exordiar dicere: Aſcende in ſupremum tectum, in montem arboribus conſitum, & videbis lapidem in vertice: ex lapide hoc ſume arſenicum, & dealba diuinè. Et vide in medio monte infra arſenicũ, ibi eſt coniux ſua cùm qua coniungitur, cum qua gaudio perfunditur, & lætatur, natura in natura, & extra ipſam non coniungitur.

Deſcende in Ægyptium mare, & educ tecum ex arena ex fonte, quod nitrum dicitur, & coniunge illud ſimul, & ipſe extrahet foras pulchritudinem omnia tingentem, & extra ipſum non copulatur: menſura enim eſt coniunx. Ecce natura naturæ contrà retribuit: & cùm omnia æquabiliter coeunt, tunc naturæ naturas vincunt, & inuicem lætantur.

Conſiderate ſapientes, & intelligite: ecce enim artis perfectio, coniugatorum ſponſi & ſponſæ factorum vnum: ecce herbæ, & ipſarum differentiæ: ecce dixi vobis omnem veritatem, & iterum vobis dicam, videte & intelligite. Quoniam ex mari oriuntur nebulæ, quæ ferunt aquas benedictas, & ipſæ irrigant terras, & educunt herbas & flores. Item noſtra nebula egrediens ex noſtro elemento, cùm ferat diuinas aquas, & irriget herbas & elementa, nulla alia terra indiget. Ecce fratres arcanum admirabile, ignotum prorſus: ecce veritas vobis patefacta eſt. Videte quomodo irrigetis terras veſtras, & quomodo nutriatis ſemina veſtra, vt maturum fructum colligatis. Audi

igitur, & intelligens eſto, ac dijudica exactè in quibus loquor: Sume ex quatuor elementis arſenicum ſupremum & infimum, albumq; & rubeum, & maris & fœminæ pondus æquale, vt coniungantur inuicem. Nam quemadmodum gallina calore fouet, ac excludit oua ſua, ſic etiam vos fouete & perficite, & extrahentes & irrigantes diuinis aquis in ſole, & in locis calidis aſſate igne leui, cum lacte virgineo, & cauete à fumo. In inferno autem occulite ipſa, & cautè mouete, do nec ipſorum præparatio fiat ſolidior, nec fugiat ab igne, tum extrahatur ab eo. Cùm coniungentur anima & ſpiritus, & fient vnum, tunc coniicite in corpus lunæ, & habebitis ſolem, quē non habuerunt regum repoſitoria. Ecce arcanū Philoſophorum, pro quo adiurarunt nos patres noſtri, ne patefaciamus illud, cùm diuinam habeat formam & operationē. Diuinum enim eſt, quoniam coniunctum cum diuinitate, diuinas ſubſtantias facit, in quibus ſpiritus fit corpus, & mortua animātur, ſuſcipientia ſpiritum ex ipſis prodeuntē, ac inuicem tenentur, & tenēt. Quemadmodum ſpiritus contrà tenebricoſus, plenus vanitate & triſtitia prohibet corpora ne dealbentur, neue ſuſcipiant pulchritudinem & colorem, quem habuerunt à Creatore. Ægrotant enim, & corpus, & ſpiritus, & anima, ob tenebras extenſas: ſed cùm ipſe ſpiritus tenebricoſus & pernicioſus remouetur, vt non appareat odor, neque color tenebrarum, tunc illuminatur corpus & anima, & ſpiritus gaudet cū abeſt nigredo à corpore, & vocat anima corpus illuſtratum ad hunc modum inquiens: Egredere ex inferno, & reſur-

ge

ge ex ſepulchro, expergiſcere ex tenebris: indutum enim es ſpiritualitate, ac diuinitate: quoniá audita eſt vox reſurrectionis, & medicina vitę ingreſſa eſt ad te. Spiritus rurſus gaudet in corpore, & anima in eo, in quo eſt, ac citato curſu fertur in amplexum ipſius, & complectitur ipſum: nec ipſi tenebrę dominantur ampliùs poſtquàm ſubijt lucem, nec patitur vt ab illo in æternum ſeparetur. Abijt nigredo, & coniuncti ſunt in amore corpus, anima, & ſpiritus, & facta ſunt vnũ, in quo latet æternum, & ſignata eſt domus plena luminis & diuinitatis. Ignis enim ipſa coniunxit & tranſformauit, & ex ſinu ventris eius exierunt, ſimiliter etiam ex vtero aquarum, & ex aere ipſis miniſtrante, & ipſe eduxit eos ex tenebris in lucem. Venter enim ignis ipſa portauit, & propter ipſum induerunt gloriam, & ipſe ad vnionem vnam perduxit, & abſoluta eſt imago corpore, anima, & ſpiritu, & facta ſunt vnum. Subiectus eſt enim ignis aquę, & terra aeri, ſimul & aer cum igne, & terra cum aqua, & ignis & aqua cum terra, & aqua cum aere, & facta ſunt vnum. Vnum enim herbarũ & fuliginum factum eſt vnum, & ex natura, & ex diuino facta ſunt. Vnum quod omnem naturam conſiliat, & retinet. Ecce naturæ naturas retinent, retinuerunt & vicerunt: propterea naturas alterant, & corpora, poſtquàm ingreſſus eſt fugitiuus in non fugitiuum, & retinens in non retinentem, atque inuicem in vnum coière. Corpora ſunt cœleſtia diuinaque, ſuprà memorata. Aquæ arcanum eſt, quia vt polus ex quatuor percurritur, & nunquá quies dabitur. Hæc creata ſunt in hac terra no-

ſtra Æthiopiæ, ex qua ſumuntur herbæ, lapides, & corpora diuina, quæ Deus & cœlum fecit: in quolibet enim Creator inſeuit potẽtiam. Vnum viride fecit, alterum non: vnum ſiccum, vnum humidum, vnum coniungens, alterum diſgregans: vnum retinens, & alterum recedens, & in occurſu mutuò ſeipſa retinent: & vnum in alio reducit in corpus, in alio exornat, & fiunt vna natura, quæ omnes naturas amplectitur, & retinet. Et ipſum vnum omnem naturam ignis & terræ vincit, & omnem potentiam ipſorum alterat: ecce finem.

Cùm perficitur, fit medicina lethalis in corpore currens: quodammodo enim proprio colore ingreditur, & ſeſe inſinuat in corpora. In putrefactione enim & calore fit medicina currens, in omne corpus ſine impedimento, vel nocumento. Hîc enim philoſophiæ ars extremam manum accepit.

Multa ſunt igitur quę faciunt aurum, quod verò fit, vnum eſt. Primum: arena quædam eſt littoralis, quæ ab auri colore chryſites appellatur: aliqui auream arenam vocant. Pila conteratur, ſale inſpiſſetur, & igne calefiat per diem & noctem. Trita rurſum abluatur aqua ſalis, & puluis imbibatur aceto guttatim, vt coeat, ſiccetur & imbibatur, idq; quartò. Argentum ac plumbum liquans vtraque, puluerem inijce, confundantur ſimul, & permiſceantur. Poſteà auferens & frigefaciens horis quibuſdam, cernes totum durum: deinde arenam purgans inuenies aurum.

Sin velis ita facito.

Sandaracam, calcanthum, & arſenicum, & ſulphur

phur viuum, & cinabarim ſimul terens, ac tenacem faciens mixturam in purum vitrum coniice oris anguſti, obſtructum argilla, per diem igne aſſato, poſteà auferens lutum inuenies materiam ſiccam craſsitudine pici ſimilem. Hoc iterum terens in fictili vaſe reconde, totumq; capiens loca. in igné, & ablato cooperculo inuenies flauũ, &c. Et magneſiam quidem ſi ceperis albam, & par pondus arenæ optimè præparatæ. Poſteà verò vtraque conterens oleo raphani concoxeris, erit tibi id quod in fornacibus aurum. Si verò non ſit colore nitens, ſale vncta quæ ſuperiùs dicta ſunt, & myſi & ferri croco conterantur, & rebus potentias communicátibus, aurum fulgentius aureis pactoli arenis efficies. Si verò aurum habẽs, duplum pondus facere volueris, nihil auferens ex qualitate, hoc ponderans duplo maiora pharmaca ponderato, myſi & berilli ſcobẽ vt ſit quadruplum auri, quod ex ambobus conſtat: hæc miſcens, ſeu temperans, affige auro, atque ea, vbi in crucibulum conieceris, & ignitum feceris, extrahe, & teipſo duplo ditior fies. Sed noſtrum inſtitutum erat, non vt de auro colluſtrando, neq; augendo, ſed de conficiendo ageretur. Hoc itaque præſtabo, quamuis aliquantulum digreſſa oratio alias artes obiter reſpexit.

Cinabaris igitur, & aureus flos æris, velut naturales quædam formæ lunari materiæ iniectæ, aureum corpus faciunt. Si igitur argentum lique faciens medicinas miſcendo temperaueris, ſol tibi luna fiet, & ſi tale quid ſecueris, inuenies colorem, & ad omnem auri vſum argẽtum in aurum verſum. Et luna aurum quidem facit, ſol verò lu-

nam non facit: ſola enim ipſa inde lumen habet: nec lunæ tantùm, ſed magno etiam lumini miniſtrat. Æris igitur corpus protrahens quantũ par eſt, ceu quandam linguam oblongam facito. Poſtea ſuper carbones reponens, in ipſum vulcanum concita, irradians nunc ſale foſsili, nunc ocra attica continuè, vel alternatim humerum & pectus Paphiæ exornans, pulchrior planè fiet, ac glaucum colorẽ abiiciens, apparebit tota aurea. Cùm talem fortaſſe Paris Venerem vidiſſet, Iunoni & Palladi antepoſuit. Quoniam verò regiminis ſuprà meminimus, interpretabimur quidnam ſibi nomen velit. Et quia chryſitidis tinctura indigemus ad opera, priùs medicinam habere neceſſe eſt, vt ea in tempore vtamur.

Chryſocolla terræ flos eſt, in Macedonia naſcens, hanc aqua dulci purgans, & poſteà ſolaribus radiis exiccans, æris Scythici flore & chryſoleto ſimul ſolue, & commiſce. Poſteà humido excremento inſpiſſans in vitro reconde, totámque flammis calefacito: ex hac enim igneum pharmacum facies. Habes ſimul & regiminis ſignificationem, quódue tincturam facit. Aurum verò ſic facere poteris: Vbi plumbum igne liquaueris, ſulphur viuum huic inſperges, & igne vratur, donec vapor euanuerit. Poſtmodùm aluminis ſciſsilis & cinabaris par pondus capiens, miſcensque in oximellite, liquato plumbo inſpergito, itemque ſulphur viuum (quod ſuprà) vt tum ſolidum fiat, tum etiam colorem per cunctos poros capiens, propter hæc omnia aurum efficiatur.

Quidnam tibi igitur totam Democriti Abde-

ritæ

ritæ ſapientiam breuiter reuelabimus, nihil intus in adytis relinquemus? Sed nec qui alios ſacris initiant hoc dicunt, neq; myſtica diuinatio. Stata autem tempora ſacrorum principem concitarunt, ac rurſus ille à debacchatione conquieuit, ſacriſque initiatus compoſitum feſtinauit, Sed ne moleſtè feras, ſi tibi primo ac ſacrorũ principi, alius ipſe ſacrorum princeps ſedeo. Tibi enim præſtantiora concredita ſunt, ac tu de cœlo Deum deducis, & euehis animam & mentem, quæ in materia eſt, & applicas rei exemptæ à materia. Ego verò humi iaceo, ac naturæ contemplator ſum, necdum retuli me ad rerũ non aſpectabilium ſpeculationem: quoniam nondum mihi acutius lumen factum eſt. Hæc Pſellus ad Xiphilinum Patriarcham, & vltrâ. Noſti igitur quid faciemus, inquit? Mihi quidem terræ adyta concredita ſunt: tu verò illa cœleſtia es conſecutus. Impertiamus ergo inuicem res quas habemus: tu mihi egregia ſpectacula: ego verò tibi naturales effectus. Sed viden quid ego tibi fecerim, cùm enim auri fontes aperuerim, nec Atho concuſsi, nec Pangeum commoui, nec venas quaſdã ſubterraneas recluſi, ſed lapides inter ſe conterens, & herbas quaſdam miſcens, ingenuè tibi ac vtiliter aurũ valdè pretioſum elaboraui. Huiuſmodi aliquid tu mihi etiam comminiſcere, nõ in aerem concitans, non ſublimem tollens, ſed aliqua ratione in terris mihi oſtende ſupercœleſte bonum: nullibi enim eſt, ſed vbique, & in qualibet vniuerſi parte. Inuentum multos latet, quodque intus in nobis eſt, in cœlo, errantes quærimus. Sed doce quomodo propè eſt, & quomodo lon-

giùs abeſt, non loco diſtans, ſed diſpoſitione propiùs accedens, quod longiùs abeſt. Dic quæ'nam ratio eſt deſcenſionis intelligētiæ? deinceps vſq; adeò deſcendens, quomodo rurſus aſcendit? In ſumma me manu ducas ad Deum. Si enim per ſatis anguſtum iter, contētus ero, ſi verò per iter noſtri capax. His me ſacris initiandum, ſi deduxeris, polliceor tibi me nullum reliquum ſcientiæ & naturæ opus, nullumque ſtudij genus, vel antiquioris ſapientiæ, vel arcanæ prætermiſſurum: ſed tibi, ſi placuerit, quæ ſub terra ſunt, explicabo. At verò ſi tibi ſtudioſiſsimè munus confero, tu autem mihi ſcientiam non oſtenderis, ærea pro aureis minùs permutás: nec ob id tamen ſuccenſebo, nec tibi turpem ingrati animi notam inuram: ſed ſciam in vitro magis ſolare lumen Atticum ſuccendi. Vis igitur me dicere, quod pro omnibus dico. Impenſiùs ama, & vale.

SVMMARIA DECLARATIO EORUM, quæ dicta ſunt hactenus ex Democrito, per ænigmata.

QVID eſt ſpoliare, humiliare, corrumpere, ſoluere, & mortificare, omnemq; materiam extrahere, vt ſpiritu incumbente ac patefaciente, ſciatur id quod tingendi corpus vim habet? Ad quæſiti perfectionem accommodetur reſponſio. Hoc enim promptũ & idoneum eſt ad perfectum complementum, ex ſpeculationibus, quę ſub ſenſum cadunt, ad eas quæ intelligentia ſola percipiuntur,

aſcen-

aſcendendo, & magnum cœleſte ornamentum intuendo. Horum ornatum vbi contemplatus fueris, ſuper omnia mentem eleuans, magnamq́; & ſat nitentem angelorum gloriam, tantumque gaudium conſiderans, ne conuertaris deinceps ad materialem huius humilis & abiectæ iam patefactæ ſcientiæ auri conficiendi notionem: ſed totum te ad ſuperiora erigas, & ad ſplendorem ſupernarum ſubſtãtiarum alas mentis attollens, innumerabiles & arduas harum pulchritudines, ac aliud lumen, quod omne lumen ſuperat intentis, & internis oculis intuens, admirans, operaq́; omnia in mundo deponens, ac electam antè tempus mortem animo cogitans, tecumque tuum corpus mortificãs: præterea verò tuam animam abnegans, claris hymnis cunctorum Regem ac dominum gloria glorificans, & laudans: tremore verò timoreq́; perculſus omnipotentem potentiam mente contemplator, & ipſius bonitatem, quæ omnem bonitatem ſuperat, & quemadmodum omnia producta ſunt per eius inenarrabilem ſapientiam. Lingua torpet, mens quoq; ferre non poteſt, vel prorſus inueſtigare, vel recenſere, quæ magnalia Dei omnipotentis menti contemplanti verè ſunt repoſita. Hæc verò omnia in nobis ipſis conſiderantes, ſtudeamus etiam vt cum omnibus, tanquam fratres per fidem, atque delectationem, vniamur, & aſsimilemur, quantum fieri poteſt, verbo Deo quod nos dilexit: ipſumque Deum dominum noſtrum adorantes, amemus ex tota anima, ex tota mente, & ex toto corde: tantumque theſaurum admirati glorificemus, vt tandem contubernio Dei dignati, per

ipſum gratia repleamur, & luce eius ſapientiæ, quæ omnem naturam illuſtrat, ac mentem omnem illuminat. Cui laus in æternum.

Hęc Xiphilinus Patriarcha ad Michaelem Pſellum, qui contrà retribuens ait: Accipe chryſolithi partem vnam, magneſiæ cinabrij partes tres: contere verò donec ſimul coniungantur, & commiſceantur ſubſtantiæ, & nihil ampliùs ſulphuris viui appareat: fit enim admodum nigrum, vt atramentũ ſcriptorium, poſt tres dies coniiciens in lauacrũ, impone ex liquore, qui ſolet abluere partes æquales, & ablue omnem tincturam excipiens, &c.

Chryſolitus eſt arſenicum, vt ſcis, vel lapis æthesius. Magneſia cinabrij eſt calcopyrites, vocatur & plumbum. Humor lauacri eſt radicis raphani noſtri acetum radicatum cum ſuo ſale, & ab eo per cohobationem tractum in ſolutiuam. Ablue, inquit, donec rubigo eius egrediatur, & ſic abit nihil ex ære remanente in plumbo. Hæc eſt magna ſolutio per euacuationem, æruginatio, denigratio, ablutio, &c. Procede vt ſcis. Euacuationem dictam accipiens in vaſis relinque reſidere, & exprimens liquorem exicca, quod ſubſidet, hoc inuenies vt atramentum ſcriptorium, quod contere donec fiat perfectè citrinum, vel album priùs: ad hunc modum exiccando conteratur igne continuo, donec albeſcat, & candidiſsimum fiat. Vide igitur, ne dealbationis tempore deſes ſis: negligentia enim accidit, eò quòd non videtur illa pulchritudo: quoniam per hanc dealbationem ſine vmbra æs fit, omnẽ ſuam terreſtrem ſuperfluitatem & craſsitiem abiiciens. Si

igitur æs dealbatur, ſpirituale fit, & denique nihil relinquitur, nihil deſit, præterquàm nebulæ & aquæ eleuatio. Zozimus ait: Vnum ordinem ego noui, duo opera habentem: prius, vt fluat per reſinam (intellige per purgatorium ſuum) poſterius, vt exiccetur humor Saturni per eleuationem in puluerem leuem. Ponas igitur lapidis leuis partem æqualem, cum repurgato, & contere abluendo & euacuando cum aceto extracto per alembicũ, donec albeſcat, donec candidum fiat. Vide igitur dealbationis tempore, vt ſuprà, &c. Dulcificans igitur medicinam & exiccans, repone, & medicinam exæqua: Calcanthi partes tres, magneſiæ partem vnam, & medicinæ partem alteram, contere ſimul, irrigans ad ſolem cum aceto albo dies ſex, & poſteà exiccans pone in fimo bouino, & ſine vt vrantur per dies duos, vel tres, & tollens ab igne inuenies aurum tinctum vt ſanguinem: hoc eſt, cinabaris Philoſophorum, & æs clarum citrinum. Quid vobis (ait Senior) & multarum rerum ſyluæ? cùm vna ſit materia naturalis, & vna natura, quæ omnia ſuperat. Tunc igitur per diuinam aquam ſolutum & fermẽtatum, vt fermentum panis, ac deinceps etiam chryſolito æquis partibus contrito & aqua ſoluto, ſecundùm naturam ſuam per fluxionem, tingit omne corpus. Zozimus ait: Sol naturalis per chryſolithum ſpiritualis factus, ſecundùm naturam tingit. Argentum etiam ſi diſſoluamus per aquam, & ſpirituale faciamus per chryſolitum, æs tingit album. Hoc enim etiam aliis verbis dixit. Duæ enim tincturæ nulla alia re inter ſe differunt, niſi colore tantùm: hoc eſt, vnam & eandem præpa-

rationem habent: quia & per diuinam aquam priùs conteruntur, & poſteà verò per chryſolitum ſpiritualis medicina fiunt, vnumquodq; ſecundùm propriam naturam tingit, ſol ſolem, & luna lunam. Per aquam diuinam intellige viſitationem occultorum. Æteſius lapis igitur cum ære colligatus, & cum oleo raphani reductus, hîc beatos Ægypti ſtudioſos reddidit. Arte compoſitum igitur erigens, ac latitantem naturam euocans, per ipſam denique corporum formationes facies, & ſic corpora incorporea redduntur, & incorporea corporea fiunt. Si omnia igne attenuentur, & fuligo feratur, erunt varia, & infrangibilia corpora.

Laudetur Altiſſimus.

FINIS.

1385-820